ALTERA PARS

APOLOGETICI

AD GERMANOS, PRO RELIGIONIS CATHOLICÆ PACE, ATQVE SOLIDA ECCLESIARVM IN VERO CHRISTI IESV EVANGELIO CONCORDIA:

QVÆ RELIQVAS ANTHITHESES HABET VNDEVIGINTI; Auctore Reuerendissimo D. Wilhelmo Damasi Lindano, Dordraceno S. D. E. Ruræmondensi Episcopo.

AD HÆC

Tertius Tomus Apologetici, qui habet operis epilogum & indicem, vnà cum Parænesi, ad illustrissimos Principes, & Romani imperij Ordines Protestantes.

Intertexta est varia S. œcumenici Concilij Tridentini defensio contra VVilhelmi Cemnicij, & aliorum vitilitigatorum sycophantias.

SACRARVM ORIGINVM CAPITA.

Quænam hoc opere ex Christi Euangelio, Apostolorum doctrina, & consentaneis orthodoxorum Patrum sententijs eruantur, videbis verso folio.



ANTVERPIÆ,

c. c. R.

Ex officina Christophori Plantini.

M. D. LXX.

1.Ioan.2. Quod audiſtis ab initio, hoc in vobis permaneat.
Galat.1. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Pro optatiſſima Germaniarum in vero Chriſti Ieſu Euangelio concordia

VOTVM WILHEL. LINDANI PAVLINVM.

Rom.15. *DEus pacis det nobis idipſum ſapere; atque ſentire inter nos mutuo ſecundum Ieſum Chriſtum; illuminatos ſpiri-*
Epheſ.3. *tu reuelationis ac ſapientiæ oculos mentis; Chriſtum habitare*
1.Corinth.1. *per fidem in cordibus noſtris, vt in charitate radicati & fundati idem dicamus omnes, ne ſint in nobis ſchiſmata: ſed vno*
Rom.15. *ore in fide vna verè Euangelicæ bonorum operum fœcunda honorificemus ipſum in Eccleſia, quæ eſt in Deo Patre noſtro,*
1.Theſſal.1. *& Chriſto Ieſu, ac Spiritu ſancto, Amen.*

TYPOGRAPHVS LECTORI CANDIDO SALVTEM IN CHRISTO IESV.

En damus tandem, Lector candide, alteram Apologetici huius pro religionis Catholicæ concordia ad Germanos partem: quæ reliquas ſcripti illius, quod Proteſtantes anno ſexageſimo ſecundo veluti nouam Confeſsionis ſuæ Auguſtanæ apologiam Francfordiæ à Ferdinando F. M. obtulerunt. Vale ac fruere feliciter, atque auctoris ſtudia, piaq; vota tuis aſsiduis ad Deum precibus gratus adiuua: boniq; conſule, quod partim in exilio, partim varijs in migrationibus tibi peperit.

SACRARVM ORIGINVM

FARRAGO HOC IN APOLOGETICO OBITER, PROVT MATERIA POSTVLABAT, TRACTATA.

IN-

INDEX CAPITVM HVIVS SECVNDÆ APOLOGETICI PRO RELIGIONIS CATHOLICÆ CONCORDIA PARTIS.

CAP.

Antithe. 21. Ordinatio ministrorũ Ecclesiæ sacramentũ est, testibus Melãchthone atq; Saxonibus.

solemniter distributa, & alibi in hunc vsque diem per Aquilonem legitimè fiat.

CAP. XLII. 194

Antithe. 22. De Cõiugio an sacramentum octo insignia degenerũ istorũ Apologeticorũ mendacia luculenter refutata.

Ordinationem esse veri nominis sacramentum, refellitur calumnia inuidiæ in clerum plenissima, & Ordo sacramentum conuincitur, ex Melanchtonis & aliorum Saxorum doctrina verbo Dei fulta.

CAP. XLIII. 201

Incredibile ostenditur degenerũ istorum Confessionis Augustanæ defensorum mentiendi studium, qui octo insignia in catholicos confingunt mẽdacia hîc luculenter admodum refutata.

Cœlibatus clericorũ, votaque piorũ religiosorũ defenduntur, & Apostolicæ demõstrantur esse originis. Prima fides viduarũ est votũ cõtinẽtiæ apud Paulum.

CAP. XLIIII. 209

Calumniæ in cœlibatum ecclesiasticorum plusquam sathanicæ proteruntur, atq; vota castitatis, aliaq; apostolicæ ostenduntur esse originis, locus Pauli; Quia primam fidem irritam feci ex perpetuo consensu PP. Orthodoxorum euincitur loqui de voto castitatis.

CAP. XLV. 226

Antithe. 23. De S. extrema Vnctione quod veri nominis sit sacramentũ, & cum litania administrandũ blasphemiæ Apologeticorũ plusquam sathanicę proteruntur.

S. Vnctionem extremam verum esse catholicæ Dei Ecclesiæ Sacramentum, tam apud Græcos, quam Latinos: & penes vtrosque legitimè illi adhiberi litaniam, siue piam Sanctorum inuocationem. refutantur blasphemiæ Anonymorum istorum Confessionis Augustanæ Patronorũ, plus quàm Sathanicæ in S. Oleum.

CAP. XLVI. fol. 235.

Antithe. 24. De traditionibus ecclesiasticis pijsq; Christianæ Ecclesiæ ritibus, vetustisq́ue ceremonijs. Origines sanctarũ consecrationũ apud Christianos à Christo, & Apostolis ortas.

Traditiones ecclesisticas, & ceremonias populo Christiano solemnes non esse magicas, diabolicas aut idololatricas: sed pias, euangelicas, apostolicas. Vbi earum eruuntur origines ex verbi Dei oraculis, & Prophetarum atque Apostolorum factis. Consecrare quid, & quomodo Christus Dom. Apostoliq; bonas Dei creaturas consecrarint signoq; crucis sanctificarint clarissimis historijs demonstratur incredibilis, planeque paradoxa sacrosanctæ dominicæ crucis virtus, & efficacia rebus corporalibus picta.

CAP. XLVII. 251

S. Crucis signũ olim in cõsecratione adhibitũ etiam ab ipsis Apostolis. Virtus paradoxa S. Crucis dominicæ si corporalibus rebus imprimatur.

Subiecta definitioni diuisio consecrationum ecclesiasticarum in sacramentales, & non sacramentales. ostenduntur, ceremoniæ baptismati adhibitæ, originem habere apostolicam. Vbi & de baptizandorum exorcismo per S. Crucem, quam & Lutherani plerique obtinent per Saxoniam, Lunenburg. Braunswijk &c.

Species variæ cõsecrationũ ecclesiasticarum, sacramentales, & non sacramentales. Consensus Saxonũ de exorcismo, quẽ baptizandis etiamnum cum S. Cruce adhibent eiurantes diabolum.

CAP.

litania partim ſit Græca, ſicuti & Miſſa in qua Gloria in excelſis, & Euangelium Græcum legitur.

Spectacula die Aſcenſionis, & Pẽtecoſtes probanda. Sanctarũ imaginũ Apologia, quas & Lutherus probat, & Lutherani reuerenter habent ſuis in ſynagogis VVitembergæ atq; Vlmæ.

CAP. LV. 330

Spectacula ad pietatem exhibita die Annunciationis, Paſchæ, Aſcenſionis à ſannis blaſphemorum defenduntur, vbi & generalis Sanctarum imaginum Apologia: quas & Lutherus probat & Iconoclaſtas damnat.

CAP. LVI. 334

Ieiunium eſſe præceptũ euangelicũ, & traditionem liquido apoſtolicã. Vbi de eius neceſſitate, & quã facilis ſit concordia ex Bucero demonſtratur.

Ieiunium non eſſe idolum Papiſticum, ſed præceptum euangelicũ, Traditionemq́; certe apoſtolicam pijs omnibus neceſſario ſeruandam. vbi ex Bucero docetur facillima concordiæ ratio.

CAP. LVII. 346

Oratio Dominica per Roſaria defẽditur.

Orationem dominicam per Roſaria recitatam non eſſe idolum vti ſanæ Anonymi blaſphemant Papiſticum. fol. 346.

CAP. LVIII. 348

Dierum feſtorum originem eſſe apoſtolicã.

Dies feſtos non eſſe Papiſticum idolum vti Anonymi iſti Confeſſionis Auguſtanæ rabulæ blaterant: ſed originem habere Apoſtolicam. 348.

CAP. LIX. 353

Calumnia de feſtorũ neceſſitate depellitur. Qui colẽda feſta. Cõcordia cũ Saxonibus de feſtis D. Mariæ & Corporis Chriſti facillima.

An feſta ſub excommunicationis pœna apud Catholicos præcipiantur, vbi de feſtorum vtilitate, & quòd verus ſit Dei cultus, & quid ſibi velit requies ab operibus corporalibus. Quomodo feſta Chriſtianè colenda, concordia de feſtis facillima cum Saxonibus, qui reuocare cupiunt feſta S. Mariæ, aliaque non hiſtoriæ Euangelicæ & feſtum Corporis Chriſti.

CAP. LX. 359

Epilogus huius 24. Antitheſeos refutatus.

Certa & indubitata cum Proteſtantibus veræ concordiæ via.

Refutatur Epilogus huius, 24. Antitheſeos, qui planè Turcicas ſpirat calumnias in Catholicam Chriſti Ieſu Eccleſiam: quòd ea non colit idola: ſed quæ ab Apoſtolis accepit, conſtanter obtinet vnà cum pleriſque Proteſtantium, ex Lutheri & aliorum conſenſu. Vnde via veræ cum Ordinibus Rom. Imperij Proteſtantibus concordiæ oſtenditur certa & indubitata, modò ipſi ſuis verbis ſtare, & nouæ ſuæ fidei magiſtris fidem dignabuntur habere.

ANTI-

ANTITHESIS SEXTA.

CAPVT VIGESIMVM.



EVndem prętextum nec in sequentibus doctrinæ capitibus locum habere nūc aggrediemur ostendere, sed paulò, quàm superiora, succinctius: quòd hęc minus habeant aut controuersiæ, aut grauioris difficultatis, aut iustæ denique obscuritatis. Sextam igitur antithesin præclari illi Confessionistarum Patroni sic explicant: affirmat scriptura, inquiunt, omnes homines naturali modo post lapsum primorū parentum, Adæ & Euæ propagatos cōcipi in peccato originis, cuius quidem peccati fundamentū seu reatus tollitur per baptismum, condonatione facta propter Christum, actu autē manet ipsum materiale & effectus huius mali, adhærens homini, donec in hac vita manet; adeo vt hæc prauitas nobiscum nascens spiritui sancto, quo renati donantur, vsquè & assiduè aduersetur, & omnia bona opera contaminet, ne in ea perfectione & integritate persistant, quam lex Dei requirit. *Antith. 6.* De peccato Originali.

WILHELMI LINDANI RESPONSIO.

Peccatum originale per baptismum tolli, quo ad reatum, si Anonymi isti Confessionistarum Apologetici ex animo docerent, quod verbis profitentur, nulla esset eis cum Catholicis controuersia hoc in dogmate reliqua. Agnoscūt enim Catholicos sibi concorditer contra Pelagianos, & veteres & nouos Swinglianos siue Caluinistas docere, peccatum originis in baptismo tolli & aboleri; sed ita tolli (inquiunt fol. 119) vt homo in vita Deum ex toto corde amare possit: quā in postrema parte dissensio est. Cōsensio, quòd peccatum originale per baptismum tollitur.

Nam istud negant aduersarij affirmantes hanc originis nostræ prauitatem omnia opera bona contaminare, ne in ea perfectione & integritate persistāt, quam lex Dei requirit. Quod Confessionistæ tolli peccatum originale re ipsa negant & quanta eius dogmatis impietas.

Confeſſioniſtarũ dogma quàm ſit ex diametro diuinis ſcripturis aduerſarium, quã ſit perpetuo PP. orthodoxorũ conſenſui contrarium, quanta deniq; ſit cum Chriſti baptiſmatis, imo diuinę ipſius maieſtatis iniuria coniũctum, paucis nũc eſt conſiderandum. D. Paulus S. baptiſma docet eſſe ſacramentum non modò regenerationis, ſed & renouationis Spiritus ſancti: quippe quo auctore atque effectore totus homo & regeneratur & renouatur.

Ad Titum 3.

Quicquid ergo in anima hominis eſt, emundatur, renouatur, inſtauratur. (hac enim hominis parte Chriſti regno exordium eſt, Adamicæ illi origini, quæ à corpore orditur, contrarium) vnde & illa animę prauitas, quæ naſcendo contracta eſt, omnibuſq. ad vnum Adæ filijs ingenita, oportet per Chriſtũ Adam ſecundum repurgetur, ſanetur, renouetur.

Alioqui enim ſi anima Chriſti ſpiritu regenerata ſiue viuificata, & vti Paulus teſtatur, renouata, iſto vetuſto atque originalis prauitatis cõtagio eſt, dum in corpore agit, immunda, polluta, contaminata, nondum eſt verè renouata, nedum vere ſanctificata. Nam hac vetuſtatis per Adæ peccatum inflictæ labę nondum eſt repurgata, nedum liberata. Quod quàm ſit abſurdum, & Paulinę doctrinæ ex diametro cõtrarium, perſpicere omnibus eſt facillimum.

Aſyſtaton doctrinæ aduerſariæ, Aiunt peccatum Orig. verè ſublatum, tamen contaminare baptizatos.

Anoſcunt quidem aduerſarij originalis peccati fundamentum (inquiunt) & reatum per baptiſmum tolli. Quod ſi verè agnoſcunt, iam nobis, imò veritati Apoſtolicæ atque Euangelicæ conſentiunt. Si enim reatus peccati originalis eſt ſublatus per Chriſti baptiſma non amplius contaminat.

Nam ſi ſublatus eſt peccati reatus, non poteſt reum facere, neque hominem, cui eius effectus nõ ineſt, Deo opt. Patri odibilem, nedum exoſum reddere. Quia ſublata odij diuini cauſa, quæ ſola eſt peccati reatus, Deus hominem non poteſt non diligere, ſuamq́ue imaginem Chriſti iam ſanguine ablutam, mundatam, repurgatam, adeoq́ue Spiritu ſancto ſuo ſanctificatam, ornatam, dotatam ex animo non adamare.

Liquet igitur Catholicos multò excellentius Chriſti gratiam & ſacramentorum eius prædicare efficaciam, quàm aduerſarios Chriſti gratiæ æmulos: illi enim ſemel tolli, & aboleri do-

ri docent, ita vt nihil ſit baptizatis ſecũdum Pauli doctrinam damnationis; ijs inquam, qui poſt baptiſmum non ſecundum carnem ambulant: hi verò tolli quidem peccati originalis reatum, ſed qui tamen bona opera contaminet. Hoc Confeſſioniſtarum dogma conſiſtere non poſſe, inde fiat perſpicuum, quòd ſublatus peccati reatus contaminare non poteſt. Si enim verè ſublatus eſt, vti verbis quidem affirmant Confeſsioniſtę, non exiſtit. Porrò quod non exiſtit, non operatur, non inficit, non cõtaminat. Econtrariò, ſi contaminat, vitiat, defœdat, violat, adulterat, vereq; deprauat, verè etiam exiſtit. Non ergo vere ſublatum eſt, quod imprudenter, aut potius temere, quia aſyſtaton eſt, affirmãt iſti delecti Confeſſioniſtarũ defenſores.

Rom. 8.

Aſyſtaton Confeſsioniſtarum, Si peccatũ Originale poſt baptiſmum contaminat, nõ eſt ſublatum.

Cùm igitur peccati Originalis fundamentũ, vti appellant, ſiue reatus, ſit per Chriſti ſacramentum ſublatus ex vtriuſque partis Confeſſione, de eius materiali ſiue effectu pridem omnibus ad vnum hominibus inflicto nunc diſputatur, an ſit poſt baptiſmi gratiam peccatum, quod aduerſarij docẽt: an ſolum animæ infirmitas, morbus, languor, & vt plurimum dicamus, aſſidua ad peccandũ tentatio? vti Catholici ſcripturis & Vet. PP. ſententiis concorditer docemus.

Agnoſcimus ſanè hunc animæ languorẽ & vſque & vſque, adeoque aſſiduè Spritui ſancto dudum in baptiſmo per Chriſti gratiam infuſo aduerſari, reluctari, repugnare liberrimeq;, imò licentioſiſſime belligerari: ſed citra hominis rationi illi carnis ſuæ nondum renouatæ, aut à vetuſti contagij ſui labe vindicatæ repugnantis, animoque diſſentientis culpam, contagiũ, aut reatum. Niſi enim cõſentias illis prauis animæ, ſiue potius carnis motibus; reum nõ fecerint: cùm ſaluti adeò nõ obſint aut noceant, vt eam promoueant magis. Vitium enim illud Originale D. Augu. docet in renatis (inquit lib. 2. de pec. merit. cap. 28.) manere in vetuſtate carnis tanquam ſuperatum & peremptum, ſi non illicitis conſenſionibus quodã modo reuiuiſcat, & in regnum proprium, nationemq; reuocetur. Similiter concione 3. in Pſal. 118. Non deniq; languor (inquit de concupiſcentia agens poſt baptiſmum reliqua) nobis obeſſet, quamuis ineſſet, ſi deſideriis eius illicitis nullis vnquã obedientiã præberemus ſiue operatione, ſiue loquutione, ſiue ta-

Praui motus nõ contamiuant, nedũ reum faciunt niſi conſentias Auguſt. de peccat. meritis.

Peccatũ Orig. in renatis eſt mortuũ ſed cõſentiendo eius motibus quaſi reuiuiſcit.

cita assensione, donec ipse sanaretur &c. Lōgè omnium apertissimè istud D. August. docet lib. 1. de Nuptiis & Conc. C. 33. concupiscentiam in regeneratis non esse peccatun, quando ei non cōsentitur, nec eius reatū valere sinit gratia Christi: quia vt initio Cap. dixit: expiatur concupiscentia sacramento regenerationis; reum facit si vicerit. Vnde rectè colligimus nō reos facere baptizatos concupiscentiam, si non vicerit; hoc est, non obesse saluti, nisi mentem baptizati in consensum pellexerit, siue traxerit in quem finem semper spiritui reluctatur, hominemque renatum non desinit assiduè oppugnare.

Reatum peccati Orig. valere non sinit gratia Christi, vnde nec reū concupiscentia faciat nisi consentias.

Cæterùm hanc assiduam spiritus hominis in Christo renati contra suam carnem, eiusque carnalia desideria luctam testantur illa D. Pauli à Confessionistis allegata loca, Ro. 7. & 8. Gal. 5. quę nostræ doctrinæ suffragātur. Diserte namque affirmamus in renatis esse malum, quod nos quidem ad malum impotenter solicitat, blandè inuitat, vehementer inclinat, violenter etiam subinde trahit, atque à bono retrahit: sed non est per se malum, nisi consensus mētis iam renouatæ, vti demonstrauimus, accesserit, victoriamq; contra spiritum renatis inhabitantem mentis ignauia, voluptate, aut consensione de homine reportarit: hac in lucta si absit animi atque rationis, siue mentis consensus, nihil oberit pugnantis saluti. Siquidē nihil est Damnationis iis, qui in Christo sunt, qui non secundum carnem ambulant.

Loca ex D. Paulo ab aduersarijs allegata pro nobis stare.

Hi ergo qui resistunt cupiditatibus carnalis animæ, qui desiderijs seculi repugnant, qui concupiscentiæ mundi reluctantur, & iuxta Pauli monita, pro virili membra sua mortificant; vt non dominetur ipsis peccatum, omnis planè reatus sunt expertes, nulloque peccati contagio contaminantur, aut inquinantur. Istę enim peccati originalis reliquiæ nondum sublatę, ad exercitium virtutis dudum per Spiritum sanctum cōmunicatæ relinquuntur: quæ vti magnum quidem facessunt piis negotium, ita gloriosam in primis, si vincantur pariunt legitimè pugnantibus coronam, adeo enim non sunt peccata, si non accesserit mentis consensio, quæ nouam illis pariat de homine victoriam, vt diuina auxiliante gratia, solidam piis præbeant bene merendi materiam.

Rom. 5.
Rom. 8.

Rectè

Rectè igitur de istorum latrunculorum vsque & vsque nostræ saluti insidiantium, imò facta quasi in nostram pernitiem coniuratione, infestissimè oppugnantium victoria soliciti omnes assiduè ingemiscunt, veriti, ne alicubi fallacia peccati decepti, aut blanditijs pellecti, à recto excidant: orant Pater noster cælestis ne nos inducas in tentationem. Nam illud Orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita, non pertinet ad peccati originalis labem. Est enim hæc filiorum Dei oratio propria. Vnde nec in Ecclesia olim dicebatur à Catechumenis, nisi baptizatis. magno igitur errore annotát Confessionistarũ patroni Sanctos assiduè cogi ingemiscere super hoc malo, quod hæret in natura humana, & clamare, Remitte nobis debita.

Hebr. 5.

Error Confessionistarũ fœdissimus. Confessionistas deprauare Orat. Dominicã, quę non orat pro peccati originis remissione.

Atqui si verum dixistis viri boni, iam per Christi baptismũ sunt illa originis debita remissa, quia sublatus, vti verbis profitemini, est reatus. Rectius cum D. Augustino nobiscũ concorditer sentiretis illam Orationis Dominicæ, particulam non agere de originali peccato. nec propter ipsam, inquit, concupiscẽtiam in baptizatis reliquam, cap. 13. contra 2. Epist. Pelag. cuius reatus iam lauacro regenerationis absumptus est, dicũt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra: sed propter peccata, quæ fiunt eius consensionibus.

" D. August. cõtra 2. Epistolas Pelagianorũ negat orationẽ Dominicã dici à Baptizatis propter concupiscentiam aut peccatum originale: cuius iam reatus est abolitus D. Hiero.

Quàm verò præposterè timeant Confessionistæ vbi non est timor, id est, illic esse peccatum, vbi non est peccatum. D. Hiero. epist. ad Oceanum scitè admodum disserit: Omnia nobis in baptismate, inquit, condonata sunt crimina, nec post indulgentiam, Iudicis metuenda sententia est, dicente Apostolo: Sed hæc quidem fuistis, sed abluti estis. Omnia peccata donata sunt bene & fideliter.

Omnia peccata in baptismo sunt fideliter condonata.

Illa verò ex Psalmis capitula, Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo. Similiter, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit! ad alia peccata pertinent post baptismi gratiam perpetrata.

An non Deum, Confessionistæ, iniustum facitis, qui ipsum iudicare facitis peccata olim cõdonata? Si reatus sublatus est, perijt, nõ existit, in iudiciũ vocari nõ potest. An nõ & fides vestra vobis testatur Deum nõ bis iudicare in idipsum? quod fieret, si peccatum semel remissum, vt agnoscitis, iterũ raperet

Improbi Confessionistarum patroni Deum faciunt iniustũ locaq; Psalmorum falsa sententia detorquent.

in iudicium. Non ergo de his peccati Originalis iniquitatibus ſolicitus laborat Dauid,ſed ſuo de adulterio,de homicidio, ac propè paricidio, poſt condonatum ipſi pridem originalis culpæ reatum.

Sed plus prẹſidij ſibi pollicentur aduerſarij ad nouam ſuam doctrinam ſtabiliendam ex veterum Patrum, inquiunt, teſtimoniis: cùm tamen vnum allegent Auguſtinum.

Quòd peccatũ, Originis plenè aboleatur in bapt. in ita vt non ſit, nedum obſit.

Proinde recitatis aliquot Orthodoxorum PP. teſtimonijs piam Catholicorum doctrinam confirmantibus demonſtrabimus & D. Auguſtinum illis,nobiſq; cõcorditer ſenſiſſe, neque loca ab aduerſariis ex ipſo contra nos allegata quicquam Catholicæ aduerſari Eccleſiæ.

D. Cypriano Baptiſmus eſt mors criminũ, vita virtutum.

D. Cyprianus eximias Chriſtiani baptiſmi prædicans laudes epiſtola ad Donatum, ait Baptizatum,quòd prius fuerat exponere,hominem animo ac mẽte mutari. Deinde poſt quædam, ſed poſtquàm vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa in expiatum pectus ac purũ deſuper ſe lumẽ infudit,poſtquàm cẹlitus ſpiritu hauſto in nouum me hominem natiuitas ſecunda reperauit,mirum in modum confirmare ſe dubia, &c. vt eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixiſſet: Dei eſſe cœpiſſe,quod iam Spiritus ſanctus animarat. Scis ipſe profectò, & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis, quidúe contulerit mors iſta criminum, vita virtutum. Si baptiſmus mors eſt criminum, quonam animi receſſu tuta latet iſta concupiſcentia, vt non enecetur? Iſtud diſertius Serm. de ſtella & magis declarauit Spiritus ſanctus, & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubiectos ſibi fouet & abluit:quo baptizante idem occiſio, quod merſio operatur; qua extincta peccati vitam, virtutemq́ue emortuam vtriuſque rei continet ſacramẽtum. Similiter ad magnum epiſtola 7.lib.4.lib.4.docet Diaboli nequitiam pertinacẽ vſq; ad aquam ſalutarem valere: In baptiſmo verò omne nequitiæ ſuæ virus amittere. Si diabolus omne ſuæ nequitiæ virus in baptiſmo amittit, ſi extincta eſt peccati vita,quonam ſinu animi poſt baptiſma hæret non trucidata, non extincta ſpiritu Chriſti concupiſcẽtia? Idem & Arnobius ſentit omne tolli atq; aboleri, vt non ſit peccatum. Nullus inuenitur

Peccati vita extinguitur Baptiſmo, & eius vis emoritur Cypria.

Nequitia diaboli omne ſuũ virus amittit in Baptiſmo.

Arnobius docet Baptizatos non habere peccatum.

uenitur (inquit Con. in Pſal.104.) vel vnus peccatum habens in hora baptiſmatis;alioqui ſi peccatum habet, non credidit, cum Ægyptiis merſus eſt.

D. Baſilius affirmat in Baptiſmo ſolui ac remitti omne æs alienũ: omneque priſtinũ debitum.

D.Baſilius Chriſtiani baptiſmatis effecta prędicãs,illud docet eſſe captiuorum liberationem Serm.de S.baptiſ. debitorũ remiſſionem, peccati mortem, animæ regenerationem;cùm paulò ante dixiſſet per baptiſmũ nos ab amara diaboli tyrannide liberari,in eo Deum offerre nobis non aurum,non materiæ illuſtrem colorem, ſed animæ puritatem, liberationem à ſeruitute,ſolutionem ab omni ære alieno,omniquè debito priſtino. Ideoque in procraſtinatores exclamat:renouaris & non conflaris, reformaris & non contereris, ſanaris & non dolore affligeris,& non conſideras beneficium.

Baptiſmus eſt peccati mors D.Baſilio.

Gregor. Naziãzeno baptiſmus eſt diuinior reformatio,imaginis Deprauatæ inſtauratio, omnimodã cõtinens vitiorũ omnium expulſionem.

In eandem ſentẽtiam & D.Gregorius Nazianz. Orat. in S. baptiſma ſcribit,poſtquàm dixiſſet Deum opt. ſuam creaturã reformaſſe reformatione diuiniori,ac prima illa excelſiori;quę quidem inchoantibus eſt ſigillum, ac ijs qui robuſtiore ſunt ætate,gratia,& paſſiuæ imaginis ob malitiam emendatio; ſiue vt in Gręco eſt καὶ τῆς παθούσης εἰκόνος διὰ τὴν κακίαν ἐπανόρθωσις, atque imaginis ob improbitatem afflictæ caſtigatio atque deperditæ inſtauratio,ſubiecit: ſiquidem ipſa baptiſmi gratia & virtus non mundi cataclyſmum ſiue diluuium, vti olim, ſed vniuſcuiuſque peccatorum purgationem continet,καὶ παντελῆ ῥῖψιν τῶν ἀπὸ κακίας εἰσελθόντων συγχωσμάτων καὶ μολυσμάτων;atque omnimodam,plenariamque fœditatum & inquinamentorum à vitio ingreſſorum abiectionem & expulſionem. Rurſus duplex eſt purgatio per aquam & Spiritum,vna quidẽ typica, altera vera, quæ & τὰ βάθη καθαίροντος,profunda expurgat, quæ & prioris generationis facta auxiliaria, nouos pro vetuſtis, καὶ θεοειδεῖς, deiformes,pro eo quod nunc ſumus,efficit.

Baptiſmus omnes animi latebras expurgat, & facit deiformes.

D. Ambroſius baptiſmo iuſtitia omnis impletur.

Eandem doctrinam de plenaria omnis peccati expiatione & D.Ambroſium tenuiſſe,paucis aliquot verbis demonſtrabitur, nouerat Dauid (inquit Apologia eius) ſecundum legem plura quidem eſſe mundandi ſubſidia, ſed nullum plenũ atq; perfectum.Ad illud ergo perfectũ tota intenſione feſtinat,quo iuſtitia omnis impletur, quod eſt baptiſmatis Sacramentum. Rurſus, ſupra niuem dealbatur, cui in Baptiſmo culpa dimittitur.

titur. Et epiſtola ad demetr. Dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri. Vaſa iræ in vaſa miſericodiæ transferũtur, & in corpus Chriſti cõuertitur corpus peccati, de impijs iuſti, de captiuis liberi, de filiis hominũ fiunt filij Dei. Similiter ſerm. 27. moritur in baptiſmo concupiſcentia peccatorũ, viuificatur ordo virtutum: & inferius, in tantum id quod prius eramus in baptiſmo interimitur, aufertur, extinguitur, vt id quod poſtea ſumus, denuò natum credamus.

Vaſa iræ fiunt vaſa miſericordiæ.

Concupiſcentia in baptiſmo moritur.

Quod prius eramus aufertur, & extinguitur.

D. Chryſoſtomus.

Hanc doctrinam de vera animorum noſtrorum ab omnibus peccati ſordibus expiatione luculentiſſimis ſanè verbis D. Chryſoſt. nobis depingit. Quemadmodum bonus medicus (ait homil. 11. in Cap. 3. ad Philipp.) parat pharmaca pretioſiſſima, eaque primus ipſe deguſtat. Virtutem enim ipſe primus exercuit, atque ita & nobis dedit. Et primum veluti antidoton quoddam pharmacum dedit baptiſmi lauacrum, καὶ οὕτως πᾶσαν ἠμέσαμεν κακίαν, καὶ πάντα ἔφυγα δ᾽εὐθὴ ἄθροον, καὶ ὁ πυρετὸς ἐσβέσθη, καὶ αἱ σηπεδόνες ἐκαύθησαν. πάντα γὰρ καὶ τὰ ἀπὸ πλεονεξίας, καὶ τὰ ἀπὸ θυμοῦ, καὶ τὰ ἄλλα κακὰ ἐκενώθη διὰ τοῦ πνεύματος, quod latinis ſonat. Et hac ratione omnem euomimus malitiam atque nequitiam, effugataque ſimul omnia, inflammatio ceſſit, febris extincta, putredines exſiccatæ ſunt. Nam omnia quæ erant tam ex auaritia, quàm ab animi tumore, ſiue iracundia, & reliqua omnia euacuata ſunt & eiecta per ſpiritum. Sic & homil. 4. in cap. 15. Corinth. Reges & ſi peccati ſupplicio, inquit, liberant & abſoluunt, peccato non liberant. Solus Deus id poteſt, quod in regenerationis lauacro facit. αὐτῆς γὰρ ἅπτεται τῆς ψυχῆς ἡ χάρις κἀκεῖθεν πρόρριζον ἀνασπᾷ τὴν ἁμαρτίαν. Illius regenerationis enim gratia animã tangit, & illinc ſiue ex ipſa anima radicitus ſtirpitusque peccatum euellit. Vnde & eius, cui rex peccatum donauit, animam videre eſt inquinatam; non amplius autem baptizati, ſed ſolaribus radijs puriorem, & qualis erat dum conderetur, imò hac multò illuſtriorem. Nam ſpiritu fruitur, vndique ipſam inflammante & ſanctificationem intendit, & quæ ſequuntur.

Efficaciſsimum animorũ pharmacum baptiſmus, quo Spiritus ſanctus omnes peccati fibras euellit, funditusq; abolet.

Baptiſmo peccatum ſtirpitus euellitur.

Anima Baptizati nõ amplius eſt peccato inquinata.

D. Gregorius Nyſſenus.

D. Gregorius Nyſſenus ciuile bellum vitiorum vbi docuiſ-

ſet manere in baptizatis, non tamen (inquit, D. Auguſt. teſte 2. libro aduerſus Iulia.) talia ſunt vitia, quæ peccata dicenda ſunt, ſi ad illi cita opera Spiritum non trahant.

In Baptizato nõ eſt peccatum.

D. Auguſtinum eadem etiam fuiſſe ſentẽtia paucis aliquot locis demonſtrabimus. libro 6. aduerſus Iulia. cap. 5. docet gratiam baptiſmi hominem perfectè innouare, quantum ad liberationem, inquit, ab omnibus omnino peccatis; non autem ab omnibus omnino malis, aut corruptione naturæ. Rurſus omni peccato caret Baptizatus, non tamen omni malo: quod planius ita dicitur, omni reatu caret, non omni malo. Cap. 8. docet eandem concupiſcentiam eſſe quidem iniquitatem, ſed quę poſt reatum remiſſum baptizatos, inquit, non facit vllo modo reos, nullaque damnatione detineri. Et cap. 12. atque 13. diſertè pronuntiat baptizatos non teneri antiquo patris Adæ debito. Similiter lib. 1. de nupt. & Conc. cap. 27. Ipſa quidem concupiſcentia in Baptizatis, inquit, iam non eſt peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentitur, & cap. ſequenti. Concupiſcentiæ reatus quando remittitur, aufertur, hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Et cap. 26. remittitur ergo concupiſcentiæ manentis reatus, vt in peccatum nõ imputetur: ſed aufertur, ita vt non maneat.

D. Auguſtinus.

Baptiſmo liberari hominẽ ab omnibus omninò peccatis.

Concupiſcentia baptizatos non facit vllo modo reos: cũ in eis nõ ſit peccatũ, ſed vitium, animiq; languor.

Concupiſcẽtia in baptizatis nõ eſt peccatũ: cuius reatus aufertur, ita vt non maneat.

Vnde prodigioſum eſt apologiæ Confeſſionis Auguſtanæ mendacium, quę citat Auguſtini teſtimonium, quod ait; peccatum in baptiſmo remittitur, non vt non ſit, ſed vt non imputetur: cùm iſtud nuſquam reperiatur.

Addit eadẽ apologia ita hãc Auguſtini ſententiam placuiſſe poſterioribus, vt recitata ſit in decretis; quod alterũ eſt mendacium: Cùm vtrobique legatur. Concupiſcentia remittitur vel euacuatur, non vt non ſit, ſed ne obſit. quod D. Auguſtinus lib. de paruulorum baptiſmo diſertè interpretatur de lege peccati repugnante in baptizatis legi mentis, qua cum poſt remiſſum concupiſcentiæ reatum omnibus eſt pugnandum. Verùm iſtis tam apologiæ, quàm ſuæ confeſſionis Auguſtanæ mendacijs colligendis atque profligandis alius erit Deo propitio, & locus & labor. Poſt tam luculenta D. Auguſtini & aliorum PP. orthodoxorum teſtimonia Catholicæ doctrinę

Inſignia duo Apologiæ Confeſsionis Auguſtanæ mendacia ad doctrinam de peccato Orig. deprauandam.

Vide Gratian. de conſecrat. diſt. 4. C. Per baptiſmum.

de ablato concupiſcentiæ reatu conſentanea, prodeant nunc illa loca, quæ à verſutis iſtis anonymis confeſſioniſtarum patronis ad imperitorum fucum ſunt oppoſita.

Quod igitur primo loco obijciunt ad ſuam ſtatuendá antitheſin, ipſos tam perſpicuè iugulat, vt lector attentus facilè coniiciat ipſorum animos domo, quod vulgò dicitur, abfuiſſe, longiſſimeque peregrinatos.

Responſio ad loca PP. Catholicis oppoſita.

Auguſtinus, inquiunt, lib. 1. de nupt. & Conc. 25. docet, dimitti concupiſcentiam in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt in peccatum non imputetur. Atqui iſtud, vobis viri boni aduerſatur ex diametro: Vultis enim in veſtra antitheſi, ex Dei verbo & PP. teſtimonijs demonſtrare prauitatem peccati Orig. manere poſt baptiſmum, quæ opera noſtra omnia aſſiduè contaminet. Iam D. Auguſtinus à vobis hîc recitatus expreſſè docet, reatum concupiſcentiæ, ſiue peccatum Originale eſſe ſolutum & remiſſum, licet maneat ipſa ad mortem vſque concupiſcentia, non quidem vt peccatum, ſed vt vitium, vt malum, vt naturę languor. quod D. Auguſtinus diſertè profitetur in ipſa quæſtione, cui hæc verba à Confeſſioniſtis callidè allegata reſpondet. Si autem quæritur, inquit initio huius 27. cap. quomodo iſta carnis concupiſcentia maneat in regenerato, in quo vniuerſorum facta eſt remiſſio peccatorũ, &c. aut certe ſi in baptizato poteſt & eſſe & nó eſſe peccatũ, cur eadé in ipſa prole peccatũ ſit. Ad hæc, ait Auguſtinus, reſpódetur, Dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Quamuis autem reatu ſuo iam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas. Vides ergo lector candidè D. Auguſtinum hoc ipſo loco diſertè profiteri, concupiſcentiam in baptizato parente non eſſe peccatum, quod negant Confeſſioniſtæ, ſuis ſe ipſi verbis iugulantes. Manere namque eam docet Auguſtinus, ſed reatu ſuo ſoluto atque remiſſo cum aliis vniuerſis peccatis: quod expreſſè interpretatur eam non eſſe peccatum, in ſua antitheſi in quęſtione expoſita: Nam aſſerit eam in parente baptizato eſſe quidem, ſed non eſſe peccatum: quæ ipſa tamen in prole ex illo nata, nondum renata, peccatum eſt.

Aſyſtaton aduerſariorũ, qui ſuis ſe jugulant verbis ex D. Auguſt. citatis.

Nota cócupiſcentiam in baptizatis eſſe, & peccatum non eſſe.

Eadem concupiſcẽtia in nõdum baptizato peccatum eſt, quæ in patre baptizato peccatũ nó eſt.

Porrò alter locus ex D. Auguſt. contra Iulianum plus videtur

detur prima facie habere difficultatis, vbi dicit concupiscentiam esse & peccatum,& pœnam peccati, & causam peccati. Verùm si scopum disputationis contra Iulianum illic institutæ nobis præ oculis proponamus,nihil hæc sententia efficit ad nouum Confessionistarum dogma statuendum. Nam Iulianus pelagij defensor, gratiæ diuinæ imò Crucis Christi hostis negabat naturam humanam Adæ peccato vitiatam: sicuti & peccatum esse vllum in pueris, quod Christi gratia sanaretur. Ideoque hanc libidinem siue concupiscentiã esse bonam atque laudabilem,minimeque malam affirmabat. Neq; ideo etiam malam dicendam, quòd esset pœna peccati, quemadmodum Augustinus scripsit: quod in eo reprehendendum putauit. Isti impietati vt solidè occurrat D. Augustinus, ostendit exemplis hanc concupiscentiam homini ingenitam non solùm non esse laudabilem,aut bonam,quod Antagonista Iulianus contendebat; sed malum, atque peccati pœnam, & caussam,adeoque peccatum: non tamen proprij nominis, vti hîc loquimur,sed generaliter hoc est esse iniquitatem, vti superius lib.2.ex D. Ambrosij sententia appellarat; siue malum quoddam,languorem & naturæ vitium: quod per se, nisi accedente mentis consensione,non potest peccati rationem sustinere. Docet ergo eam peccatum esse,id est, malum atque naturæ deformitatem,siue corruptionẽ, quod Latini vitium dicunt: quòd citra peccati veri rationẽ in homine esse queat: nisi consensu pristinam in nos recuperet dominationem, vti D. August. alibi edisserit. Est enim in carne, siue inferiore hominis parte, quam Philosophi irascibilem & concupiscibilem nunc appellant, inobedientia mentis, cui illa parere ex officio,imò ex origine debeant: sed quæ citra mentis consensionem nobis mortem parere nescit, teste D.Iacobo Apostolo; non enim illa mortem parit, nisi & conceperit & consummetur.

Ad locum ex D. Augustino contra Iulianũ.

Concupiscẽtia quo sensu dicatur aliquando, & iniquitas & peccatũ, etiam post baptismum.

Taceo nunc quòd ne baptizatorum quidem D. Augustinus hac in disputatione contra Iulianũ habita meminit: Sed quòd concupiscẽtiam hanc in baptizatis reliquam hoc loco D. Augustinus proprij nominis peccatum faceret, studioso lectori, qui totam hanc disputationem perlegerit, aliaq; huius operis

contra Iulia. elaboratiſſimi cum illis dudum commemoratis in mentem reuocarit, meritò videbitur longe abſurdiſſimum. Diſertè enim affirmat omnia omnino peccata eſſe in baptiſmo remiſſa & abolita; ita vt iam omnino non ſint. lib. 2. cap. 2. ex teſtimonio D. Ambroſij. rurſus omni peccato, imò omni reatu carere baptizatos lib. 6. cap. 5. Item, concupiſcentiam eſſe quidem iniquitatem in baptizatis ſed quæ ipſos nullo modo (inquit lib. 6. cap. 8.) facit reos, nulloque debito, nedum damnatione (ait lib. 6. cap. 12. & 17.) detineri. Ad hæc ne quid ambigas amplius, concupiſcentia in baptizatis (inquit lib. 1. de Nupt. cap. 7.) iam non eſt peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentitur.

Concupiſcentia baptizatos non facit reos, aut vllo debito detineri.

Imò diſertè negat D. Auguſtinus contra Confeſſioniſtas remanentis poſt baptiſmum concupiſcentiæ reatum manere, ita vt nō imputetur; ſed aufertur (inquit lib. 1. de Nuptijs cap. 26.) ita vt non maneat.

Reatus concupiſcētiæ per baptiſmum tollitur: non autem manens nō imputatur.

Neque verò tertius D. Auguſtini locus nouam Confeſſioniſtarum ſtatuit doctrinam. Quòd enim loco à Confeſſioniſtarum propugnatoribus allegato, ait vnde peccator! video aliam legem in membris meis, &c. Luculenter eadem periodo explicat eundem, cuius hæc eſt vox, eſſe quoque iuſtum. Nam ſic habet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem; Ecce iuſtus.

Ad III. locum D. Auguſtini reſponſio, quòd Catholicā ſtatuat doctrinā.

Vides ergo Chriſtiane lector D. Auguſt. agnoſcere iuſtos, qui peccato ſemel in baptiſmo liberati condelectantur legi Dei, quáuis ad peccatum aſſiduè ſollicitet illa peccati lex noſtris in mébris adhuc reliqua, donec Dei gratia tota cum alijs infirmitatibus ſanetur: ſed quæ nobis, niſi volentibus, & cōſentientibus non dominatur, neq; priſtinum in nos ſine nobis, id eſt citra noſtram conſenſionem ſibi vindicare poteſt imperium, duramque tyrannidem. Iuſti autem non eſſent ij, de quibus Auguſtinus agit, ſi omnia ipſorum opera bona contaminaret malū illud, quod in carne quidé adhuc mortali atq; morbida habitat, ſed ſpiritui reluctāti cùm nō dominetur, pios minimè cōtaminat, nō polluit, non prophanat, nedū perdit, aut dānat.

Liquet igitur Catholicorum doctrinam de ablato omni concupiſcentiæ poſt baptiſmum reliquæ reatum, ac omnibus

ſemel

ſemel peccatis extinctis, deletis, abolitis, ita vt nō obſint, imò vt nō ſint, aut maneant, nō ſolum ſcripturarū ſententijs eſſe cō ſentaneā, atq; perpetuo orthodoxorum PP. teſtimonijs conſtabilitā: ſed eximiè admodū illud ſingulare Chriſti Domini beneficiū in baptiſmo præſtitū prędicare, quod aduerſarij Crucis dominicæ inimici ſacrilega impietate conantur obſcurare, malignè extenuare, inuidè infirmū, inualidūq; extenuare, deniq; plus quàm ex dimidio peſſundare, vereque profligare.

Quæ namque cæleſtis gratiæ vis erit atq; efficacia, ſi quod ſerpens ille antiquus pernitioſum afflauit virus non ſanat, non tollit, non extinguit? Quænam Chriſti redemptoris de diabolo victoria, ſi teli eius venenatiſſimi, quo ad mortem vſque ad vnum omnes perimus, non ſanat, non inſtaurat vulnera? Quis denique Chriſti ſaluatoris de peccato triumphus, ſi vel poſt Chriſti baptiſma, hoc eſt poſt verum animarū noſtrarum pharmacum, illa viget, regnat, adeoquè imperium adhuc poſſidet, vt vſq; & aſsiduè omnia noſtra ſuo virulento afflatu contaminet, imò perdat pia opera? Quàm ſit blaſphema, & inuida in Chriſti gratiam noua Confeſsioniſtarum doctrina.

Sed percallidè ſanè vetus ille Serpens, ne totus, neque ſolus pereat, fideles aliquot ſibi cōciliat cōmilitones, qui prætextu Euāgelij priſcū illum ſui Procli Origeniſtę ob orco in lucē reuocent errorē iam pridē Eccleſiæ Dei Catholicæ præiudicio damnatum: nimirum, viuere adhuc Adæ peccatum in nobis, dum iſtud viuit corpus quod intus in nobis. radices ſuas abſcondat quemadmodum D. Methodius apud Epiphanium lib.2.Tom.1 recenſet, etiam ſi forinſecus per caſtigationem & admonitionem ſectiones fuerit refrenatum. & infra: Quare conſtat contrahi quidē ac ſopiri nunc per fidem peccatum, vt ne fructus noxios producat, non tamen radicitus tolli. rurſus, adeo nondum contigit peccatum funditus tolli ac radicitus exſcindi; non enim penitus moritur ſed viuit. Serpens antiquus per Confeſsioniſtas priſcam Procli Origeniſtæ hæreſim ab orco reuocat.

Itaquidem Proclus ille Origeniſta, qui non eò impietatis fuit prolapſus, quo iſti peruadunt Euangelici; qui priſcas impiorum hæreſiarcharum hæreſes renouātes, noua etiam ipſas vincunt impietate. Confitētur ergo Confeſſioniſtę cum iſto Origeniſta peccatum poſt aquam purificationis & illuminationem, ſiue vti hodie loquimur, poſt ſuſceptum baptiſmi

Sacramentum,manere, & ſupereſſe illud Adæ peccatum, adeoq́ue viuere.

Origeniſta Proclo, magis in Chriſtũ ſunt impij Confeſsioniſtæ, docentes peccatum Orig. non occidi atq; aboleri baptiſmo Chriſti.

Verùm cautius, imò moderatius, addo & verius ille Origeniſta negat,etſi viuit,ſopiri tamen atq; contrahi,neque edere fructus noxios: Iſti contra, multò magis impiè affirmant non ſopiri,non reſtringi,ſed tegi,occultari: nec ſolum fructus producere noxios, ſed ſuos motus perficere,omniaq; adeò noſtra bona opera contaminare. Atqui nos Catholici orthodoxorum.PP. veſtigijs inſiſtentes peccatum omne baptiſmo mortuum, extinctum, deletum, abolitum,& quod contaminare, neque obeſſe queat, niſi conſenſu nouo viuificetur, profeſſi cum D. Paulo docemus baptizatos fuiſſe quidem peccatores,ſed nunc eſſe ablutos,iuſtificatos,ſanctificatos. Inuideant ergo infelices illi Confeſſioniſtarum patroni, ſibi,alijſque miſeris ſuam ſalutem atque ſalutarem Chriſti Domini medicinam omnibus paratiſſimam: nos Chriſto redẽptori Domino grati cum Trident. Concilij patribus iuxta verbum Dei & orthodoxæ Eccleſiæ fidem credimus, in baptizatis, ſiue Chriſti Sacramento renatis concupiſcentiam in eis reliquam ita ſuo euacuari reatu, vt non ſolùm non obſit, ſed ne ſit quidem.

Tranſitio ad Baptiſmi effecta, ſiue ad renatorum opera Spiritu ſancto adiuuante facta.

Demonſtrato igitur hominem Chriſti baptiſmo non ſolum omni ſemel liberari,expiari, emũdari, ſed innouari etiã, inſtaurari ac Dei ſimilem iteratò fieri,Chriſti imaginem exornari,Spiritu ſancto deintegrò animari; nunc ad alterum illum cæcę immo inuidæ Confeſſioniſtarũ diſputationis partem eſt deſcendendum, qua Catholicos criminãtur,quòd ita Baptiſmo prorſus tolli atque aboleri docemus peccatum originale, vt homo in hac vita Deum ex toto corde amare poſſit,& non tantum legi diuinę ſatisfacere;ſed etiam plura & meliora opera,quàm,quæ in decalogo præcepta ſunt,præſtare poſſit, quæ ſupererogationis opera vocant.

Hîc per Deum immortalem tuam lector Chriſtiane fidem, teſtor quidnam aliud iſti confeſſioniſtarũ Patroni,quàm quod inuidè nos accuſant, quòd Catholici incõparabile Chriſti Domini benficium in baptiſmo illo cæleſti omnibus liberalitate diuina cõmunicatum nimis efferimus,nimis laudamus,nimis prædicamus?

An

An non ſic Orthodoxi Patres, naturam eſſe in baptiſmo innouatam, meliusq́; reformatam, quàm fuit formata? meliorẽ eſſe imaginem, plenius inſtauratam, quàm fuit condita? Sanè ſic D. Cyprianus, Nazianzenus, alijq́; PP. nuper commemorati.

Cæterum quò dignitatem beneficiorum Chriſti, quæ inuidia diaboli afflati, ne dicam excæcati, aduerſarij conanrur extenuare, conculcare, atq; ſemel de hominum mente abolere, magis perſpiciat Lector candidus, paucis erunt perſtringenda; pauca quidem illa Confeſſioniſtarum verba, ſed quæ immanem cõtinent inuolutam impiarum blaſphemiarum ſiluam: quam in præſentiarum in tria diſtinguemus capita.

1 Accuſant igitut nos, quòd doceamus hominem poſt baptiſmum poſſe Deum toto ex corde amare. Capita de piis renatorum operibus, cũrnã hîc accuratiùs examinanda.

2 Quòd legi Diuinæ poſſit renatus ſatisfacere.

3 Quòd plura & meliora opera poſſit præſtare, quàm quæ in Decalogo ſunt præcepta, que Supererogationis vocantur.

Hæc autem tria operum Chriſtianorum capita ideò accuratiùs ſunt perueſtiganda; quòd maximum in primis in omni vita Chriſtiana habent vſum, ac fructum longè vberrimum, ſimul & iucundiſſimum: qui animos noſtros immenſa cęleſtis regni olim poſſidendi fiducia demulceat, ſolidoq́; gaudio delibutos reddat.

Liquebit etiam quantum impietatis ſacrilegæ Sathanas in Chriſti Eccleſiam, quantum blaſphemiarum in Chriſti Spiritum, quantum denique furoris contumelioſiſſimi in Chriſtũ ipſum ore iſtorum ſuorum Confeſſioniſtarum quotidie euomat, dum ſibi bellas captare videri volũt cauſationes, ob quas à Catholica Dei Eccleſia nefario ſchiſmate diſceſſerint.

Accuſant igitur primò generoſi illi Confeſtioniſtarum apologetici Catholicos: quòd contra ſcripturas & Orthodoxorũ PP. teſtimonia, docent ita tolli in baptiſmo peccatum originale; vt poſſit renatus in hac vita Deum toto ex corde amare. Iſta criminatio quanto cum ſacrilegio ſit coniuncta, vel illinc ſatis liqueat, quòd nemo tam eſt Chriſtianæ pietatis imperi-

tus,qui ſuæ memor profeſſionis audeat cum Manichæis affirmare,Deum aliquid præcepiſſe impoſſibile. Quòd ſi blaſphemia nō caret, poteſt ergo homo Chriſti ſpiritu renatus,inſtauratus, adiutus, legem Dei præſtare, ac mandata obſeruare. Si vis ad vitā ingredi,inquit adoleſcenti Chriſtus fallere neſcius, ſerua mandata. An non iſta in Catholicos à Confeſſioniſtis dudum intentata criminatio, in Chriſtum Dominum etiam quadret?Certe ſi adoleſcenti mandat ſeruanda mandata;præſtare atque ſeruare potuit. nihil enim impoſſibile ipſi preſcripſit. Atqui mandatorum omnium primum eſt,Deum ex toto corde diligendum.

Verùm hæc præſtandæ, imò implendæ Legis diuinæ diffidentia, quæ vera eſt virtutis deſperatio, qua ita laborant ob veræ fidei defectum & imbecillitatem Confeſſioniſtæ; vt ſanctos de eius fiducia piè præſumentes, ſacrilegæ audeant accuſare impietatis; non aliunde nata eſt, quàm quòd ipſis diuina Chriſtiani baptiſmi vis,cæleſtisq; regenerationis ex Deo hauſtæ efficacia planè eſt ignota. quam vbi orthodoxorum PP. verbis illuſtrauerimus, apparebit nos ea nihil indignum, nihil eius natura alienum docere, dum hominem in hac vita poſſe Deum ex toto corde amare,affirmamus.

D. Cyprianus copioſis Spiritus ſancti primitiis diuiniſſimè locupletatus ineffabilem S. Baptiſmi Chriſtiani vim,planè cęleſtem expertus,ita ſuo eam Donato Chriſtianiſmi candidato diſertiſſima ſanè oratione expromit: Vbi dixiſſet in homine baptizato,Dei eſſe cœpiſſe,quod ſpiritus animauit,addidit: vt iam non peccare eſſe cœperit fidei, quod ante peccatum eſt, fuerit erroris humani. Qua verò ratione Chriſtianus iſtam planè angelicam,imò diuinam aſſequatur dignitatem,vt poſſit non peccare, mox diſertè explanat. Cæterum,ſi tu innocentiæ, ſi iuſtitiæ viam tentas illapſa firmitate veſtigij tui; ſi in Deum viribus totis,ac toto corde ſuſpenſus, hoc ſis tantum, quod eſſe cœpiſti, tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratię ſpiritualis augetur. non enim in capeſcēdo munere cæleſti menſura vlla vel modus eſt.

D. Cypriano Chriſtianus poteſt non peccare ex Chriſti Spiritu renatus in baptiſmo.

Idem

Idem posteà. Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum inde gratiæ mundantis haurimus. Inde iam facultas datur castitate sobria, mente integra, virtute syncera, voce pura, in medulla adolescentium posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes sanitate purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos & erraticos spiritus ad cõfessionem minis increpantibus cogere, vt recedant.

Ita quod esse cœpimus, acceptus spiritus licentia sua potitur: sed quòd necdum corpus ac membra mutamus, adhuc carnalis aspectus seculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus est, quanta vis est, non tantum ipsum esse subtractum perniciosis contactibus mundi, vt quis expiatus & purus nulla incursantis inimici labe capiatur: sed adhuc maiorem & fortiorem viribus fieri, in omnem aduersarij grassantis exercitum imperioso iure dominetur!

Vis ac potentatus animi Christiani tantus, vt nulla diaboli labe capiatur.

Verùm ne cuiquã fastidio sit prolixior testimoniorum commemoratio; breuibus aliquot D. Augustini sententijs contenti, reliquis supersedebimus. Is igitur ex instituto has quæstiones pertractans lib. de Perfect. Iustitiæ, cõtra Cælestinum; docet impleri præceptum dilectionis: nõ quidem prę̃stando, sed sitiendo iustitiam, id est, ad eam currendo pro modo nostro. Quamdiu enim à Domino, inquit, sumus peregrinantes, ad Dominum per fidem ambulamus. hæc est nostra iustitia, vt ad illam perfectionem, plenitudinemque, vbi perfecta erit charitas, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus.

D. August. implemus iustitiã & præceptũ dilectionis ad illã currendo & sitiendo.

Sic idem Augustinus ostẽdit hominem posse esse perfectũ, siue Deum ex toto corde diligere; licet exemplum desit: tamẽ aliud esse posse diligere ex toto corde.

Christianus D. August. potest Deum ex toto corde diligere.

Ex Christi Domini igitur beneficio est, & nos posse Deum ex toto corde diligere, qui suo medicamento cælesti cor sanat, vt nihil supra Deum, sed eò, vti D. August. ait, sitiendo iustitiam, tendat. Vnde facilè est alteram criminationem aduersariorum diluere, quam Catholicis intentant, quasi impiè

2. Cap. An possit Christianus legi satisfacere.

doceant posse nos legi diuinæ satisfacere. nam cùm idem sit legem implere, & legi satisfacere; negari non potest homines legi satisfacere, qui confiteri compellitur homines legem implere. Atqui Paulus: Qui proximum diligit, legem impleuit. Rursus Dauid, Psal. 118. testatur de se: Custodiuit anima mea mandata tua & testimonia tua. Item: Seruaui mandata tua & testimonia tua. Vt verò nihil de hominis testimonio dubites, si tamen hominis est, & nō Spiritus sancti potius; audi ipsum Dei filium de suis Apostolis testimonium ferentem: Ipsi mandatum tuum seruauerunt! Ioan. 17.

Rom. 13.

Psal. 118.

Ex eo quòd legi diuinæ satisfacimus, merces oritur, & eius causa meritum.

Ex hac legis obseruatione consequitur, quòd legi diuinæ satisfacimus. vnde & merces oritur, siue meritum eius causa. Nam post hanc vitam, ait Augustinus libro de Perfect. Iustitia, merces perficiens redditur; sed eis tantum, à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Vnde D. Cyprianus Deum non dubitat nobis dicere debitorem. In Epilogo enim Serm. de Eleemosyna, eius laudes cumulaturus: Præclara & diuina res, inquit, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium. & postea: Verum Dei munus, & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum; quo Christianus adiutus præ se effert gratiam spiritalem, promeretur Christum, Deum computat debitorem.

Deus debitor est piis Cypriano, qui Christū sibi per Eleemosynas promerentur.

3. Cap. An opera supererogationis alicuius sint momenti aut rei.

Porrò quòd ad tertiam quæstionem attinet, quę est de operibus Supererogationis, vti nunc vocant, siue consilia Euangelica, paucis ex veterum PP. sententia ostendemus verā hanc esse operum Christianorum differentiam. Prima sententia, inquit D. Cyprianus sub finem de habitu virginum, crescere & generare præcepit: secunda ad continentiam suasit. Cùm iam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum. Nō hoc iubet Dominus, sed hortatur: nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demōstrat. Habitacula ista meliora

Origo vndénā sit operum supererogationis? an ex Euangelij præceptis & consiliis?

D. Cypr. Christus nō iubet, sed hortatur cælibem & innuptam viuere.

meliora vos (ô virgines) petitis. Similiter & diuus Hieronymus in illud: Qui non iungit, melius facit. Ita concludit Paulus Virginum causam, inquit, vt eas faciat in omnibus meliores. Vnde prudentibus semper meliora & perfectiora sectanda sunt.

D.Hieron. 1.Cor.7. Virginibus meliora sectanda.

Similiter & diuus Ambrosius aliud ostendens esse præceptum, aliud consilium Euangelicum libro de Viduis, ait: vt intelligas distantiam præcepti, atque illum recorderis, cui in Euangelio antè præscribitur, ne homicidium faciat, cõsilium deinde datur, vt veneat omnia.

D. Ambrosius.

Ergo hic liber est à præcepto, cuius defertur arbitrio & consiliorum obseruatoribus dicit reposita præmia.

A præcepto liber est, cui consilium Euangelicum proponitur.

Item, ideo præceptum non datur, consilium datur (à Paulo 1. Corinth. 7.) Præceptum enim castitatis est, consilium integritatis. Sed quid opus est prolixioribus Patrum commentarijs, cùm D. Paulus tam disertè doceat sese non habere mandatum domini de virginibus, id est, de virginitatis siue integritatis cultu, sed consilium se dare? In quem locum D. Ambrosius: Præceptum non habet (inquit Epistola 82. libr. 10.) consilium habet: non enim præcipitur, quod supra legem est; sed magis dato suadetur consilio. Diuus quoque Augustinus luculenter istud discrimen operum agnoscit: Dominus in Euangelio, vt inimicos diligere debeamus (inquit Serm. 61. de tempore) non dedit consilium, sed præceptum. aliud est consilium, aliud est præceptum. Consilium datur, vt virginitas conseruetur, à vino, à carnibus, abstineatur; vt vendâtur omnia, & pauperibus erogentur: Præceptum verò datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis diuertat à malo, & faciat bonum. & paulò post: consilium qui libenter audierit & fecerit, maiorẽ habebit gloriam.

Præceptum castitatis, consiliũ integritatis, siue cælibatus.

D.Ambr. Virginitas sub legem non cadit, ideò non mandatur, sed consulitur.

Augustin. operibus supererogationis siue cõsilij maiorem tribuit gloriã.

Cùm igitur ex Patrum Orthodoxorũ testimonijs meliora virgines, quàm coniugati sint habituræ habitacula; imò maiorem etiam gloriam, an non meliora & plura faciunt opera; quod canino dente arrodebant Confessionistæ, quàm quæ in decalogo sunt præcepta? De quo si Confessionistæ suis starẽt

Epilogu huius Antitheseos.

verbis,

verbis, vt manifestæ ac perpetuæ PP. orthodoxorum ſententiæ cederent; facilis eſſet inter nos conſenſio : ſicuti & de concupiſcentia in baptizatis reliqua : quemadmodũ de ipſo peccato originali planè contra Swinglianos cõſentimus. Sic enim in Colloquio Wormatien. hic articulus, anno 41. die 18. Ianuarij fuit inter Colloquutores DD. Ioan. Eckium & Menſingum; Item Bucerum & Philipp. Melanchthonem conciliatus.

Facillima concordiæ via cum Proteſtantibus, modò conciliatam dudum in Cæſareo colloquio doctrinam omnes Confeſſioniſtæ ſuſcipiant.

Formula concordiæ de peccato originali Wormatiæ in Colloquio Concepta An.41.

„ FATEMVR vnanimi ſententia omnes ab Adam propa-
„ gatos, ſecundum legem communem naſci cum peccato ori-
„ ginali, & ita in ira Dei.

„ Eſt autem peccatum originale carẽtia iuſtitię originalis de-
„ bitæ ineſſe cum concupiſcentia.

Conſentimus etiam in Baptiſmo reatum peccati originalis
„ remitti cum omnibus peccatis, per meritũ paſſionis Chriſti:
„ manere autem non ſolùm Apoſtolicis ſcripturis, verùm ipſa
„ etiam experientia docti, ſentimus concupiſcentiam, vitium
„ naturæ, infirmitatem, morbum, & cæt. De quo quidem mor-
„ bo in renatis inter nos conuenit, quòd maneat materiale pec-
„ cati originis ſublato formali per Baptiſmum. Materiale autem
„ vocamus peccati originis, quòd ſit à peccato, & quòd ad pec-
„ catum inclinet, quòd repugnet legi Dei, quemadmodum &
„ Paulus appellat. Ad eandem etiam rationem in ſcholis com-
„ pendio dici ſolet manere in baptizato originis peccati mate-
„ riale; formale verò rectius eſt auferri.

ANTI-

ANTITHESIS SEPTIMA.

CAP. XXI.

Hoc ariete depulso, iam ad septimam transeamus Antithesin, quã aduersarij de libero faciunt arbitrio. Eodem modo sacris literis, inquiũt, traditum est, arbitrium voluntatis humanæ post lapsum, & vires naturales hominis adeò esse vitiatas ac debilitatas peccato, vt nec Deum verè agnoscere, nec ad gratiam eius peruenire, aut conuerti suis viribus, sine Deo, vllo modo poßit homo: Sed solius misericordiæ diuinæ hoc opus sit: qua, sine omni virium humanarum prærogatiua aut meritis præcedentibus recipimur in gratiam à Deo, per, & propter filium Iesum Christũ, regenerati per Spiritum sanctum. VII. Antithesis, de libero arbitrio.

RESPONSIO LINDANI.

Cvm & nos Catholici eadem non modò nunc & semper doceamus, sed sub anathemate etiam aliter sentientes damnemus: ecquid fuit opus hic doctrinarum quasi contrariarum construere Antithesin? Sicut igitur hanc doctrinam verbis Confessionistarum expressam concorditer docemus; ita & scripturas huc allegatas non recitamus: cùm eisdem contra Pelagianos cùm nouos tum veteres, Patrum nostrorum vestigijs insistentes, vtamur. Similiter & adducta hanc in rem à Confessionistis Patrum, Augustini, Ambrosij, & Bernardi testimonia gratanter suscipimus, quæ nobis suffragantia Pelagianos communes hostes iugulant; quibus Catholici, & nũc, & olim anathema disertè semper varijs in concilijs, Aureliano, Mileuitano, & alijs denuntiamus. Proinde manifestam Confessionistarum in Catholicos calumniam quid opus est refutare? Affingunt enim ipsis Pelagianismum, qui longius à Catholica nostra abest Ecclesia, quàm cælum à terra. Consensio. Calumniã Catholicis affingunt improbi Confessionistarum Patroni.

Sed bellam istam obsecro, accuratiùs paulò inspiciamus Confessionistarum Antithesin.

Papistarum

" Papiſtarum (inquiunt fol. 123.) & Monachorum doctores
" contrà tantum tribuunt viribus humanis & libero arbitrio,
" vt tradant hominem viribus liberi arbitrij poſſe conuerti ad
" Deum,& promereri gratiam diuinam ex congruo.

Geminam iſtam calumniam quid obſecro fuerit opus fuſiore confutare oratione? An qui iſtis impijs dogmatibus,quæ Catholicis effrontes Confeſſioniſtarum defenſores affingunt improbè,anathema dicunt, cenſendi ſunt Euangelicá Chriſti doctrinam ſacrilegis iſtis erroribus contaminare?

Si quidé hac in antitheſi controuerſum proponitur generatim de liberi arbitrij viribus,quid valeant in lapſis ante conuerſionem; quid deinde in renatis poſt Spiritus ſancti renouationem. Confeſſioniſtæ vt calumniam in Catholicos acrius exacuant, dolo malo iſtud rerum maximarum diſcrimé percallidè diſſimulant.

Erant enim probè ſibi conſcij nullam eſſe inter nos dogmatum pugnam, ſi de liberi arbitrij viribus loquamur ante conuerſionem; hîc enim per omnia conſentimus, vt dudum indicauimus; nimirum, hominem ante Chriſti gratiam, ſine Chriſti auxilio nihil poſſe,quod ad ſalutem valeat æternam: nedum ſuam poſſe mereri conuerſionem.

Conſenſum hoc in dogmate nequiter diſſimulant aduerſarij, vt nefariis calũniis ſacrilegum ſuum alãt ſchiſma.

Quòd ſi candidè iſtud ſua in antitheſi Confeſſioniſtis placuiſſet indicaſſe,nulla foret controuerſia: ſed ſic ſuo perijſſent ſorices iudicio. Quid enim oportuiſſet ciuile bellum fratribus inferre, qui communibus Pelagianos hoſtes oppugnant telis, eiſdemque exturbant machinis? Quòd autem ſic concorditer ſentiant Catholici,ex Concil. Trident. decret. liquet, vbi Canone 3. Seſſ. VI. ſic eſt definitum. Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet; vt ei iuſtificationis gratia conferatur,anathema ſit.

Hanc Catholicorum doctrinam cum anonymi iſti Confeſſioniſtarum defenſores ſcirent publicis Concilij actis orbi expoſitam,quia illud acerrimè oppugnare non dubitant: audent tamen contra ſuam bis miſeram conſcientiam tam ma-

nifeſtas

nifeſtas Catholicis affingere calumnias, quò ſuis Principibus videantur iuſtas adferre diſſidij iſtius funeſtiſſimi, certoque Germaniæ exitialis cauſas.

Quòd ſi Conc. Trident. verba non ſatis ruminarant, vti ſolent, qui odio ebrij hoſtium verba vix ex dimidio percipere, neque ex vero aſſequi poſſunt; ſanè Catholicorum ſcriptorũ verba à ſeſe hac in Antitheſi contra Catholicos recitata diligentiori debuiſſent ſtudio trutinaſſe.

Si enim citra præiudicium æquis à lectoribus accipiantur, liquebit Confeſſioniſtas ſuis hic gladijs iugulatos. Audiamus igitur quibúſnã verbis iſtas Catholicis affictas calumnias confirment. In gratia conſtitutus (inquiunt ex Antonini verbis parte 4. Tit. 9. c. 7. §. 1.) meretur per opera ſua vitam æternam.

Suis ſeſe iugulant gladijs aduerſarij.

Hîc vos delecti Confeſſioniſtarum defenſores rogo, veſtramque per ſalutem in Chriſto Ieſu obſecro, ad vos redite paululum. Ponite quæſo ad tempus ſaltem, quod in veſtros fratres paricidale concepiſtis odium: quo excæcati etiam veſtræ eſtis obliti diſputationis. In Antitheſi Catholicos affirmatis docere hominem liberi arbitrij viribus poſſe conuerti ad Deum, & promereri ex congruo gratiam diuinam. An nõ illam Antonini auditis vocem tam diſertè à vobis ipſis hîc ad nos ſacrilegi erroris iſtius conuicendos recitatam, & primo loco ceu claſſicum collocatam? In gratia conſtitutus, inquit, meretur per opera ſua vitam æternam.

Aſyſtaton omnium fœdiſſimum, quod aduerſarios vel ſolùm demonſtret veri odio rabidos.

Si quem mereri docent Catholici vitam æternam, in gratia affirmant conſtitutum, ęquanam fronte, vos ô Euangelici (veſtras ô Theologi Confeſſioniſtarum appello conſcientias) iſtam audetis euomere calumniam, docere Catholicos hominem, ſuis liberi arbitrij poſſe viribus ad Deum conuerti.

Si in gratia conſtitutus id poteſt, Dei gratia adiutus id poteſt. ſolus enim id ſine Deo non poteſt, quod à Deo adiutus poteſt. Quod autem adiutus poteſt, aliqua ſanè ratione & ipſe homo poteſt: ſed vt adiutus facit, ita ipſe tamen facit. Vnde & diuus Paulus nos vocat cooperarios Dei. θεῦ συνεργοὶ. 1. Cor. 3. Dei enim ait cooperarij ſumus.

Quòd porrò addunt Confeſſioniſtæ, Catholicos docere hominem viribus liberi arbitrij poſſe promereri gratiam diuinam ex congruo; Si de conuerſo & renato homine accipias, veriſſimum eſt, & Euangelicæ adeò doctrinæ conſentaneum, quæ vitam æternam appellat piorum operum mercedem. In quam ſententiam & Antoninus ab aduerſariis citatus, diſertè loquitur hominem in gratia conſtitutum mereri per opera ſua, (quia per Chriſti ſpiritum in Deo ſunt facta) vitam æternam ex condigno, ex parte gratiæ, quia hæc potiſſimum eſt cauſa bonorum operum; mouens, excitans, agens, perficiens: ex congruo, ex parte liberi arbitrij; quia ſic diuinæ iuſtitiæ congruum eſt, vt homo diuino adiutus auxilio, qui legem Dei ſua pro virili, ſuoque modulo hîc præſtare nititur; ac quantùm humana patitur fragilitas, implere conatur, diuina etiam mercede honoretur atque coronetur. Iſtud adeò clarum eſt apud Antoninum ab aduerſariis recitatum, vt eo inſpecto, non iniuſta nobis ſuborta ſit de maligno illorum ſtudio, ſuſpitio.

An homo mereatur ex cõdigno, an ex congruo; & quónã ſenſu iſtud piè, vereq; accipiatur.

Vide piè Lector improbum cauillandi atque calumniandi in aduerſariis ſtudium, quo Scriptoribus piis impias affingũt opiniones, vt ſuum inſanum ſtatuant ſchiſma plauſibili aliqua ſpecie fucatum.

In ipſo enim huius rei veſtibulo Antoninus diſertè præfatur: de merito hominis, inquit, ſciendum eſt, quòd homo ſine gratia nullo modo mereri poteſt vitam æternam in innocentia conſtitutus. multò ergo minus nunc lapſus, vel ante Chriſti reconciliationem.

Itaq; quid ſentiendum de Chriſtianis piis, ſubtexuit, quod aduerſarijs placuit in calumniam rapere. In gratia autem, ait, conſtitutus, meretur per opera ſua bona, vitam æternam. Quam ſententiam ſe pronunciaſſe palàm declarat de operibus meritoriis; prout procedunt, inquit, ex gratia Spiritus ſancti: vbi valor meriti attenditur ſecundum virtutem Spiritus ſancti mouentis in vitam æternam. Attenditur etiam precium operis ſecũdum dignitatem gratiæ, per quam homo conſors factus diuinæ naturæ, adoptatur in filium Dei: cui debetur hæreditas ex ipſo iure adoptionis. Roman. 8. Si filij & hæredes.

Antoninus clariſſimis verbis piã ſuã doctrinam expoſuit.

Quare nihil diuerſum Antoninus docet à ſancto Concilij Tridentini decreto: quod perſpicuè omnibus videre licet, qui

qui ipſum cogitet diſertè agere de homine Chriſtiano, Dei auxilio, cæleſtiq́ue Spiritus ſancti gratia adiuto; non verò vt aduerſarij calumniantur, quod liberi arbitrij viribus (ſine Deo, aut eius gratia) conuerti queat, aut vitam æternam promereri.

Altera in Antoninum calũnia luculẽter ipſius verbis depulſa.

Sed impudentior eſt altera illa Confeſſioniſtarum calumnia, qua folio 124. eundem Antoninum citant; quaſi doceat hominem ſolis liberi arbitrij viribus poſſe aurem ſuam inclinare in verba legis, hoc eſt, legem implere integraliter, totamq́ue legem ſuis viribus facere: cùm initio cap. vnde ſuam aduerſarij petunt confirmationem, perſpicuè loquatur de Chriſti diſcipulis, fide præditis. attexit enim quòd Clerus debet attendere legem Dei, vt ſine errore alios poſſit docere: populus autem ſiue laici, vt intelligant, & mente retineant.

Eandem piam ſententiam, & Gabriel Bielus profuſiore oratione explicat apertiſſimis verbis, Chriſti paſſionem eſſe principalem meriti omnis cauſam, per quam conferatur hominibus Chriſtianis, ac Chriſti ſpiritu renatis gratia; apertio regni, & vitæ æternæ gloria. Cùm igitur liqueat Catholicos, ſi rectè ipſorum doctrina intelligatur, atque citra ſupinam ad modum, aut ſtudio quæſitam calumniam candidè accipiatur, nihil à vera ſcripturarum ſententia, perpetuoq́ue Patrum orthodoxorum conſenſu docere diuerſum, non fuit cauſa legitima, cur delecti Confeſſioniſtarum defenſores iſtam doctrinæ Antitheſin in medium adferrent, propter quam à Catholica Dei Eccleſia ſacrilego ſchiſmate diſceſſiſſe videri velint. Nam ſi candidè accipiatur, riteq́ue diſtinguatur, quod de libero arbitrio Catholici profitemur, facilè de ijs cõtrouerſijs, quas delecti Confeſſioniſtarum patroni diſſimulatis grauioribus obiter attingunt, inter nos conueniat. modò gratiæ Chriſti nolint Confeſſioniſtæ diutius eſſe & ingrati, atq; adeò verè iniurij.

Nõ eſſe cauſam cur hoc de dogmate aduerſarij antitheſin & quaſi doctrinarum pugnam facerent; cùm ſit vera inter nos concordia.

Hanc enim ſalutarẽ Chriſti domini gratiã malignè nobis, imò ſibi potius inuident miſeri; cuius ſolius ope Catholici docemus non ſolum conuerti homines ad Deum, ſed ita etiam

adiuuari, ſanari, inſtaurari, vt per bona opera hac ipſa Chriſti gratia, diuinoque auxilio facta mereantur vitam æternam, regnique cæleſtis mercedem, ſiue vti Paulus appellat, iuſtitiæ coronam: quemadmodum Antitheſi quarta dudum ex diuina ſcriptura, & perpetuo Patrum orthodoxorum conſenſu perſpicuè eſt demonſtratum.

ANTITHESIS OCTAVA.

CAP. XXII.

VIII. Antitheſis, De iuſtificatione.

SED nunc tandem Confeßioniſtæ, ad illam controuerſiarum ferè omnium deſcendunt, vt ita dicamus, matricem, iuſtificationem; quam & nos ipſorum præpoſterum ſequuti ordinem, quoad fieri poteſt, luculenter pertractabimus, demonſtrantes nihil & hic Catholicos à Scripturis docere diuerſum & peregrinum, aut veterũ Patrum orthodoxorum ſententijs non conſentaneum. Sacra Prophetarum, inquiunt, & Apoſtolorum ſcripta magno conſenſu docent hominem iuſtificari coram Deo ſola fide credentem, quòd propter ſolius Chriſti meritum recipimur à Deo, atque ita meritum filij Dei gratis donari. & ex mera gratia diuina, qua homo in iudicio Dei nitatur, & conſolationem accipiat.

RESPONSIO LINDANI.

Hæc controuerſia quæ potiſſimum Eccleſiæ pacem diremit, facillimè concilietur, & quánã ratione.

GRAVISSIMÆ huius de iuſtificatione hominis controuerſiæ ſtatus, ſi rectè piis atque candidis lectoribus eſſet expoſitus, nullo ſanè labore coiret Eccleſiarum pax atque concordia: quæ nouis ac peregrinis; &, ſi verum dicere licet, calumnioſis huius cum primis dogmatis quæſtionibus vexata, imò dilacerata iacet, atque dilaniata. Verùm non eſt, Chriſto gratia, omnis conciliationis ſpes nobis abijcienda. ſiquidem vtrique in cauſa iuſtificationis efficiente, ſine auctore Deo; vt & in meritoria, prorſus conuenimus: quam

In re ipſa & cauſa efficiente, atque meritoria iuſtificationis eſt conſenſus: ſed de modo

vtrique

vtrique meritum Christi, atque adeò solius Christi meritum dicimus, si nos verè ac citra Sophisticē, & vti Christiano candori congruit, aduersarij intelligere non dedignarentur.

atque effectis superest controuersia.

Quid igitur, inquias, est controuersum? De modo iustitiæ quæritur, quánam ratione credentibus communicetur, an sola fide? & quónam modo ab hominibus accipiatur, an solo Christi merito, ita vt non operibus etiam nostris? Denique quídnam in nobis efficiat, an sola meraque diuina gratia, & non iustis etiam operibus homo nitatur in Dei iudicio?

Tribus Capitibus totum continetur huius controuersiæ corpus.

His enim capitibus totum controuersiæ præsentis statum delecti Confessionistarum apologetici nobis videntur complexi.

Leui ergo rerum discrimine, facillimaque distinctione hæc grauissima ferè omnium quæstio de hominis Christiani iustificatione dissoluatur, solideque concilietur: modò citra cauillationem atque Sophisticen, quod iterum dicendum est, doctrina Catholicorum ab aduersariis candidè accipiatur.

Catholicis & Confessionistis, de hominis iustificatione conuenit, quòd ad primam attinet, id est, qua ex iniusto fit iustus; qua ex infideli fit fidelis; ex inimico fit amicus & Dei filius: ex pagano siue Iudæo, fit Christianus. De hac loqui Paulum & veteres PP. à Confessionistis recitatos aiunt Catholici, quemadmodum paulò inferius demonstrabimus, necessariò in hanc sententiā esse accipiendos; nisi seipsis contrarios, sibique pugnantia tradere dicas.

Duæ iustificanis species necessariò constituendæ iuxta Scripturas & PP. veterum doctrinam.

Consensio.

In hac igitur iustificationis specie, quæ prima siue exordialis dicitur, qua peccator ex impio pius; ex tenebris lux fit in Domino: agnoscimus Catholici credentem propter solius Christi meritum recipi à Deo, atque gratis iustificari coram Deo: hoc est, peccatorem non iustum reputari tantum, vti forensi Iudici mos est: actore non probante: sed ab omnibus semel peccatis tectis, remissis, condonatis vltrò absolui: Neque solummodò iustitia imputatiua iustum haberi atque censeri, sed verè iustum, rectum, pium, sanctumque fieri iustitia

Quid homini prima iustificatione conferatur, & in quo illa sita sit.

ri iustitia Dei, quam deus fide interueniente per Christi Spiritum communicatum donat.

In prima iustificatione requirũtur quidem hominis opera, sed nulla eius merita: quorũ gloria soli Christo debetur solida.

Nullum enim hic hominis credentis ac pœnitentis agnoscimus meritum, nullas hîc hominis iustificandi operibus tribuimus iustitiæ partes: sed solo Christo solida debetur gratia; soli eius merito solida debetur iustitia, quæ tamen homini vt non datur nisi credenti, ita nisi & pœnitenti.

An sola fide iustificemur.

Quare simpliciter si loquendum est, non verè hominem dixeris sola fide coram Deo iustificari. Præter fidem enim in Christum Petrus die Pentecostes à Iudæis postulauit vitæ prioris pœnitentiam. Insuper & Sacramentum fidei adhibuit abluens eos lauacro aquæ & verbo vitæ.

Actor. 3.

Vnde liquet illam loquendi formulam non esse simpliciter & sine explicatu admittendam; Sola fide hominem iustificari, cùm nusquam in scriptura legatur: nisi in Paulo sacrilegis Lutheri peruersoris corruptelis, ad Roman. 3. peruerso, deprauato, adulterato. Vnde & Augustæ anno 30. in Colloquio Septenorum, cùm protestantes Theologi, Melanchthon, Brentius, Sneppius, Spalatinus, aliique non possent hanc propositionem ex verbo Dei demonstrare, consenserunt, præsentibus Electoribus, Saxone & Brandeburgense: primo congressu victi, illa voce, Sola, abstinendum, ne vlterius dicerent, Sola fide nos iustificari. Huius concordiæ tunc initæ, quia liquidis verbi Dei testimoniis victi, non potuerunt illi Protestantium magistri non consentire, si meminissent isti noui Confessionistarum defensores illorum discipuli; non istam nouam turbandæ Ecclesiarum paci mouerent tragœdiam de voce, Sola: cùm ipsis non sit ignotum, vel Lutherum ipsum docuisse ex huiusmodi, Solius fidei prædicatione multa nasci scandala, & homines, inquit, fieri carnaliter securos.

Colloquium Septenorũ Augustæ in Comitiis, anno 30. cõciliauit hanc de sola fide iustificante cõtrouersiam, puta non esse hac loquendi formula vtendum.

Vide 3. Philippicam D. Cochlæi.

Rectè igitur illo generali Recessu siue decreto Augustano, à Carolo V. A. & omnibus Catholicis Principibus, atque

Apolog. Eckij fol. 151.

atque Imperij ſtatibus concluſum fuit, hanc falſam propoſitionem, Quòd ſola fides iuſtificat, abolendam eſſe.

At rabidè reclamabunt noui iſti Confeſſioniſtarum delecti Patroni, Sic veteres PP. loquuntur, Ambroſius, Origenes, & alij. Eſſe quidem alicubi hanc loquendi formulam, Sola fide iuſtificari hominem, apud eos, inficiari qui poſſit, aut velit, nullus eſt: Sicuti econtrariò manifeſtiſſimum eſt, Patres docere non ſola fide nos ſaluari, aut iuſtificari.

Quod ſi eadem, qua illi, ſententia Confeſſioniſtæ hanc loquendi formulam acciperent candidè, citraque omnem ſophiſticen intelligerent, facilis eſſet de re concordia.

Aduerſarios amare Logomachias atque verborum pugnas. Volunt hominem ſola fide iuſtificari, cùm tamẽ eius requirãt pœnitentiam, vt Sacramentum.

Niſi enim Logomachiam amare, atque vti Paulus, hæreticorum depingens ingenium, teſtatur; circa verborum quæſtiones languere velint deprehendi, ſola fide fieri non audebunt affirmare diutius, quod non ſola fide, ſed aliis præterea rebus fieri coguntur profiteri. Nam & pœnitentiam, & Sacramentum adhibenda, ad iuſtificationem contendunt. Cùm igitur de ipſa re conueniat, ecquid fruſtra de vna litigant vocula, Sola? Nam & veteres Patres, quorum exemplo inducti videri volunt ad hanc loquendi formulam vſurpandam, præter fidem ſolam, etiam alia poſtulant, vt verè quis iuſtificationem conſequatur. Sed quò res fiat illuſtrior, paucis erit declaranda. Hoc conſtitutum à Deo, inquit Ambroſius, vt qui credit in Chriſtum, ſaluus ſit ſine opere, ſola fide. Atqui de pœnitente, ſiue quem veteris ſuæ vitæ pœniteat, loquitur. Addit enim continenter Ambroſius: Gratis accipiens remiſſionem peccatorum, hoc eſt, vti altero loco ab aduerſariis recitato declarat, quod iuſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus non debetur.

Quo ſenſu verè ac piè Patres alicubi dicant, Sola fide hominẽ iuſtificari.

Sola fide, id eſt, nullo præcedẽtis operis merito; non tamen ſine opere bono præcedente.

Cùm igitur D. Ambroſ. diſertè præter fidem ad iuſtificationem exigat iuſtificandi hominis pœnitentiam, perſpicuum eſt non ſolam fidem ſimpliciter hominem iniuſtum iuſtificare: ſed tamen fidem ſine opere; quod Ambroſius ait, id eſt, vti ipſe & Hilarius cæterique omnes ad vnum Patres

ortho-

orthodoxi sua interpretantur verba, sine sui operis præcedentis iustificationem merito. alioqui enim non quadraret quòd attexuit pro causali Ambrosius: Gratis accipiens, inquit, remissionem peccatorum: quemadmodum & alia ex eodem adducta per aduersarios loca manifestiùs conuincunt. vbi ait iustificationem non esse mercedem operantis, sed munus largientis. quod non esset, si ipsa meritis præcedentibus deberetur aut daretur à Deo. Ex quo Ambrosij verbo liquet ipsum quoque de illa exordiali (quam nunc Scholæ ad veterum PP. exemplum, primam, distinctionis causa, vocant) loqui, quæ nullum prorsus admittat humani operis meritum. Etsi enim Ecclesia iustificandorum flagitat opera, seriam animi pœnitentiam, ieiunia, peruigilia, chameunias, lachrymas: ea tamen non propter ipsorum efflagitat merita, vt peccatorum pristinorum in Dei ignoratione perpetratorum accipiat remissionem; sed in pristinæ impuræ vitæ detestationem, in veræ, seriæque peccatorum pœnitentiæ testificationem, in solidam denique suscipiendæ illius cælestis gratiæ præparationem. quemadmodum apud veteres PP. liquidum est perspicere; vbi baptizandos suos Catechumenos siue competentes ad S. Baptismatis gratiam dignè suscipiendam, vt se per bona opera præparent, obnixissimè exhortatur.

Quorsum vet. PP. olim tam multa à Baptizandis exigebãt opera, ieiunia, lachrymas, & chameunias.

Quemadmodum & Christus ipse, & Apostoli à pœnitentia suam Euangelij prædicationem exorsi fuêre; vt pœnitentiam agentes, Euangelio crederent: quod est apud D. Marcum. Vides hic & fidem, vides & opera; vt impij siue peccatores iusti fierent: sed fidei iustificatio tribuitur, non operibus: licet non fidei sine operibus; sicuti nec fidei propter opera, ne quis glorietur. Omnes enim peccauerunt, ait Paulus, & egent gloria Dei; iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorẽ in sanguine ipsius. Rom.3. Omnia namque sub peccato conclusit Scriptura, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus Gal.3. nam meræ est gratiæ Dei opus hæc impij Iustificatio, hoc est iniusti expiatio, cæci il-

Christus & Apostoli exigunt ad iustificationẽ opera.

ci illuminatio, peccatorũ cõdonatio, animi ablutio, emũdatio ſanctificatio: quæ omnia vnus Chriſti ſpiritus in homine credente peragit. Et quia fides hac in re principes agit partes, ac ſubiectũ, vt ita cum Phyſicis loquamur, cum primis pręparat, & ad formam ſuſcipiendam diſponit, aptiſſimeq́; idoneum facit: (nam & pœnitentiam perſuadet agendam, & ad miſericordiam per Chriſtum oblatam monſtrat cõfugiendum) ideo fidei, quæ ipſa etiam Dei donum eſt, omnis iuſtitiæ laus eximiè tribuitur.

Cur fidei magis iuſtitiæ encomiõ tribuatur, quàm aliis bonis operibus.

Quia verò de hac iuſtificationis ſpecie, quæ prima vulgò dicitur, paſſim loquuntur ſcripturæ, hinc tam frequens eſt fidei commendatio apud Apoſtolos, dum ſalutis æternæ negotium aggrediuntur, & ſalutariter quaſi auſpicantur, maximè apud Paulum Epiſtolis ad Rom, & Galatas. alteram tamen, quæ eſt ex iuſtorũ operibus, non diſſimulantes, ſed diſertis verbis explicantes, atque à falſa quorundam impoſtorum interpretatione vindicantes: Si quidem D. Paulus epiſtolis ad Romanos & Galatas vnum hoc agebat potiſſimum, vt Iudaicum hominibus ſuæ iuſtitiæ detraheret faſtum, ſuperbiſſimumq́; ac verè Phariſaicum ſuæ bonæ vitæ ſupercilium, quo Romæ & apud Galatas gloriabũdi, ac tantum non Deo inſultabundi ferociebãt Iudæi. Ex quibus duabus Epiſtolis cum delecti Confeſſioniſtarum defenſores ſua ferè adduxerint argumenta, quibus nouum ſuæ ſolius fidei dogma ſtatuere conantur, nullo planè negotio, ſubtractis his fundamentis falſum in ſenſum abreptis, nouũ illud corruat neceſſe eſt ędificiũ. Vt enim demus, hac in ſpecie iuſtificationis nihil ab homine præter fidem requiri (vt modò diſſimulemus & priſtinæ vitæ pœnitentiam, & poſteræ melius, atque ad legem Dei conformiter tranſigendę propoſitum) non tamen conſectarium eſt, hominem ſola fide iuſtificari, cũ & in altera iuſtificationis ſpecie, quæ ſecunda vocatur, etiã operibus, ſed fide ac Dei ſpiritu factis iuſtificetur. Verum enim ſit oportet, quia verũ eſt, qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Sola ergo fide hominem iuſtificari, quia ſimpliciter falſum eſt, non eſt pijs hominibus hoc ſeculo, quod ſophiſticis ſcatet argutijs, & captioſas æternæ imperitorum ſaluti inſidias ſtruit, concedendum: ſed prudenter diſtinguendum, quòd peſtife-

Cur ſcripturæ, potiſſ. ad Ro. & Gal. tantopere fidem extollãt.

Non eſſe aduerſariis concedendum ſola fide hominem iuſtificari.

rum reconditum habet aconitum. Sane in Colloquio Ratiſpon. ſecundo Bucerus fatetur actorum fol. 200. Proteſtantes aliud non velle hac formula, ſola fide iuſtificamur, dicere, quàm gratis iuſtificari; quod Paulus ait, gratia eius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, vt per voculam, ſola, excludamus quidem ſpem, charitatem, & cęteras virtutes ac bona opera omnia: non autem à iuſtificato ſed à iuſtificatione, id eſt, à vi & merito iuſtificandi, à qua etiam ipſam fidem, quod ad ipſius meritum attinet, excludimus. Ita quidem Bucerus.

Ex colloquio Ratiſpon. oſten ditur facilis cõcordiæ via & ratio.

Quare cùm & nos idem ſentiamus, putà quòd gratis, & ſola Dei gratia iuſtificamur, id eſt, nullo humano merito iuſtificandum impium, ſed ſola & mera gratia Dei per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu iuſtificari; non eſt cur de hac voce, ſola, diutius litigandi quęrant occaſionem aduerſarij. Nam & ipſi profitentur & alia ſe, præter ſolam fidem ad iuſtificationem, requirere: & alio ſenſu, quàm veteres Patres ſolam fidem iuſtificare dicunt, hac loquendi formula eſſe abuſos.

Sed hæc eadem loquendi formula multò minus locum habet in reliqua iuſtificatorum vita, quæ teſte Apoſtolo Ioan. ex iuſta fit iuſtior, & lux eius quaſi auroræ ad meridiem, plenumq; creſcit diem. nam qui iuſtus eſt, ait, iuſtificetur adhuc. Rurſus fieri nequit quin verum ſit, qui facit iuſtitiã, iuſtus eſt. Non igitur ſola fide iuſtus fieri iuſtior dicendus eſt.

Apocal. 22.

1. Ioan. 3.

CAP. XXIII. Tranſitio ad 2. quæſt. an ſolo Chriſti merito iuſtificemur, ita vt non operibus etiam noſtris.

Verùm quò ſemel fiat omnibus perſpicuum Catholicos verè, Euangelioque cõſentaneè docere hominem Chriſtianũ iam Baptizatum vereque iuſtum non ſola fide coram Deo iuſtificari, hoc eſt, iuſtum rectumque haberi: ſed ſuis etiam in Deo factis piis operibus iuſtiorem fieri; atque ita Chriſti meritum gratis donari homini, vt iuſta ipſius quoque Deus efflagitet opera, quibus ille iuſtior effectus iuſtam tandem accipiat vitæ æternæ mercedem, nunc luculenter venit ſuo loco demonſtrandum.

Iuſtificatis dari, & infundi Spiritum Chriſti, quo fiũt, iuſti iuſtaq; operãtes, iuſtiores.

Si aduerſarij teſtimoniis Vet. PP. à ſe productis fidem habent, nullo negotio licebit perſpicere Deum ſuam iuſtitiam hominibus per Chriſti fidem & ſacramentum communicare

atque

atq; impartiri, cuius participio homo verè fit iustus. Cùm enim animam dudum iniustam nunc fide purgatam, Christi sanguine ablutam, emundatam, sanctificatam, suo etiam spiritu ornarit, imò vt Cyprianus scribit animarit adeoq; mortuã viuificarit, in quo clamamus Abba Pater, verè ipsum etiam hominem iustum effecit Christi Spiritus communione, atque iustitiæ ipsius distributione, quemadmodum D. August. variis aduersus Pelagianos potiss. scriptis fusissimè iam olim demonstrauit.

Epistola ad Donat.

Præter imitationem gratiæ eius (inquit lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 5. & 10.) illuminationem, iustificationemque nostram etiam intrinsecus operatur. Hæc enim gratia baptizatos quoque paruulos suo inserit corpori, qui certè imitari nondum aliquem valent. Sicut ergo ille, in quo omnes viuificabuntur, præter quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis; Sic ille, &c. Rursus, legimus iustificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritualis, qua quisque hæret Domino, vnus spiritus est.

Communicatio gratiæ spiritualis atq. iustitiæ in baptismo.

Ad hæc vt omnis semel procacibus vitilitigatoribus occasio rixandi pręcidatur, multis iustis in (inquit Con. in Psal. 10.) multæ sunt iustitiæ, cùm sit vna Dei iustitia, cuius participatione omnes sunt iusti.

Verùm etsi hæc in diuersis sit diuersa, vna tamen est Dei iustitia: & licet imperfecta, vera tamen & solida, iustorum animæ inhærens, vereque iustificans. charitas enim inchoata, inquit Augustinus de nat. & gratia cap. vlt. inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta, perfecta iustitia est.

Iustificatis vera est donata iustitia, licèt imperfecta.

Istud tam manifestum est, ex scripturis Apocalyp. 22. Daniel 12. 1. Corinthiorum 6. vt vel Bucerus ipse tandem confiteri fuerit coactus, vniuersos Patres, iustificari, accipere

Quòd iustificatis donatur iustitia inhærẽs animæ, nõ tantum imputatiua ex consensu Protestantium veterum.

pro,iustum fieri, & iustitia imbui, quam docet verè animæ inhærẽtem, fol. 122 de Ecclesiarum reconciliatione, & iustificationem non solum esse remissionem prioris iustitiæ, & impuritatis, & imputationẽ sanctitatis ac iustitiæ Christi, sed inchoatam etiam in ipsis sanctis puritatem, sanctimoniam, » & iustitiam, quam Christus spiritu suo in credentibus efficit, » & qua illos induit. Rursus paulò post: Iustificar,inos fide Chri- » sti intellexerunt PP. inquit, pro eo quod est nos fide Christi » iustitiam à Deo percipere: & non solùm iustitiam Christi,quæ nobis imputatur: sed etiam eam,quam in nobis excitat & perficit Spiritus Christi: qui enim natus est,ex Deo, iustitiam facit. Similiter lib. de actis Colloquij Ratispon. 2. anno 46. ha- » biti fatetur Bucerus Protestantes agnouisse Sanctos Patres in voce,iustificari, plerumq; agnouisse (inquit fol. 195.) iustũ fieri donata iustitia inhærente,quæ iustificatis semper confertur. » Adiecimus & illud,iustificari alicubi etiam accipi,pro,in iusti- » tia proficere,vt Apocaly. 22. Qui iustus est iustificetur adhuc, » id est, proficiat amplius incœpta iustitia & sanctimonia.

Spiritus Christi in nobis inchoat puritatẽ & iustitiã perspicit Bucero teste.

Consensio ex colloquio Ratispon. de iustitia inhærente.

In his disertis Protestantium verbis ore Buceri recitatis pius quisq; lector Ecclesiasticę pacis atque concordiæ studiosus facilè perspicit, quãta sit Catholicæ doctrinæ lux de iustificatione,quæ in aduersariorum etiã, sed eruditiorũ atq; minus iniquorũ oculos incurrit. Hanc & Ioan. Æpinus, alijque non obscuri,iustificationẽ duabus partibus consistere nunc definiũt, remissione peccatorum, & sanctificatione,siue Spiritus S. donatione. Imò Andreas Fritius Modreuius concordiæ,vti appa- » ret, amantissimus: Concedimus, inquit, non sola Christi im- » putatione, sed verè realiter inhærente nobis iustitia nos esse » iustos; hancque iustitiam præclarũ esse Dei donũ affirmo, qua » regeneremur, & qua noua Christiani hominis vita constet. Hæc tã sunt omnibus nunc manifesta,vt vel infestissimus Ecclesiasticæ cõcordiæ hostis Mart. Cẽnicius cogatur agnoscere » nos inhærente iustitia, inquit Examine Conc. Tridentini fol. » 697. iustificari. Hæc verò iustificationis Euãgelicæ doctrina cũ » sit abundè Conc. Tridentini decreto Sess. 6. cap. 7. & sequenti explicata, non est cur hîc fusius exponamus; licèt paulò pòst futilibus aliquot istorum nouorum Confessionis Augustanę, defen-

Doctiores & minus peruicaces Protestantes agnoscunt, tandem iustitiam non imputatiuam tãtum in iustificatis, sed etiam inhęrentem.

Ioan. AEpinus.

Andreas Fritius.

Martinus Cemnitius

defenſorum, aliorumq; cauillatiunculis erit reſpondendum, quò illuſtretur magis veritas, per calumniam temere oppugnata.

De effectis, fructibusq; iuſtitiæ Dei nobis communicatæ, animoque inhærentis.

Cùm igitur ex aduerſariorum ſiue proteſtantium in Colloquio Ratiſpon. conſenſu iuſtificatio impij ſit non ſolùm peccatorum remiſſio, aut imputatio iuſtitiæ, ſanctitatis & puritatis Chriſti; ſed inchoata etiam iuſtitia, ſanctimonia & puritas à Deo recepta, ſpiritu Chriſti excitata & perfecta, animæ inhærens, ſiue vt ait Auguſtinus, inſpirata & infuſa. Reſtat videamus an ea iuſti quoque iuſtificentur amplius in reliqua vita, hoc eſt, an iuſtiores reddãtur. deinde an opera, quæ in homine iuſto efficit, meriti nomen dignè accipiant, atque verè ſuſtineant.

An opera iuſtificatorum ipſos iuſtificent.

Quòd ad priorem attinet quæſtiunculam, ſatis opinor locus vnus Apocalyp. 22. (ne dicta repetamus,) abunde docet: Qui iuſtus eſt, inquit, iuſtificetur adhuc. quod cũ Buceri verbis veritati perſpicuè conſonis dudum expoſitum ſit, hoc eſt, proficiat amplius in cœpta iuſtitia & ſanctimonia, non eſt cur de ea laboremus, quòd eius auctoritati plurimum tribuũt aduerſarij, hoc potiſſimum loco, vbi nomine Proteſtantium talem adfert eius ſcripturæ ſenſum: Quæ opera iuſtos iuſtificantia cum ſint, non ſolius gratię Chriſti, ſed etiam hominis gratiæ diuinæ cooperantis, ſicuti ſuperius de libero arbitrio eſt demonſtratum; conſequitur homines etiam ſuis bonis operibus, ſed teſte Chriſto, in Deo factis ſiue ſpiritu Chriſti duce & auctore patratis, iuſtificari.

Buceri conſenſus in Colloquio Ratiſpon. eſt inſtar omnium Proteſtãtium de ſecunda iuſtificatione id eſt vita iuſtiore ac ſanctiore.

Ioan. 3.

Cæterùm quia ſua illa iuſtitia Chriſti ſpiritu afflata inchoata & perfecta, ſiue donata pij & iuſti operantur pia opera (ſiquidem res actuoſa eſt & minimè ignaua, aut languida; ſuo tamen pro cuiuſque modulo) quæſtio nunc oritur, an ea merita ſunt dicenda? Quæ ſanè quæſtio idcirco nobis accuratius venit perpendenda, quòd ea non extremam beneficij in nos Chriſti Domini noſtri laudem videatur complexa: tanta quippe nos ipſius dono liberaliſſ. ditatos eſſe gratia, opibuſque planè cęleſtibus locupletatos nobis gratulamur, quæ humiles Chriſti ſeruos beatiſſimo piorum operum merito etiamnum hac in lachrymarum valle gementes atque laborantes exornet,

An bonorum operum merita ſint appellanda?

Ex meritorum piorum declaratione illuſtratur eximiè magnifica Chriſti Do. gratia membris ſuis impartita.

net, cumulet, locupletet, quod apud Deum iudicem ſit vſui.

Quem Dei Opt. theſaurum in viliſſimis, quòd ad faſtuoſi mundi ac Sophorum huius ſeculi ſua ſapientia tumentium cenſuram attinet, vaſculis, Apoſtolis dico, martyribus, atque ſanctis Dei omnibus reconditum, cùm hac potiſſimum tempeſtate ſubdoli quidam variis artibus, non modò extenuare, conſpurcare, defœdare & adulterare, ſed ſuppilare, adeoque ſemel abolere connitantur, acrius eis reſiſtendum duximus. Non quidem quaſi nos nobis magnorum, aut eximiorum, aut vllorum etiam meritorum ſimus conſcij (cùm peccator quotidie illa Eccleſiæ ſolemni prece Deo ſupplicare non deſinam, vt me intra ſanctorum ſuorum conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor admittat propitius ſimul & benignus) ſed quò gloriam Chriſti in ſanctis ſuis refulgentem propugnemus, obſcuratam illuſtremus, violatam atque indignè vellicatam vindicemus.

Cur auctor peccator de iuſtorum operum meritis accuratius tractandū hîc putarit.

Has enim opes ſuas cæleſtes, has facultates æternas, has veras ſuas diuinas diuitias atque delitias Catholica Dei Eccleſia ſuo à ſponſo Chriſto Ieſu dotatas nulla ſophiſtarum fraude, nulla ſycophantarum arte, nulla diabolorum vi patiatur ſibi ereptas. Eccleſiaſticas opes, prouentus, fundos, agros, patrimonia, latifundia, pauperum lachrymas, cultorum Dei alimenta, ſuam denique vitam tyrannis cùm priſcis tum nouis plurimis cedere, permittere, atque vti dudum in Anglia, donare poteſt pia mater, quippe quibus errantium ſalus ſuis diuitijs charior eſt: ſed monilia & ornamenta, quibus à ſponſo ſuo eſt interius ornata, bonaq́; ita dixerim, paraphernalia, quibus in vitæ æternæ arram eſt dotata, nullis ſibi patiatur artibus extenuari, nullis dolis ſuppilari, nullis denique cruciatibus extorqueri.

Eccleſiæ Catholicæ magis pugnandū pro meritorū thezauro, quàm pro ſuis focis & agris.

Pſalm. 44.

Hæc autem ſunt ſanctorum bona opera, poma illa, quæ ſponſus ſuæ ſponſæ in Canticis ſeruauit, noua & vetera, quæ cùm ſint Dei ſpiritu facta; imò ſi Chriſto fidem habemus in Deo facta, non poteſt eorum pretium, dignitas, atque meritum apud Deum iudicem incorruptum non eſſe multò maximum. Vnde & ſcriptura mercedis nomine præmij, ἀνταποδώσεως, retributionis, ἀντιμίψεως, recompenſationis,

Ioan. 3.

Tituli & elogia bonorum operum in ſcripturis, retributio, iuſticia, merces & meritum.

mer-

mercedis, adeoque τῆς ἀξίας καὶ εὐαρεστίας, meriti elogio honorat, glorioseque dignatur.

Vniuersa hæc piorum operum elogia perlibenter atque gratanter nobiscum agnoscunt Euangelici plerique; sed domino suo ac redemptori Christo ingrati, semiIudaica cæcitate quod ille liberalissimè donauit, extenuare, contaminare, abolere, perdere malunt, quàm gratanter suscipere, gratoque animo prædicare. Non enim mercedem operum bonorum exspectandam volunt solidam, hoc est debitam retributionem: sed indebitam, inquiunt, & gratuitam. vnde & nullum volunt esse illorum meritum proprij nominis. Neque scripturæ (inquit Bucerus, actis Colloquij Ratispon. 2. fol. 590.) bona opera meritorum nomine dignatæ sunt, nec sancti Patres; quod equidem legisse memini; etsi apud aliquem attributa bonis operibus reperiatur, hoc durior est ea Catachresis.

Quanta ingratitudine quidã Euãgelicorum mercedem bonorũ operum extenuent.

An scripturæ dignentur bona opera meriti elogio: quod negat Bucerus.

Præclara extat apud Sapientem sententia: Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Quæ si in vllo mortalium vnquam locum habuit, in hoc homine Buceriana siue felina astutia insigni vel principem meretur locum: cùm mihi vix persuadeam vllum fuisse vsquam locorum aut sophistam callidiorem, aut technologum vafriorem, qui Catholicæ doctrinæ, adeoq; veritati Euangelicæ obscurandæ fumos offuderit nebulosiores.

Prouerb. 19.

Bucerus à fele sibi nomen finxit, vti & olim se Aretium Felinum personatus apostata orbi obtrusit. Germanis enim Bucer felem sonat.

Quò igitur suam fictitiam animi versipellis humilitatem, suorumque bonorum operum (de quibus maluit disputare, quàm eis operam nauare) valorem extenuaret, ac tantum non in nihilum redigeret, initio improbè asserit, neq; scripturas, neque SS. Patres meriti titulo esse bona opera dignatos.

Cui manifestario mendacio, eidemq; gemino fraudulentum, vereque Sycophanticum assuit commentum: hæc appellatio meritorum, inquiens, si apud aliquem SS. patrum reperiatur, hoc durior est Catachresis.

Sophistica Buceri elusio refutatur.

Non potuit inficiari os impudens Sanctos Patres singulari semper elogio, ac meritorum titulo exornasse sanctorum opera: sed venenatum spargit aculeum, duram esse Catachresin, vocisque abusionem. Quid obsecro est Bucere sophistam agere, quid sycophantam, si istud non est, vnde

Non esse Catachresin quãdo PP. bonorum operum apppellant merita, sed proprij nominis vocabulum aptissimum.

obſecro iſtius figmenti petas Bucere vel aliquam probabilis orationis ſpeciem, niſi ex Elenchis tuis Sophiſticis? imò ex Rhetorum floſculis & coloribus, quibus imperito lectori fucum facias. Veteres autem Patres ad vnum omnes fuiſſe hac, meriti, voce abuſos, ecquis tibi credat, niſi qui Chriſtiani nominis, acceptique beneficij oblitus cum ſemi Iudæo Bucero, ne dicam Iudaizante ſua ignoret bona, dignitatemque longè maximam, in quam electus Dei populus atque in peculium adoptatus eſt ſingulari dono prouectus? Patres igitur meritorum appellatione bona opera dignatos dudum antitheſi 4. fuſius eſt demonſtratum. quàm vt hîc ſit repetendum; inde qui deſiderat, licebit repetat.

PP. aiant bonis operibus Deum teneri debitorẽ: quod maius eſt, quã meritum illorum aſſerere.

Hi enim longo enumerati catalogo ſanctiſſ. Patres Dei ſpiritu docti ſua cũ noſſent diuinitùs data bona, non ſolũ ea appellarunt merita, ſed illuſtriore ſunt etiã dignati elogio, adeò vt per ea aſſeruerint D. Cyprianus, D. Auguſtinus, alijque ſanctos Deum tenere debitorem.

Verùm quò Buceriana illa ſemel ſuos in fumos diſſoluatur Sophiſtica, ne Catechreſticῶs hæc omnia dicta amplius obganniát, age videamus num verum ſit, quod tanta impudentia homo effrons non erubuit affirmare, ſcripturas meriti appellatione bona opera nuſquam eſſe dignatas.

Loca Scripturarum quibus meriti elogiũ bonis tribuitur operibus à Buceri cauillatiunculis & manifeſtis corruptelis vindicata.

Obiecerat pridem euangelicis noui euangelij Magiſtris pręclarus admodum vir Franciſcus Romeus duo potiſſ. Scripturæ loca, quibus meriti elogium probaret bonis operibus Dei ore tributum. Bucerus illi ſe opponens, ait Catholicos actum agere, ac præ cæteris hunc ineptire, qui adductis locis Hebr. cap. 13. & Eccleſ. 16. docuerit non ſolum mercedis nomen, ſed etiam meriti bonis tribui operibus.

Quibus inuictis planeque irrefragabilibus pulſatus arietibus Bucerus ad ſui vaferrimi ingenij callida ſanè confugit figmenta, ex textu Gręco, qualem ſeſe legiſſe ſimulat, iuſtæ defenſionis arma petiturus. Atqui Hebr. 13. Talibus hoſtiis promeretur Deus. legitur (inquiens fol. 587.) ἐυαρεςῆται id eſt gratum fit Deo. Voluit enim Spiritus ſanctus hîc docere Deum habere gratam beneficentiã & communicationẽ, hiſq; hoſtijs delectari; non Deum per illas vllo obſtringi debito mercedis.

Talibus hoſtijs, promeretur ſiue propitiatur Deus.

Ita

Ita quidem Bucerus. At vocem Paulinam ἐυαρεςῆται non solùm significare gratum habere, delectari; sed etiam propitiari, placari, atque propitium reddi, vnus D. Augustinus satis est locuples testis: qui libr. de Ciuitate hunc locum legit, Talibus enim hostijs propitiatur Deus.

Vide Augustin. de Ciuit. Dei

Certè Castellio Græcæ linguæ non mediocriter peritus conuertit, propitiatur. & Leo Iudas vna cum tota schola Tigurina Erasmi versionem castigans in margine suorũ Bibliorum, anno 43. reddit, placatur, aut reconciliatur. Sanè & diuus Chrysostomus Homil. in cap. 7. ad Hebræos hanc Paulinam vocem intellexit cõtinere placandi ac propitiandi vim. Viden' qualibus hostiis Deus placatur. ὁρᾷς οἵαις θυσίαις ἐυαρεςῆται ὁ θεός.

Bucerum mendacij arguunt euangelici Grecè peritissimi Castellio & Tigurini, versionẽ Erasmi castigantes.

Rectè igitur vetus interpres expressit, promeretur Deus voce passiua ex promereo. vnde promeritum Ciceroni, id est, beneficium mercede ac præmio dignum; quemadmodum & Cyprianus frequẽter dicit, Pœnitentia & eleemosynis Deum pios promereri. Cuius ætate magis fuit Deponentale verbum, quod dicunt Grammatici.

Promeritum Ciceroni, quod veteri interpreti promereri.

Delectatur igitur Deus non solum, quod fingit Bucerus contra vocis Paulinæ vsum, his bonorum operum hostijs, sed per illas etiam operantibus atque exhibentibus iusto mercedis debito obstringitur. Consolatur namque D. Paulus afflictos suos cõtribules, à spe mercedis æternæ, quam sua in pauperes, captiuos, & exules, omniq́ue iniuria vexatos liberalitate apud Deum iudicem iustum habent repositam. Non est iniustus deus, ait paululum antea, qui obliuiscatur operis vestri boni. Si obliuisci boni operis Deus non potest, mercedẽ iustus iudex piis operibus debet. Quam mercedem debitam siue iusti operis meritum cùm liquidissimè ex altero illo verbi Dei testimonio, Ecclesiastici 16. Catholici conuincamus, Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum: iterum ad codices Bucerus conuolat Græcos, negans in eis meritum operum haberi. Credo equidem in eis, quos Bucerus quidem viderit, meriti vocẽ hodie non legi: sed in omnibus non legi, nec lectam olim fuisse, non sic demonstrauerit. Notum enim est ex Vatabli & Nannij

Ecclesiast. 16. Secundum meritum operum suorum.

annotationibus, quãtopere ista Græca vet. testamenti in vulgus nota à veteri Latina, quæ de Græcis antiquissimis ad verbum olim fidelissimè fuit expressa, varient, planeq́; dissentiãt. Ex vitio igitur Græcorum codicum, qui passim in manibus sunt, antiquissimam Latinæ Ecclesiæ versionem falsi arguere, puerilis planè fuerit ineptiæ: quẽadmodum libris de opt. interpretandi scripturas genere orbi demonstrauimus; aliàs si Deus opt. optatum cum vita largiatur ocium idem copiosius illustraturi.

An vox meriti in diuinis scripturis tribuatur bonis operibus.

Sed vt euidentius Sophistica Buceri confutetur improbitas, age, diuinas perlustremus scripturas num vocem meriti, siue eius æquipollentem aliquam in saluberrimo illarum hortulo inueniamus; vnde istorum delira sanetur inuidia, qua bonis operibus cælestem merendi vim audacter detrahere, imò sacrilegè expilare conantur.

Ecclesiast. 16 Vnicuique secundum meritum suum.

Vbi ergo Latini loco Ecclesiastici dudum allegato legimus, secũdum meritum operum suorum, Græcis hodiernis est, ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει, quod ad verbum est, Secundum opera sua quisque inueniet. Quæ quidem Græca phrasis si expendatur accuratiùs, idem habet quod Latinus expressit interpres. nam κατὰ interdum Græcis proportionem notat, vti κατὰ μέγεθος pro magnitudinis proportione, & κατὰ λόγον, pro rata parte ac iusta proportione partium inter se.

Vocem κατὰ, iustam includere proportionẽ, & legitimã ac iustam rerum inter se congruentiam.

Significat igitur κατὰ Græcis Proportionem, quæ si non est iusta & legitima, & suo quasi modo tẽperata, atque iuri siue iustæ mensuræ respondens, nõ erit proportio; Sed ἀμετρία, ordo perturbatus, modusq́; violatus. Oportet ergo in diuisione agrorum, hæreditatis, aut rerum ex iure, ac pro iuris aut laboris cuiusque proportione distribuendarum obseruari iustitiam & mercedem, quę omnibus à Deo pro cuiusque reddetur operibus ex iustitia.

2. Corinth. 5.

Vnicuiq; enim reddet Deus secundum opera sua; & quisque referet propria corporis prout gesserit, siue fecerit in corpore suo bonum, siue malum.

Quod impiis iusta reddetur à Deo merces, ac merita pęna.

Neminem equidem arbitror tam esse improbè audacem, aut sacrilegè improbum, qui dicere ausit malis, impiisq́ue hominibus à Deo iniustam rependi mercedem. Nam cũ varia sint impiorum tormenta, necesse est varia illa variis ipsorum respondere commeritis, sceleratisq́ue flagitiis. Alioqui

vna esset damnatorum omnium pœna, quòd nullus nisi Epicureus quispiam, aut Lucianicus sentiat.

Varia ergo cùm sint impiorum supplicia (nam secundum mensuram delicti erit, & plagarum modus) nec quisquã illorum aliquid luat supra suum meritum, oportet malorũ operum constituere meritum, quemadmodum non pauci Euangelicorum primi nominis facere non dubitent.

Meritum malorum operum necessariò arguit esse & bonorum operum meritum apud Deum iudicem iustum.

Quòd si malorum operum est meritũ, cui à Deo sua iusta redditur pœna, cuius, obsecro, furoris cẽsendum, bonis operibus etiam suum non agnoscere meritum? Certè vox illa Græcis notissima κατ' ἔργα cogit eandem in bonis operibus agnoscere proportionem, quam modò in malis euicimus operibus.

Quòd igitur ex vi Præpositionis κατ' ostendimus, idem ex altera τοῦ πρὸς euincatur. Habet enim & ipsa inuolutam proportionem, siue iustitiæ rationem. quemadmodũ & Plutarchus in Fabio πρὸς ἀρετὴν τὰς τιμίας νέμει, honores pro cuiusque virtute impartitur, atq; distribuit, vti enim cõuertit; licet plus in voce latere non ignorauerit: quòd & Græci Lexici Basileæ, anno sexagesimo tertio editi auctores ingenuè agnoscentes reddiderunt, Pro meritis virtutum honores impartitur. Eadem vis huius voculæ πρὸς apud diuum Paulum accuratè est animaduertenda, 2. Corinth. 5. Vt quisque reportet, prout gesserit in corpore, siue bonum siue malum, vti Græca Frobenij, aliaque habent πρὸς ὅ, ad id quod fecit, siue vti plenius Beza expressit, congruenter ad id quòd fecerit vel bonum, vel malum. Et clariùs in Commentarijs, dum ait, hoc loco differit Apostolus de corpore, quod in se recipiet vel gloriam, vel ignominiam perpetuam pro transactæ vitæ ratione. Vbi ergo vitæ transactæ ratio æstimatur, ac veluti ponderatur, vt iustum pro valore, siue merito & iusta æstimatione recipiat præmiũ, mercedem, aut stipendium, verè est meritum, quod saltem cõgruenter est ex iustitia Dei rependendum.

Voculam πρὸς apud D. Paulũ includere iustã pro cuiusq; opere mercedem ac meritum.

Beza fatetur quemq; pro vitæ suæ transactæ ratione congruentem à Deo accepturum mercedem.

Ex hac fideli Bezæ Veselij versione perspicuum est quoddam operum piorum meritum in Scriptutis contineri, puta

Meritũ cõgrui, quod scholę dicunt Beza manifestè statuit.

puta meritũ, quod antiquo Scholarũ vocabulo Congrui vocitatur: quasi congruum sit, consentaneum, atq; conueniens, vt eis merces tanquam iustum stipendium rependatur. Illam enim τȣ̃ πρὸς vim rectè expressit, vt congruenter quisq; ad id quod fecerit, reportet in Dei iudicio iustissimo.

Cùm iam sit euictum meritũ congrui habere locum in Dei iudicio de piis Sanctorũ operibus, an etiam meritũ de condigno debeat agnosci ex scripturis.

Si congruenter, pro actæ vitæ ratione hoc fiet, etiam congruum erit, atq; iustitiæ consentaneum, vt quisq; suã recipiat mercedẽ, non minus boni, quàm mali. Quòd si æquus rerum æstimator inficias ire nequeat; constituto nunc congrui merito, superest vt & paucis inuestigemus, num & illud operum meritũ in scripturis reperiatur, quod maiores de cõdigno suis scholis apto vocabulo nuncuparunt. Istud magis exhorrescũt aduersarij, quibus oculi sunt humanæ prudentiæ nebula, carnalisque sapientiæ quasi lema ita suffusi & obfuscati, vt aureũ illum virtutis Christianæ splendorem instar meridiei diuina ex gratia refulgentem ferre nequeant. Hac enim sua ex malitia destituti Dei gratia, eius lucem alibi splendescentẽ, neque ferre possunt, neque agnoscere dignantur. Est tamen veritatis agenda causa, vt Dei gloria, inuitis istis veræ virtutis æmulis, qui eam, qua diuinitus est prædita, ornataque præstantia, prærogatiua, cælestique dignitate priuare non verentur, magis illustretur: & huius ætatis infelicissimi homines simul & ad opera bona ignauissimi; qui obtrectatione istorum pseudoTheologorum & hostili bonorum operum insectatione, obfuscatione, & suæ quasi laudis priuatione torpidi, ac tantum non frigidi, ardentioribus studijs virtutem veram excusso ignaui ocij torpore colant, verbis prædicent, piisq́; moribus præstent. Quòd ergo pia opera in Dei iudicio nomen sustineant meriti, quasi digna sint, quibus reddatur vitę æternæ præmium, iusta merces aut stipendium; vnus aut alter locus luculenter euincat: quos in præsenti suffecerit delibasse; donec plus ocij istis amplificãdis dederit Deus propitius. Doctor omnis veritatis Christus Iesus omnium operum futurus Iudex, nos apud D. Lucam exhortatur: Vigilate orantes semper, vt digni habeamini ista futura effugere, & stare coram filio hominis; siue vt Græcis est, ἵνα καταξιωθῆναι, quod rectè de Syriaco expressit Imanuël Tremelius, orantes vt digni

Lucæ 21.

sitis

ſitis, vt fugiatis ab iſtis futuris,& conſiſtatis coram filio hominis. Meritò enim Beza Eraſmum reprehendit,quòd verterit, vt liceat vobis fugere. Sic enim Eraſmus vim Græcæ vocis deprauauit: quæ manifeſtam inuolutam habet dignitatem,quá τὸ ἀξίωμα Græci appellant.

Eraſmus meritò à Beza reprehenſus.

Huius ergo Euangelicæ exhortationis Chriſti Domini veſtigijs inſiſtentes Theſſalonicenſes ſuos laudat diuus Paulus, eiſq; gratulatur,quòd rebus ipſis illa Chriſti domini præcepta præſtarent,ac ſua fide in dies eſfloreſcente,atquè pia charitate in horas in ſe mutuum exundante ſeſe in occurſum domini Chriſti iudicis præpararent. Verùm quo ſtudio,qua fiducia,& qua ſuæ piæ vitæ opinione id fecerint pij illi Theſſali,Paulum ipſum adeamus arbitrum. Nos de vobis gloriamur,inquit,in Dei Eccleſijs pro patientia veſtra, malorumque tolerantia,& fide in omnibus perſequutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum,ἔνδειγμα,certiſſimum argumentum iuſti iudicij Dei,vt digni habeamini regno Dei; pro quo (regno) & patimini. Quod D. Ambroſ. hunc in modum aurei ſui Con. verbis ambroſia ſuauioribus illuſtrauit. Gloriam eſſe ſuam,ait, in horum conuerſatione & perſecutione toleranda teſtatur: in tantum vt apud cæteras Eccleſias exempla eorum proferantur; vt imitatione eorum creſcant in deuotione paſſionum pro Chriſto, vt mereantur cōſequi quæ promiſſa ſunt ſanctis in die iuſti iudicij Dei; cuius amore mundū ſpernere nō dubitarūt. Ipſe enim preſſuræ exēpla ſunt futurorū meritorum in his,qui patiuntur ad gloriam; in illis autem,qui perſequuntur ad perditionem. Siquidem iuſtum eſt apud Deum retribuere eis, &c. Quoniam exemplum iuſti iudicij Dei apparere dicit ſiue in bonos, ſiue in malos; idcirco ſubſequutus ait: Siquidē iuſtū eſt apud deum vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua.

2.Theſſal.1.

Chriſtiani per afflictiones pro Chriſti fide toleratas merentur conſequi æternæ quietis promiſſiones. Ambr.

Piorum afflictiones ab impijs ob Chriſti fidē inflictæ indubia ſunt piorum meritorum argumenta.

Certè D. Pauli vox, ſicuti & D. Lucæ καταξιωθῆναι perſpicuam habet incluſam piorum operum dignitatē;quæ cuiúſnā ſit momenti ad rem, quæ in præſentiarum agitur,non fuerit difficilè demonſtrare.

καταξίωμα apud D. Paulum & D. Luc. complecti veri nominis meritum ſiue præclarè factorū dignitatem, quæ iuſtam mereatur mercedem.

In politicis rebus iſtud ἀξίωμα dignitas,laboribus, curis, & ſtudijs in Rempublicam impenſis manifeſtam inuoluere iuſtam

ſtam mercedem, verumq; meritum notius eſt vel ſemigræcè peritis, quàm vt ſit hîc perſequendum fuſius.

Hanc Græcæ vocis vim non agnoſcere in pijs fideliũ operibus, ſicuti in prauis infideliũ facinoribus, magnæ fuerit improbitatis, maioris inſcitiæ, maximæ inuidiæ. Idem & Latinis vox dignum ſonat, quod diuus Ambroſius meriti vocabulo reddidit.

Sed ne vocum videamur niti aut vi, aut pondere, maius adfert momentum, quod diuus Paulus ex ipſa rerum natura depromit.

Cauſam enim oſtenſurus idcirco ſuos Theſſalos iure optimo confidere de horribili illo Chriſti iudicio, quòd per eius ſententiam digni iudicarentur regno Dei, ſubtexuit: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini Ieſu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis, dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euãgelio domini noſtri Ieſu Chriſti.

Duas hîc iuſti Iudicij Dei partes diſcernit Paulus; vna impijs perſequutoribus iuſtas reddet pœnas, meritaq; ſupplicia: altera piis dura ob Chriſti nomen perpeſſis, variaque tribulatione exagitatis, vexatis, dilaniatis requiem illam verè beatam rependet. Quis hîc non videat vtriſque pro ſuorum operum merito rependi mercedem? Sanè ſi quid merentur fidei Patres orthodoxi, hac in re ſunt cumprimis audiendi. Quod D. Ambroſius dixit Theſſalos meruiſſe conſequi, quæ ſunt Sanctis in die iuſti Iudicij Dei promiſſa. hoc etiam D. Theodoretus diſertè cõteſtatur. Hunc enim locũ explicaturus, docet Apoſtolum dicere eſſe iuſtum & iuſtitiæ, ait, Legiſlatori conueniens, vt nos remuneretur pro perpeſſionibus fidei, & de aduerſariorum impietate pœnas ſumat. Sic & in Græcis Scholiis apud Oecume. dum illud exponit, In exemplũ ſiue demonſtrationem. Hæc enim, ait, & ad iuſtum Dei iudicium demonſtrandum toleratis, καὶ πρὸς τὸ καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, & vt digni fiatis regno cælorum, ac ſi dixiſſet: Idcirco permiſit vos Deus in iſtis afflictionibus eſſe, vt cum cælorum regnum ἀποδίδωσιν ὑμῖν vobis reddiderit, oſtendat, &

Legiſlatori iuſto conſentaneum eſt, vt meritam rependat piis mercedem.

Iuſto ex iudicio Deus iudex reddet regni cæleſtis mercedẽ pro piis operibus.

quaſi experientiam ac demonſtrationem det τῆς οἰκείας δικαιοκρισίας ſui iuſti iudicij. ὅρα δὲ ὅτι τὸ ὑπὲρ τοῦ χριστοῦ πάσχειν κατὰ δικαιοκρισίαν παρέχει τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὐ κατὰ χάριν.

Vide, obſecro, quòd pro Chriſto pati, regnum cælorum adfert atque præſtat, ſecundum iuſtum iudicium, non ſecundum gratiam. Quod ita non eſt accipiendum quaſi interpres Pauli diuinam gratiam excluſam velit, aut Chriſti iudicis miſericordiam; tanquam gratiæ non eſſent pia opera per nos facta, aut etiam citra miſericordiam Catholici cupiamus iudicari: Sed illud κατὰ χάριν. Non ſecundum gratiam, illorum temerario oppoſuit errori, qui ſolius diuinæ miſericordiæ rationem haberi in dei iudicio hallucinantur; non etiam bonorum operum, aut prçclarè factorũ. Nam hos refellens Paulus Apoſtolus, ait, iuſtũ eſſe, vt dei iudicium longè omniũ iuſtiſſimũ non tãtum ex miſericordia, ſed ex iuſtitia iuſtam reddat mercedem operibus, & malis malam; & bonis bonam.

Quonam ſenſu accipiendum Deum iudicem reddere mercedem ſecundum piorum merita, non ſecundum gratiã, vti Græcus interpres loquitur.

Hæc illa eſt merces, cuius ſuauiſſima promiſſione, diuini olim Prophetæ iuſtos aſſiduè conſolabantur. Er merces eius cum eo, ait Eſa. 40. Rurſus quod per Chriſtum cælitus in terram miſſum ille annus veniret tandem retributionis, ſiue ἀνταποδόσεως quemadmodum ex Eſa. nobis recitat D. Lucas capit. 4. Sed hic obganniet iterum Bucerus, neque hoc eſſe in Græcis codicibus. Agnoſco, non eſt in ijs, quos Bucerus fortè vidit. multa enim quæ vidit, prudens & ſciens diſſimulauit, vt fucum faceret imperitis homo verſutus. Neq; quos Eraſmus, neq; quos omnium diligentiſſimus veterum noui Teſtamenti codicum collator Rob. Stephan. ſed extat illud Capitulum D. Lucæ, in plurimis Græcis exemplaribus, quæ Theodorus Veſelius ſuis citat in Comment. In hunc annũ Retributionis reſpiciens S. Dauid exclamauit: Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas, propter retributionem! quæ locum nõ haberet niſi propter opera, imò propter piorũ merita Deus iuſtus Iudex nõ cuiq; redderet prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum: cuius præmij variè reddendi apud iuſtum iudicem Deum agonothetam nõ poteſt eſſe differentiæ cauſa, niſi boni vel mali operis meritum.

Eſaiæ 40.

Lucæ 4.

Locus D. Lucæ, de anno retributionis, per Chriſtum futuro, mutilus in pleriſque Græcis codicibus, ſicuti & in Syriaco Tremelij.

Proinde cùm nõ ſolum perpetuò S. PP. cõſenſu, liquidoq; Eccleſia-

Epilogus huius Capit.

Ecclesiarum omnium Christianarum vsu: sed diuinarum etiã scripturarum testimoniis demonstratũ sit, pijs operibus Christi spiritu factis suam esse iustam ac debitam promissam mercedem, meritumque à Deo, vti aiunt ex Paulo Cyprianus, & Augustinus, debitore reddendum atque persoluendum. Iam ad tertiam initio huius controuersiæ propositam quæstionem decurrat oratio, An pijs sola Christi gratia, meroque eius merito sit nitendum in Dei iudicio; ita vt non suis operibus iustisque suis promeritis?

3. huius controuersiæ caput, an Iusti suis pijs nitantur operibus Christi spiritu factis?

CAP. XXIIII. De solida bonorum operum fiducia in Dei iudicio.

Hac in quæstione dissoluenda diuinæ gratiæ hostes copiosam Dei misericordiam ingratè sibi inuidentes cornicũ oculos, quod dicitur, configere contendunt. Volunt enim iustificari sanctos in dei iudicio, non suorum operum in Deo factorum (quod sępius est vel cum istorum ingratorum fastidio, atque ingratijs repetendum) respectu aut merito: sed Christi iustitia illis externa siue imputata. Coacti enim à scriptoribus Catholicis tandem veram agnoscere in iustis à Christi spiritu iustitiam, verentur misselli isti, quia de bonis operibus contendere, quàm bonis operibus sedulam nauare operam malunt; ne non sufficiat diuino iudicio illius meritum, pretium, siue dignitas.

Duplicem fingunt nunc Euangelici iustitiã in sanctis.

Quòd si meritorum aut suorum, aut meorum extenuandorum causa facerent, laudanda sanè cùm primis esset humilitas Christiano pectore dignissima. Verùm cùm generatim omnium sanctorum merito fraudulentas struant insidias, Sathanico est occurendum stratagemati à Christi hostibus Ecclesiæ Catholicæ intentato. Itaque gratiæ Dei ingrati, atque Dei verbo fidem non habentes; sed in suis humanæ sapientiæ cogitationibus euanescentes, fingunt duplicẽ esse in credentibus iustitiam: vnam internam, siue inhærentem, que confertur recepto in gratiam; alteram externam, siue imputatam, quæ Christi est, quemadmodum hallucinatus nugatur Bucerus actis Colloquij Ratispon. 2. fol. 222. & seq. Illam accepit & habet, ait fide & re ipsa: hanc fide tantũ, qua & nititur confidens de gratia, illa minimè; non enim satisfacit legi dei.

Isthæc humanæ doctrinæ de diuinis iustorum operibus figmenta sequutus censorius ille Concil. Tridentini examinator

Cemni-

Cemnicius,rei ipsius absurditate admonitus non posse aliquẽ iustum pronunciari in Dei iudicio, quod secundum veritatem agitur, ab externa iustitia; sicuti nec formam alicuius rei dicimus quæ ipsi rei non inest: neque fortem aliquem ab alterius heroïca fortitudine: non est curandum(inquit fol. 733. Tom.1.)etiamsi sentẽtia nostra incurrat in absurditatem philosophicam.

Quid verò hæc argumenta aliud ostendunt, quàm Pontificios in doctrina iustificationis, relicta Euangelij luce, quærere sententiam, quæ conformis sit & consentanea philosophicis opinionibus,aut certè legalibus sententijs de iustitia? Elusio Cemnicij refellitur.

Atqui nos Cemnicij priscam Ecclesiæ Christianæ doctrinã verbo Dei fundatam,perpetuoque PP.orthodoxorũ consensu stabilitam de iustificatione euangelica obtinentes non lucem Euangelij reliquimus: sed vos deserto viuæ aquæ fonte fodistis lacunas humanæ doctrinæ de imputatitia & imaginaria iustitia, contra perpetuũ orthodoxæ atq; Catholicæ Ecclesiæ consensum, contra manifesta adeò verbi Dei testimonia: quæ iudicium Dei testantur fieri in veritate, non in simulatione iustitiæ absentis, & imputatæ, aut hypocrisi vlla. Quo pacto autem Deus Apostolum Paulum verè suo illo in iudicio pronunciabit iustum, qui, vti fingitis, magnaque in D. Paulum, imò in Christum ipsum contumelia blasphematis; quòd legi non satisfecerit,sordidus est,inquinatus est,iniustus est? Vultis sola Christi iustitia,quæ Dei filijs, vti hallucinantes imaginamini,externa est,neque inhærens,aut præsens,D. Paulo nitendum ad Dei Tribunal. At ille contra vos protestatur sibi pro iusto suo merito reddendam iustitiæ coronam, non donandam; vti annotat D. Augustinus, quemadmodum mox dicetur fusius, sic enim est Pauli meritum, quo Deum tenet debitorem,vt & Dei sit.

Quod iam dudum de iustitia est demonstratum, eam sic Dei dono hominibus per Christum communicari, vt verè sit hominum Christianorum(sic mea erit, inquit Augustinus, vt sit tua) ita & bonorum operum meritum ita esse Christi faciemus perspicuum, vt tamen & verè hominum Christianorum sit per Christi auxiliantis, suumque spiritum commu-

Totum piorũ operum meritum Deo, & vni Deo tribuũt Catholici.

nicantis meritum. Nullum enim Catholici agnoſcimus, nedum prædicamus aut bonum aut verum meritum, niſi quod à Chriſti ſpiritu auctore eſt profectum, vereque ab eo in homine ſuo templo & domicilio effectum. meritis enim ſuis, vt præclarè ait Auguſt. in Pſalm. 139. nihil tribuunt ſancti, totum niſi miſericordiæ tuæ ô Deus tribuunt! Quilibet enim Catholicæ Dei Eccleſiæ filius liberè cum D. Bernardo exclamat, Nolo meritum quod, gratiam excludit.

Ber. ſup. Cant. Ser. 17.

Quum enim viderit homo, vti & Confeſſioniſtę ex eodem recitant Auguſtino, quicquid boni habet, non ſe habere à ſe, ſed à Deo ſuo, videt id totum, quod in eo laudatur, non de ſuis meritis, ſed de miſericordia Dei eſſe. Quæ igitur prædicamus bona Chriſtianorum opera, ſiue merita, non niſi ex Chriſti dono, & Patris docemus eſſe miſericordia. Iam ſi hunc vnicum meritorum omnium fontem Chriſtum Ieſum à Catholicis, iure ac vti meretur prædicatum benigno, candido, minimeque contentioſo aut peruicaci animo grauiter cogitare vellent aduerſarij, nulla ſupereſſet hac de re grauiſſima diſſidij remora. Siquidem vt malis operibus debetur damnatio, ita bonis, teſte Auguſtino ab Confeſſioniſtarũ patronis ex Pſal. 31. & 70. allegato debetur regnũ cælorum.

Bonis operibus debetur regnũ cælorum teſte Auguſt. quem aduerſarij allegantes ſuo ſeſe iugulãt gladio.

Si debetur bonis operibus regnum cælorum, quod veritas inuitis aduerſariorum faucibus erumpens proclamat, aliquod eſt bonorum operum meritum, propter quod debetur, alioqui enim nullum eſſet debitum, niſi meritum ſit, quod verè debitum efficiat. Quòd ſi iuſtum eſt malorum operum meritum, damnatio, iuſtum quoque erit bonorum operum meritum, regnum cælorum.

Cæterùm quò magis Chriſti Domini ſuis in mẽbris Deique filijs iuſtificatis gloria illuſtretur, agedum videamus an non tantæ dignitatis ſit hoc iuſtorum meritum, vt eo niti quis verè poſſit in Dei iudicio? Si enim debetur iuſtis operibus regnum cælorum, pro merito redditur, veraq; iuſtitia retribuitur. vnde & Deum nobis fieri debitorem dudum Cypriani & Auguſt. aliorumq; orthodoxorũ PP. teſtimoniis demõſtrauimus, Antitheſi 4. Sed hoc manifeſtius D. Pauli verba euincũt. 1. Tim. 4. Reddet mihi, ait, coronam iuſtitiæ iuſtus iudex in illa die,

quàm

quàm vt ſit copioſius pertractandum. In quem locum D. Auguſt. Audi Paulum (inquit Con.in Ioan.2.cap.4.) flagitantem debitum, qui primò indebitam ſuſceperat gratiam. De cætero, ait, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ Iam debitum flagitat, iam debitũ exigit. Et Con.in Pſal.100 Inuenit Deum donatorem tempore miſericordiæ, tenet eum debitorem tempore iudicij, non dicit donabit, ſed reddet. Similiter Con. in Pſalm. 93. Cùm conuertetur iuſtitia in iudicium tempore extremi iudicij, quærit Propheta, qui iuxta illum ſecurè tunc ſtare poterunt, & exſpectare eius ſententiam? Reſpondet quòd omnes, qui recto ſunt corde. Tunc enim iuſti ſtabunt in magna conſtantia, & cum gaudio, & magna ſecuritate leuabunt capita ſua.

Paulus flagitat debitum à Domino Deo ait Auguſtinus.

Quòd ſi ſecuri ſtabunt illo in iudicio iuſti magnaque ſecuritate iuſtum Dei exſpectabunt iudicium, recte docemus Catholici bonis operibus Chriſti ſpiritu in nobis factis fidendum atque nitendum. Dei enim iudicium in veritate eſt. An non eleemoſyna ab omni peccato, ipſaque adeò morte liberat? vti ait Dei verbum Tob. 4. & 14. fiduciaque magna eſt coram ſummo Deo: Sicut enim impietas, ait Hieronymus. Con. ad 3.cap. Titi, magni Dei reformidat aduentum: ita ſecura de opere ſuo & de fide illum pietas præſtolatur. Nam ſic in Baptiſmo omnia ſunt condonata crimina, quod idem ait epiſt.ad Ocean. vt poſt indulgentiam, iudicis non ſit metuenda ſeueritas. Quòd enim de martyrum dilectione Tertullianus dixit, ſic operire multitudinem peccatorum, ita vt nihil imputari poſſit: idem & iuſtis, potiſſimum quos D.Paulus Hebræorum 12.perfectos ſiue τετελειωμένους, integerrimos omnibusque numeris abſolutiſſimos appellauit, meritò dicatur.

Fiduciam in Dei iudicio adfert atque parit eleemoſyna, adeò vt magna ſecuritate iuſti exſpectent Dei iudicium.

Pietas Deũ ſecura præſtolatur de fide & operæ ſuo.

Hebr. 12.

Siquidem in hoc eſt perfecta charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij, apud Deum iuſtum iudicem. quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Tales autem non ſolum repertos in vet. teſtamento, ſed etiam in nouo, Chriſtus Dominus, ipſe iudex omnium futurus variis locis pronuntiat, ſeſe ſeruos ſuos aliquot bonos, & fideles reperturum conteſtatus. Sic Paulus ſuos Theſſalonicen. bo-

1.Ioan. 4.

Matth.25.

2 Theſſ. 1.

norum operum eximiè ſtudioſos ab impijs vexatos, ne iniu-
„ rijs laceſſiti animo langueſcant aut perſecutionum aſperita-
„ te frangantur, conſolatur, quia pro regno Dei patiuntur vt
„ ipſo digni habeantur.

Hac iuſta Dei retributione Sancti interdum freti atque ſolidiſſimè confiſi Deo ſua benefacta, innocentiæ ſuæ, atque integritatis elogia piè commemorant, non in ſe, ſuiſúe meritis, ſed in Deo illorum auctore gloriantes.

4.Regum 11. Obſecro, inquit Ezechias, Domine memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim, ſic & D. Iob ſuam optat vitæ innocentiam calamitatibus, quibus tantum non opprimebatur. componi, vt appareat illas non ſuis redditas peccatis, ſed brauij grandioris, coronæque augendæ gratia fuiſſe diuinitus inflictas. Vtinam appenderentur peccata mea, inquit cap. 8. quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret. Tantum abeſt igitur vt viri ſancti vera & ſolida Dei iuſtitia ornati, atque Chriſti redemptoris ſpiritu ornati & inſtaurati, ſuo defuncti ſtadio, victoque certamine freti iudicium Dei formident, aut trepidi expaueſcãt, vt illud ſecuri expectent, anhelique exoptent; magna nimirum piæ vitæ fiducia verùm Dei Iudicium ſubituri, quod non poteſt non in veritate atque iuſtitia fieri. Hinc D. Ambroſius mori non timet, quòd bonum Dominum habeat. D. Martinus moribundus ſathanæ audet etiam exprobrare, quòd nihil ſuum apud iudicem Chriſtum eſſet reperturus. D. Paulus gloriatur, ſibique gratulatur ſeſe ad Chriſti tribunal ſiſtendum, vbi repoſitam ſibi, ait, coronam iuſtitiæ, quam ipſi reddet, non donabit, vti annotat Auguſt. quàm ipſi, inquam, reddet iuſtus iudex. Et quia debitorem tenet Deum, ideo debitum vitæ æternæ, ait Auguſt. efflagitat, exigitque. Nam in futura vita, vbi vitiorum erit retributio iuſta, pro bonorum operum meritis iuſto iudicio (ait D. Auguſt. lib. 3. de Corrept. Cap. 13.) etiam ipſa miſericordia retribuetur. Qua ratione autem huic doctrinæ non obſiſtat operum piorum imperfectio, quaſi legi Dei non ſatisfaciant, ſuo inferius explicabitur loco, Antitheſi. 10.

Sancti olim iudicium Dei exſpectabant intrepidi.

Verùm

Verùm in hoc bonorum operum merito, quo pius homo iuſtificatur, ſiue ex iuſto efficitur iuſtior, coronamque iuſtitiæ promeretur, atque iuſtus à Deo iudice coronatur, nullas ſui ſolius (quòd calumnioſorum hominum cauſa iterum atque iterum eſt ad Chriſti gloriam magis illuſtrandam inculcandum) aut ſui verè atque ex origine proprij meriti partes poteſt agnoſcere. Veriſſimè namque cum D. Auguſtino profitemur, omnique iuſtificato, Petro, & Paulo dicimus, nihil es per te, peccata tua ſunt; merita autem Dei: ſupplicium tibi debetur, & cum præmium venerit, ſua dona coronabit, non merita tua.

Quam prorſus nullas partes humanæ iuſtitię Catholici agnoſcant in piorum operum meritis, vt ſoli Chriſto reddatur ſolida gloria.

Quæ vna D. Auguſtini ſententia pacem Eccleſijs meritò reddat, ſi aduerſarij ſeſe patiantur D. Auguſtini verbis vel à ſe hîc recitatis ad veritatem perſuaderi, aut placidè à nobis audire, quæ ad abolendas ipſorum malignas potius cauillatiunculas, quàm doctas ſolidaſúe argumentorum oppoſitiones, adferimus. Si enim citra contentionem noſtrum admitterent reſponſum, agnoſcerēt nos nihil à Patrum ſententia tot D. Auguſtini verbis à ſe ipſiſmet recitatis conteſtata docere diuerſum, nihil à conſenſu veteris Eccleſiæ Catholicæ nobis vno ore ſuffragantis peregrinum, nihil varium, nedum alienum.

Adſit iudicij cādor, facilè cō ponetur Eccleſiarum diſsidiū.

Viderent enim & nos, vti & Patres, alicubi nullū agnoſcere meritum, alicubi agnoſcere quoddā meritum: ſed non niſi ex almo illo & inexhauſto Chriſti Domini merito profluens, largiterque promanans, quod per eius Spiritum miſeris alioqui nobis mortalibus cælitus communicatur. Viderent item nos cum Patribus alicubi nulla bona agnoſcere opera; alicubi agnoſcere: ſed à Chriſti ſpiritu, imò vti Chriſtus ipſe Iohannis 3. docet in Deo facta. Viderent denique & nos cum Patribus quodam ſenſu admittere ſolam fidem iuſtificare, modò non aut conuerſorum pœnitentia, aut Sacramenti efficacia: ſed Phariſæorum tantum excludatur ſuperbia: quodam ſenſu non admittere, ne bona opera videamur excludere: quorum merito vitæ æternæ mercedem, & coronam iuſtitiæ ſecundum Chriſti euangelium ac perpetuum veterum Patrum, conſenſum iuſtus ille Iudex illo olim die reddet, atque remunerabit.

Sarciendæ concordiæ ratio facillima de bonorum operum merito atque tota iuſtificatione.

Hæc quia delecti illi Confeſſioniſtarum patroni neque nobiſcum, neque cum Patribus Vet. neque cum ipſa adeò ſcriptura diuina volunt diſtinguere, hinc puerilibus nugis, imò verè ſophiſticis ſtrophis Catholicam vexant doctrinam. Aiunt enim in Antitheſi Catholicos aduerſus ſcripturarum loca, & Patrum teſtimonia dudum commemorata docere iuſtificationem conſiſtere in bonis operibus, vt qui corã Deo conſequi velit iuſtitiam, hunc oporteat tot ac tanta merita bonorum operum adferre &c.

Aduerſarij res longè diuerſiſſimas commiſcent, ſuaq; abſurda ſtudent calumniis propugnare.

Verùm inſulſiſſima hæc calumnia frigidior ſit, an malignior, meritò ambigat lector candidus: qui meminerit Catholicos ex vet. orthodoxorum PP. præſcripto mille locis diſtinguere iuſtificationẽ primam à ſecunda, quod ne ipſi quidem Confeſſioniſtarum defenſores poſſunt inficiari, ſi bona fide rem tanti periculi agunt. Sed quis ſatis tragicè iſtorum Confeſſionis Auguſtanæ Patronorum malum dolum exaggeret, qui iſtam calumniam Catholicis affictam (quaſi in omni iuſtificatione, ſiue qualibet iuſtificationis ſpecie requirant bonorum operum merita) ex D. Petri à Soto doctrina conantur ſtabilire, cùm diſertis verbis profiteatur ſeſe locutum de bonis operibus (inquit vti ſapientes iſti Confeſſioniſtarum defenſores ipſi fol. 128 recitant) quæ ex diuina gratia fiunt.

Calumnia in Catholicos depulſa.

Dolus malus iſtorum Confeſsionis Auguſtanæ Patronorum.

Suis ſe verbis iugulant aduerſariorum calũniæ in P. Soto confictæ.

Videt igitur lector candidus aduerſarios diuerſarũ controuerſiarũ ſtatus more ſophiſtarũ callidè permiſcere, quò fucum imperitis faciant, fumosq; ſuarum nugacium antitheſeôn vendant. Sed ſicuti Cõfeſſio Auguſtana eiuſq; Apologia Catholicos falſò de doctrina Pelagiana infamauit, calumnioſiſſimeq; hactenus accuſauit: ita, & maiori ſanè impudentia, noui Confeſſioniſtarum Patroni eandem cuculorum more recantillant, (ſed nuſquam probant, rebuſúe ipſis demonſtrant) cantilenam Zoilis digniſſimam.

Seßio 6. Can. 1.

Variis enim & ſcriptis & colloquijs, imò diſerta Conc. Tridentini doctrina iſtis à calumniatoribus oppugnata profitemur Catholici eſſe anathema, ſi quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturę vires, vel per legis doctrinam fiant, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia poſſe iuſtificari coram Deo.

Quid

Quid his verbis dicatur clarius, quid manifestius, quid aduersarijs sanandis (nisi mentem peruicacia obstinatam reddat) efficacius, modò suos ipsi oculos ad tam illustrem nostræ doctrinę professioné velint beneuoli aperire? Sed hæc cùm videntes nó videant, id est, Pharisæorũ more oculos suos ad effulgenté atque vndique ipsis affulgenté veritatem claudát; ecquid mirum, si cum illo veritatis hoste Elyma diuinitus percutiantur aorasia: quò fit vt quòd saluberrimum, adeoque certissimum ipsis foret collyrium, in graue sibi vertant offendiculum. Quòd præclaris istis Confessionistarum Patronis hoc loco vsuuenire non est cur quisquam admiretur.

Aduersarij calumniãdi odio ebrii videntes non vident.

Nam calumniandi odio rabidi aduersarij ex R. D. Petri à Soto verbis annotant quasi asistaton, quod ipsis proculdubio verum fuisset collyrium ad cæcatam oculorum suæ mentis, sanitatem recuperandam longè vtilissimum: si modo placidè atque benignè, sua cholera odijque sanie repurgata, ipsam rem citra personæ respectum placuisset considerare.

Cùm enim ille bona opera ex gratia Dei facta ad vitam æternam docuisset non solùm vtilia, atque necessaria, vti & August. aliique PP. Orthodoxi Cyprianus, Ambros. Hieron. suprà commemorati: sed ipsis etiam fidendum esse, subiecit; nec propterea, inquit, nobis, sed diuinæ gratiæ per Christum fidimus. Hîc isti miseri suum orbi demónstrantes oculis suffusam glauconiam annotant; Vide autem inquiunt fol. 128. vertiginem sophisticam! apertè dixit Asotus fidendũ esse bonis operibus; & tamé mox subijcit nó esse nobis fidendum.

Vertigine raptati alios iudicant vertiginosos.

Hic vnus sanè locus abundè sufficiat ad malignum istorum delectorum Confessionis Augustanæ Patronorum, cauillandi studium, candidis lectoribus demonstrandum, quod luce clarius sese hîc turpissimè prodit. An qui affirmat non esse nobis fidendum, non profitetur etiam nulla nobis ex nóbis esse pia opera, aut benefacta? id est, in prima illa iustificatione nullum nec esse, nec requiri nostrum meritum? Rursus qui docet bonis operibus ex diuina gratia factis in secunda iustificatione, siue post baptisma, fidendum, non tamen nobis, sed diuinæ gratiæ fidendum, annon totam bonorum operum fiduciam vni Christo acceptam docet ferédam? An hic vllum

Quo sensu fidendum bonis operibus, non tamen fidendũ nobis, aut humanis meritis.

 solius

ſolius hominis, imò humanum vllum agnoſcat meritum, qui diſerte profitetur non eſſe nobis fidendum, ſed diuinæ per Chriſtum gratiæ.

Non hîc igitur vertigo ſophiſtica, vti exprobrant aduerſarij, locum habet, aut aſyſtaton: ſed legitima, imò neceſſaria, quia verbo Dei nixa, rerum diuerſarum diſtinctio; quas coquorum more cùm aduerſarijs turpiter atque imperitè confundere non patitur orthodoxorum Patrum doctrina, neque ipſa diuinarum adeò ſcripturarum ſententia.

Aduerſarij ſuis telis iugulati.

Hæc enim Catholicis concorditer docet bonis iuſtificatorum operibus reddendam à iuſto iudice coronam iuſtitiæ, ſiue promeritam vitæ æternæ mercedem. Vt enim malis operibus debetur damnatio: ita bonis debetur (quemadmodum ex D. Auguſt. ad ſe iugulandos recitant Confeſſioniſtæ fol. 127.) ita bonis inquam, operbus debetur regnum cælorum: quod debitum faciunt piorum operũ merita, quæ etiam Dei ſunt, quia per Chriſti ſpiritum viuificantem, atq; in iuſtificatis operantem fiunt, & vti Chriſtus docet, in Deo ſunt facta: ſed ab homine Chriſti ſpiritu dotato. Vnde ita ſunt Dei dona, vt hominis etiam iuſtificati ſint opera bona, ideoque regni cæleſtis merita. Nam cùm ero iuſtus, inquit Auguſt. in Pſalm. 70. in tua iuſtitia (quia abs te data erit) iuſtus ero, & ſic erit mea, vt tua ſit, hoc eſt abs te mihi data.

Vt malis operibus debetur, damnatio, ita bonis operibus debetur, regnũ cælorum: teſte D. Auguſt. ab aduerſarijs recitato.

Iuſtitia Dei iuſti ſumus, quæ & Dei eſt, & noſtra eſt, quia à Deo nobis data.

CAP. XXV. Tranſitio ad calumniã in Cõcilij Trident. depellendam.

SED longè improbior eſt calumnia, quam præclari iſti Confeſſionis Auguſtanæ propugnatores in ſacros Concilij Tridentini Canones de iuſtificatione tertia ſui apologetici parte conſtruunt, qua cauſas aliquot, ſanè friuolas enumerant, cur illud Rom. Imperij principibus atque ordinibus non cenſeant ſuſcipiendum. Verùm qua id peragant fide atque dexteritate, operæpretium fuerit aduertere. Ex hac vna enim vel cæco fiat perſpicuum quàm putidis nitantur calumnijs, ſtrophisq; ſuis imperito lectori quàm imponat illiberalibus. Aiunt à Tridentinis Patribus Canones non paucos conditos erroneos (inquiunt fol. 294. tetros & manifeſtè impios, qui ſacris literis & SS. Patrum dogmatibus apertiſſimè aduerſantur

Atrociſsima in Concilium Tridẽt. calumnia, qua propugnatores Confeſſionis Auguſt. Canonis verba deprauant.

Ac primum occurrit Canon VII. quo ſtatuitur, aiunt, de non

rena-

" Ac primùm occurrit Canon VII. quo ſtatuitur, aiunt, de
" non renatorum operibus, quæ ſine fide fiunt, quòd ea non ſint
" peccatum, ſed res Deo placens. verba Canonis hæc ſunt: Si quis dixerit opera, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſunt, verè eſſe peccata, vel odiũ Dei mereri, anathema ſit. Ita quidem Confeſſioniſtarũ delecti illi patroni.

Canonis VII. Conc. Trident. defenſio atque interpretatio.

Hîc te obſecro Lector Chriſtiane, ſedulus attendas quàm ſint præclari iſti homines contentionis, quàm veritatis; belli, quàm pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſiores. Captant vndique litigandi materiam, perquirunt vndique diſſidiorum fomenta. Initio vt materiam iuſtificationis maioribus tenebris inuoluant, quod de præparatoriis pœnitentium atque credentium operibus Canon VII. ſtatuit; ipſi manifeſta corruptela de non renatorum operibus, quæ ſine fide (inquiunt fol. 294.) fiunt, deprauant. Atqui Canon diſertè agit de pœnitentibus ſeſe ad iuſtificationem præparantibus, quod ſine fide fieri nequit, cũ accedentem ad Deum credere oporteat: quod ex Can. 3. & 4. luce eſt manifeſtius meridiana.

Quod de credẽtium ac pœnitẽtium operibus Canon docet, aduerſarij detorquent ad opera ſine fide facta: cùm ſine ea non agatur pœnitentia.

Verùm quò putidam ſuam calumniam magis obtegerent, etiam illud, vnde vltrò diſſoluatur, dolo malo ſupprimunt, atque è Canonis corpore violenter manu ſacrilega euellunt. De quibus enim perſonis loquatur, renatis an non renatis, credẽtibus an non credentibus, diſertè exponit, vocibus continenter ſubtextis. Aut quanto vehementius quis nititur, ait Canon VII. ſe diſponere ad gratiam, tanto eum grauiùs peccare. Quæ verba ſi bonis iſtis viris allegare placuiſſet, & ſe friuolo rixandi labore, & nos maligna liberaſſent calumnia. Sed hoc pacto facilem uidebat Sathan concordiæ Eccleſiaſticæ, quam odit acerrimè, viam fore apertam. His enim verbis perſpectis, atque priori Canonis oppugnati particulæ aptatis; Candido Lectori fit perſpicuum non agi de infidelium operibus, ſed credentium; qui ſeſe ad gratiam ſtudent ex fide dudum percepta per Dei auxilium diſponere. Itaq; hic Canon blaſphemam Lutheri doctrinam damnat, ſicut ſuperiores Caluini, atque Pelagij.

Omittunt callidè aduerſarij, doloque malo diſſimulant, quod diſſidia tollat.

Pari audacia pergunt & XI. & XII. Canones de iuſtificatione arrodere, quibus præcipuus fidei & religionis Chriſtianæ

Canonũ XI. & XII. defenſio.

 articulus,

„articulus (inquiunt fol. 295.) crudeliter & impiè condemna-
„tur. Quod iuſtificamur vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti,
„vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, vel caritate
„cordi per Spiritum ſantum diffuſa & inhærente: aut gratiam hanc eſſe tantum fauorem Dei. Item fidem iuſtificantem tantum eſſe fiduciam diuinæ miſericordiæ. Verùm iſta paulò ante non ſolùm liquidis Scripturarum ſententiis, & orthodoxorum PP. teſtimoniis ſunt confutata, ſed diſertis etiam Buceri & Cemnicij verbis non obſcurè iugulata.

Veteri Lutheraniſmo repugnāt nobiſcum noui Lutherani Bucerus & Cēniciús.

Cæterùm illa Scripturarum & Patrum teſtimonia, quæ ad ſqualidam illam, putidamque veteris Lutheraniſmi doctrinam de ſola fide iuſtificante, vel imputatiua iuſtitia ſtatuendam denuò adferunt Apologetici, dudum ſatis ſunt perſolidè profligata: ſi rectè, vereque accipiantur, nihil Catholicæ aduerſantur doctrinæ Concilij Tridentini verbis luculenter declaratæ. Siquidem & nos aſſerimus ſine operibus legis hominē iuſtificari, hoc eſt, ex impio fieri iuſtum; neque vllum operum meritum hîc requirimus: cùm locum hîc habere nequeant, quòd nulla ſunt (vti ex Auguſt. pro nobis aduerſarij recitant fol. 298.) merita iniuſtorum. Nam vt iuſti fierent, merita non fecerunt. & iuſtificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus, ait Ambroſius, non debetur; vt non merces ſit operantis, ſed munus largientis. Rurſus iuſtificatorum merita negare non poſſunt aduerſarij, modò ſuis ipſi teſtibus fidem habeant, quia ſuis ſeſe iſthic incauti iugulant verbis. Eadem namque Auguſtinus ſententia affirmat, iuſtorum eſſe merita. Nulláne ergo
„ſunt, inquit Epiſtola 105. merita iuſtorum? Sunt planè, qui
„iuſti ſunt. Iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt. Sed ſicut dicit Apoſtolus: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

Putidum Lutheraniſmum àdoctioribus Lutheranis reprobatū inſtaurant apologetici.

Aſyſtaton aduerſariorū, vbi ſeipſi verbis Patrum à ſe allegatis, conficiunt miſeri.

Conſenſus Catholicorū nulla eſſe iniuſtorum merita; ſed tamen eſſè iuſtorum, & gratis iuſtificatorum.

Sic & altera diui Auguſtini ſententia ſuperioribus continenter ſubiecta, ſeſe miſeri iugulantes noſtram incauti ſtatuunt doctrinam. Quæ ideo iuſtitia Dei (inquiunt folio 299) dicitur, quòd impartiendo eam iuſtus facit; ſicuti Domini eſt

Alterū Aſyſtatō aduerſariorum, quo noſtrā ſtatuunt doctrinā.

mini eſt ſalus, quia ſaluos facit. Quibus verbis ſi ipſi aduerſarij fidem habent, an iuſtitia qua iuſtificamur; dicenda eſt imputatiua Chriſti, aut non inhærens? aut remiſſio tantum peccatorum? aut fauor, aut miſericordiæ fiducia? Certè D. Auguſtinus, cap. vndecimo de Spiritu & litera, ait, Ideo iuſtitiam, qua iuſtus ex fide viuit, à D. Paulo dici iuſtitiam Dei, quòd eam impertiatur & impertiendo iuſtos facit. Si eam nobis impertitur, nobis infunditur, ſiue inſpiratur, nobis etiam inhæret, ſolideque ineſt, qua viuit & agitur, & agit adeò anima.

Iuſtitia Dei qua iuſtificatur, & ex fide viuit iuſtus non eſt imputatiua: ſed animæ inhærens & inſpirata.

Reliqua verò Cyrilli, Ambroſij, & Hieronymi teſtimonia de prima, vti diximus, loquuntur iuſtificatione, vbi fide iuſtificamur, non operum meritis: gratia ſaluamur, non ex operibus iuſtitiæ, cùm nulla eſſe potuerint ante hanc gratiam.

Cùm igitur Concilij Tridentini Patres tam exactè de iuſtificatione controuerſiam excuſſerint, ordine tractarint, & explicarint; doctè atque methodicè ad ſolidam fidei Chriſtianæ ex Scripturis conceptæ, orthodoxorumque PP. ſententiis conſentaneæ analogiam tradiderint, proterua, improbaque eſt Martini Cemnicij criminatio; qui cenſorio planè ſupercilio Concilij Tridentini cenſuram ſibi arrogans audet inaudita temeritate ſophus iſte pronunciare, illos de iuſtificatione ſine ſcriptura non aliter diſputare (inquit folio 640.) ac ſi in Ariſtotelis ſchola de Phyſicis motibus philoſopharentur. Sed huius rei iudicium penes æquum Lectorem eſto, an quæ ſuperius ad Concilij Tridentini normam Scripturarum verbis conceptam ſunt declarata, ſine ſcripturis ſtatuerimus. Ingreſſurus igitur latiſſimum hunc de iuſtificatione campum à manifeſtiſſima, iuxtà atque impudentiſſima exorditur calumnia. Prius autem de ſophiſtica illa dicẽdum eſt (inquit fol. 641) qua verum diſputationis κρινόμενον aſtutè occultant, & odioſè ſententiam noſtram prægrauant. Certum enim eſt vtrumq; eſſe beneficium filij dei mediatoris & remiſſionẽ peccatorũ, & renouationem

Tranſitio ad Conc. Trident. defenſionẽ contra rancidas Cẽnicij cenſuras.

Calumnia Cemnicij, quòd ſine ſcriptura diſputẽt Patres Trid. de iuſtificatione

Calũnia Cẽnicij quòd PP. Trid. ſtatum cauſæ occultant.

mentis per Spiritum ſanctum, qui in credẽtibus accendit nouas virtutes, vt renouemur ſpiritu mentis noſtræ, quæ ita ſunt coniuncta, vt quando reconciliamur, ſimul etiam detur ſpiritus renouationis. & paulò poſt: Sed tantùm impudentes & ſycophãticæ ſunt calumniæ, quibus ſtrepitum excitant, ne homines imperiti animaduertant qua de re controuertatur.

Sycophantam agit Cemnicius in Conc. Tridẽt. Patres, qui ſtatũ cauſæ illos ait diſſimulaſſe.

At qui Cemnici quidnam eſt Sycophantam agere, ſi nõ iſtud? An occultant PP. Trident. crinomenõ, ſiue controuerſiæ ſtatũ? an non diſertè omnes ſemel, aut ſaltem nobiliſſimos quoſque hac de re obortos errores & nouos veſtros, & veteres Pelagianos per vos, alióſue Syneuangelicos orco renatos, diſertis verbis iugularunt?

Temeritatẽ Cẽnicij redarguũt alij Lutherani commilitones, qui ſuã Lutheri doctrinam quiritantur crudeliter Conc. Tridentin. damnatam.

An tuam temeritatem delecti illi Confeſſ. Auguſtanę propugnatores æquo animo ferãt; qui Conc. Trid. Canonibus ſuam nouam doctrinam crudeliter & impiè (fol. 295.) palàm agnoſcunt condemnatam? Certè hac in re candidiores ſeſe exhibent, qui ſuam paradoxam opinionem quiritatur anathemate iugulatam. At nos obliquè inſimulant, referet Cemnicius, quaſi duo illa Chriſti beneficia, diuellamus & mutilemus: cùm doceamus eſſe coniuncta.

Vetus Lutheraniſmus, nouis Lutheri diſcipulis putridus palliatur & mangonizatur à Cẽnicio, aliiſque ſemi Lutheranis.

Sic quidem nunc Euangelicorum aliqui philoſophamini, vt verbis in priſtinam veritatis viam regreſſi; imò retracti, imperitis videamini. ſed an non re vera Chriſti Domini beneficia & impiè diuellatis, & ſacrilegè mutiletis adeò, mox diſcernendum veniet. facitis nunc quidem tu & Lutheranorum aliquot acutiores geminas iuſtificationis partes, remiſſionem peccatorum & mentis renouationem: mutilam tamen & ſemieuangelicam; quia imperfectam, claudam, impuram, fœdatam, & re vera nullam: dum negatis iuſtitia inhærente nos in Dei iudicio iuſtificari, ſed imputatiua illa Chriſti.

Noui etiam Lutherani veram hominibus tollunt Dei iuſtitiam, qua iuſtificẽtur in vitam æternam.

Verũ an ſic omnes Lutherani, & alij omnes Euangelici, aliàs diſcutietur aptius. Certè non obſcuri inter Euangelicos negant nos nouis virtutibus iuſtificari, noua obedientia, aut inhærente iuſtitia iuſtos fieri.

Pugna inteſtina Lutheranorum inter ſe nouitiorum & veterũ.

Quid? an non Brentius cum ſuis palàm profitetur Catholicos ideò eſſe idololatras, quòd per virtutes fidem, ſpem &
,, caritatem. docent & ſomniant monachi & hypocritæ (inquit
,, in Catechiſmo ſuo magno) hominem iuſtificari per gratiam;

nomine

nomine gratiæ intelligentes tres illas virtutes, propter quas homines Deo accepti & iusti fiunt? Sed hæc est mera impostura & impia doctrina. Viden' Cénici & te, & tuos nunc plerosque omnes nouos Lutheranos à veteri, neq; ignobili Lutherano censeri hypocritam, imò impostorem adeoq; idololatram, quòd doces iustitia inhęrente, siue virtutibus nouis hominem iustum fieri. Nolo hîc commemorare quàm varia sit inter Euangelicos de iustificatione pugna prorsus implacabilis. An non contra vnius Osiandri Paradoxum, quo somniat hominem essentiàli Dei iustitia iustum fieri, Euangelici protestantes suam rogati ad 14. sententiam verè quisq; suá, qui ab Euangelio dissonam, sociisq; aduersariá respònderunt? Aduersus horum, aliorumq; phanaticorum, de iustificatione errores fuit Euangelica doctrinæ Catholicæ veritas in Concilio Tridentino defendenda atque vindicanda. Quare non insidiosè nec studiosè (quod insidiosè, ne dicam sycophanticè fingit Cénicius) huius controuersiæ status occultatur in decretis Tridẽtinis; sed palàm aduersus omnes veritatis hostes, potissimùm nouos & orbi notiores proponitur, disertisque cùm verbis, tum anathematismis declaratur; dum nõ modò Lutheranorum falsa dogmata, sed aliorum etiam phanaticorum deliria contra Dei verbum typho humanæ doctrinæ, conficto, luculentis verbis impij erroris sunt condemnata.

Brentio Cẽnicius est impostor, & idololatra, quòd docet per virtutes hominem iustificari.

XIV. Doctores Lutherani 14. sententias suas inter sese pugnãtes vni Osiandro studebant opponere, rogati à DD. Luneburgen. siue Bruynsvvicen.

Statum quæstionis de iustificatione non dissimulari, aut occultari à Cõcilij Tridentini Patribus. vti nugator Cẽnicius blaterat.

Quòd contra insulsas Cénicij quiritationes ingenuè profitentur anonymi Confessionis Augustanæ apologetici, vti dudum est demonstratum. Sed audiamus tandem, obsecro, quis nam sit Cemnici huius controuersiæ status, quænã principalis quæstio, quodnam crinomenon: quod Sycophantico artificio, technisq; sophisticis (ait fol. 720.) occultatũ. Quid scilicet id sit, propter quod Deus hominem peccatorem (inquit fol. 646.) in gratiam recipiat? Quid iudicio Dei opponi debeat? Quid fides apprehendere & adferre, & quo niti debeat, &c. Quid interueniat propter quod deus peccatori red datur placatus & propitius. Quid conscientia statuere debeat illud esse, propter quod donetur nobis adoptio? In quo tutò collocari possit fiducia, vt acceptemur ad vitam æternam? & cæt.

Status controuersiæ á Cemnicio explicatus manifestè ipsũ conuincit calũniæ atque sycophantiæ.

An illud ſit ſatisfactio, obedientia, & meritum filij Dei
mediatoris, an verò inchoata in nobis nouitas, dilectio & reli-
quæ virtutes in nobis?

» Hic eſt ſtatus ille controuerſiæ (inquit fol. 646.) qui tam
» ſtudioſè & inſidioſè in decretis Tridentini occultatur. Sed
» quid ais Cemnici, an ſatis tui compos tuis videberis Collegis?
An non ad iſta omnia vnus ferè Canon. cap. VII. de Iuſtifica-
tione abundè reſponderit, iudicet Lector candidus. Nam
propter Chriſtum, propter ſolum, inquam, Chriſtum à Deo
peccator iuſtificatur, cui per ſpiritum ſuum donat iuſti-
» tiam Dei, qua nos iuſtos facit, qua donatus renouatur ſpiri-
» tu mentis, nec ſolùm reputatur; ſed verè & nominatur &
» eſt iuſtus.

Canó VII. Seſſ. VI. quæſtionib. à Cemnicio oppoſitis diſertiſſimè ſatisfacit.

Vnus enim Chriſtus nobis eſt iuſtitia, ſanctificatio, fidu-
cia, quæ opponatur iudicio Dei, propter quam nobis datur
cùm peccatorum remiſſio, tum filiorum Dei adoptio. Nam
eius iuſtitia non imputata, ſed infuſa & verè per eius ſpiritum
viuificantem communicata, ſiue inſpirata ornati, nouaque
hac ſtola pro illa veteri veteris Adæ carnali tunica induti,
iubemur ſtatim renati eam conſeruare candidam & immacu-
latam, vt eam ante tribunal Dei perferamus, & vitam æter-
nam habeamus. An non hæc omnia illo vno cap. VII. toti-
dem ferè verbis ſunt diſertiſſimè explanata? Quid igitur
Cemnici nodum in ſcyrpo quæris? imò cur veræ atque ſa-
lutari concordiæ infeſtus logomachiarum amans circa quæ-
ſtiones langues, nouam rixarum quærens telam, & verbo-
rum pugnas? Certè mî Cemnici, vt ingenuè, quod ſentio,
dicere tua venia liceat, manifeſtè animi tui morbum prodi-
diſti, teque vitilitigatorem conuiciſti; cùm tui non ſatis me-
» mor inſtituti poſteà fateris Patres Tridentinos, vbi docent
» iuſtitiam Chriſti nobis inſpiratam, vereque communicatam,
» eſſe ſtolam, quam ad tribunal Dei perferre debeant imma-
» culatam, eos Chriſto adimere, (inquis folio 722.) & noſtræ
» caritati tribuere.

Candida baptizatis impoſita quidnam ſibi velit, monet ſuis verbis baptiſta

Cénicius vitilitigator ſui oblitus, agnoſcit PP. Trid. docere verum controuerſię ſtatum.

Quod etſi calumnioſè arrodis, vti mox demonſtrabitur;
ſatis tamen huic eſt loco, vt tuam profliget temeritatem,
impu-

impudentemque ſycophantiam, qua affirmabas huius controuerſiæ ſtatum ſophiſticè, inſidioſè, ſycophanticè, à PP. Tridentinis occultatum.

Cæterùm etſi rigidus iſte cenſor Tridentinis Patribus hac in parte conſentiat (ſed an ſuis ſyneuangelicis concorditer: & quam illi habeant gratiam, ipſe viderit) renatos iuſtificari per inhærentem iuſtitiam, quam ex renouatione habent credentes (inquit folio 697.) per Spiritum ſanctum: nouam tamen glorioſus bellator iſte inſtaurat pugnam de hac iuſtitia, an ſufficiens & digna ſit, vt iuſta pronuntietur ad vitam æternam? Reſpondet noſtra inhærens iuſtitia (inquit folio 698. quæ in renouatione per Spiritum ſanctum inchoatur, propter adhærentem carnis imperfectionem & immundiciam non eſt talis. Oportet igitur aliam eſſe iuſtitiam, qua interueniente & intercedente iuſtificemur coram Deo ad vitam æternam. Illa verò eſt ſatisfactio & obedienria, hoc eſt, iuſtitia Chriſti mediatoris, quæ in miniſterio Verbi & Sacramentorum proponitur, fide apprehenditur, & à Deo imputatur credentibus. Vult ergo iſte Sophus nos iuſtificari in iudicio, non noſtra, hoc eſt inhærente; ſed externa; quia Chriſti mediatoris, nobis non communicata, iuſtitia: quia eam dicit credentibus imputari. In cuius ſui ſomnij firmamentum Alb. Pighij acerbiſſimi, inquit, licet aduerſarij adfert verba. Verùm nos non huius, aut illius magiſtri in verba iurare docti, ſed vnum magiſtrum Chriſtum Ieſum in ſua Eccleſia per Spiritum veritatis loquentem ſecuti dicimus cum Tridentini Concilij Patribus, hoc eſt, veræ Chriſti Eccleſiæ voce, iſtam iuſtificationem renatorum, non eſſe veram iuſtificationem, ſed meram abominationem: quia impius, iuxta vos, pronunciatur pius: atque iniuſtus, declaratur iuſtus; more priſcorum Pſeudoprophetarũ, quos Dei Spiritus horridis territat comminationibus. Prouerb. 17. & Eſaiæ 5.

Quanam iuſtitia pij iuſtificẽtur in Dei iudicio, an inhærẽte, an imputatiua?

Impia blaſphemia Cẽnicij in Deũ iudicem.

Atqui negamus nos docere, inquis, credẽtes, ſine iuſtitia iuſtificari. Sic quidem ad verbum habes Cemnici fol. 697. ſed iſto contentionis æſtu defunctus, & ad te, obſecro, reuerſus expende an nõ reuera credẽtes doceas ſine iuſtitia iuſtificari?

Cemnicius hominem docet ſine iuſtitia iuſtificari in Dei iudicio.

Agnoſcis

Agnoſcis quidem in hac vita ſine regeneratione iuſtificari homines inhærente iuſtitia : ſed ad Tribunal Dei iuſtificari alia iuſtitia, puta Chriſti, quæ illis, ais, imputatur. Si imputatur, non ineſt, non eſt. Si non eſt, & per eam iuſtus eſt, quod affirmas, ſine iuſtitia iuſtus eſt. Iudicium ergo Dei ſecundum vos, non eſt in veritate. Iuſtificatio veſtra, quam orbi nouam inuehere molimini, inanis eſt, blaſphemia eſt, abominatio eſt: quia contra Scripturas conficta. Offendit vos quòd illa inhærens iuſtitia per Chriſti ſpiritum renatis communicata & infuſa, ſiue, vt ait Auguſtinus, inſpirata, ſit imperfecta: atqui tam perfecta eſt, vt perfectione à filiis Dei hoc ab exilio, vbi lucta aſſidua, pugnæ indefeſſæ, vulnera non leuia reuerſis poſtulatæ reſpondeat, ſuoq; modulo diuinitus præſcripto faciat ſatis. quéadmodum de perfectione iuſtitiæ, atq; legis ſatisfactione ſuo declaratur loco.

Ex ignorata diuinæ regenerationis per Chriſti ſpiritum efficacia oritur perfidia de iuſtitiæ Criſtianorũ impuritate ac imperfectione.

Sed ſi vobis nota atque perſpecta eſſet Chriſtianæ regenerationis atque diuinæ illius per Chriſti ſpiritum renouationis vis, efficacia, maieſtas, non ſemper ita oculos veſtros terrenæ impuritatis fumo, carnaliſque immunditiei caligine lippientes in renatorum iuſtitiam imperfectam intẽderetis: ſed perfectam potius Chriſti D. ſecundi Adami renouationem admirantes intueremini, qua ſuos haud ſecus, atque ille primus, omnes in animam viuentem regenerat, vereque reformat & inſtaurat in ſpiritum viuificantem. Hoc igitur Spiritu Chriſti, quem magna, horrendaque afficitis ignominia, ne dicam blaſphemia, renouati, inſtaurati, & regenerati, perfectã accipiunt ex fonte Chriſto iuſtitiam ; qua ornati, imbuti, atque præditi, verè iuſtificantur, adeò vt iuſtum Dei iudicium ferre poſſint: quod in renatis pueris, adultis phreneticis, ſtolidiſq; effulget clarius, quàm vt fuſiore oratione ſit perſequendum.

Iuſtitia renatorum iuſtum Dei ferat iudicium, etiam ſeueriſſimum; vti in puerulis, adultiſque phreneticis emorientibus liquet.

An oculi veſtri, etſi vobis videntur lincei, etiam in his næuos & ſordes deprehendent, quibus ſolida illa, puriſſimaque inquinetur & ſordidetur iuſtitia? an in illo etiam latrone Euangelico Chriſti voce de Paradiſi poſſeſſione ſecuro mihi oſtendetis & maculas & ſordes, quibus dignus ſit à promiſſo Patris regno exturbari? An non & huius cor Deus fide purificauit ? an non ſuo ſpiritu, ſua iuſtitia, ſua vita Chriſtus hunc imbuit

An in Latrone Euangelico maculæ ac ſordes.

imbuit & ornauit? Nę vos igitur mihi eritis Argi: imò fratrũ cum diabolo calumniatores, qui donatam à Christo innocentiam & sanctimoniam impuro vestræ imperfectæ iustitię luto audetis contaminare, defœdare, atque conspurcare. An nõ maius Christi donum, quàm Adæ peccatum? an nõ abundauit magis Christi gratia in iustificationem vitæ, quàm Adæ præuaricatio in mortis damnationem? huius doni, Christianique beneficij nos grati præcones Catholici docemus, credentes verè iustificari, verè à peccatis omnibus absolui, & expiari; ita vt nullum maneat peccatum: imò ne vlla quidẽ peccati labes, neque solùm in baptismo iustos fieri vera Christi inhærente iustitia: sed apud tribunal adeò ipsius iusti iudicis Dei, iustos esse declarandos; quòd per Christi iustitiam anima verè, non simulatè; re ipsa, non imputatiuè, non fictitiè, non hypocriticè iusta veris secundi Adæ virtutibus est imbuta & ornata, membrumq. Christi filij facta: quibus ceu piorum operum fontibus irrigata dulcissimos, Deoque gratissimos edit bonæ, Christianæq; vitæ fructus minimè inanes, cassos, aut euanidos; quibus tandem Deus Pater iusto reddit iudicio vitam æternam. ʻʻIusti enim in illo iudicio, ait Augustinus lib. de Perfect. iustitiæ, inuenientur omnes, qui non fallaciter hîc dicunt, Dimitte nobis debita nostra, & propter illã iustitiam accipient hæreditatem vitæ æternæ.

Quàm eximiè Catholici prædicent Christi beneficium & iustificationẽ præ inuidis sibi Euãgelicis miseris.

Iusti propter iustitiam suã accipient vitã æternam, August.

Istud singulare Christi Domini mediatoris beneficium, nõ solùm Euangelicos obscurare, atque extenuare, sed re vera etiam mutilare, defœdare, adeoq; in nudum iustitiæ nomen deprauare, notius est, quàm vt sit pluribus exagitandum. Sed excipiet fortè Cemnicius, renatos illos infantes hinc abreptos vera Christi iustitia inhærente apud Dei tribunal iustificari: quum fateatur non diuelli posse à peccatorum remissione innouatione mentis, quæ charitatis, nouæ obedientiæ, ac reliquarum (inquit folio 642.) virtutum non excludit præsentiam, nec consequentiam: sed aliud censendum de ijs, qui baptismo superstites viuunt.

Horum namq; iustitiam esse imperfectã & immundã: propter carnẽ enim (inquit fol. 739.) in hac vita legi nõ satisfacit. Vnde & D. Paulum ipsum (ait fol. 737.) iam renatũ, multisq;

An D. Paulus apud Dei tribunal sit ex piis operibus iustificatus.

Cemnicij impia in D.Paulum blaſphemia.

operibus ex fide profectis ornatum, non eſſe operibus iuſtificatum: quum dicat, Nihil mihi conſcius ſum,& tamé in hoc non ſum iuſtificatus.

Nihil mihi conſcius ſum, hic locus magis ſtatuit iuſtificationem ex operib. quæ abolet.

Iſta eſſe ſophiſtica nugamenta non fuerit oſtenſu difficile. Hunc enim D. Pauli locum nihil facere ad demonſtrandam immunditiam operibus renatorum inhærentem, ſiue quod ex operibus bonis pij non iuſtificantur; inde fiat perſpicuum, quòd D. Paulus de piorum ſuorum operum munditia ibi nó agit: ſicuti nec ſe ex operibus negat, apud Dei tribunal iuſtificandum: Sed cûm non auderet ſe iuſtum coram Deo pronunciare (ſecuritatem enim non habebat teſte Oecu.) affirmat ſe tamen ſibi non eſſe infidelis, aut perfidi miniſterij in Euangelij diſpenſatione conſcium; propter quod deberet condemnari. Etſi enim ſibi non eſſet aut negligentiæ, aut perfidiæ, aut infidelitatis in miniſterio Euangelij comiſſæ conſcius: veritus tamen ne quid occultioribus animæ ſinibus lateret ſibi ignotum, quod arbitro Deo videatur iniuſtum, non audet ſtatuere ſe eſſe iuſtum. Neque enim me ipſum iudico, ait, quia nemo nouit, quę ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui in ipſo eſt. Itaq. Deo Iudici nos iudiciũ noſtri relinquimus. Cùm auté ille nõdum cauſam patefecerit, in certamine & timore verſor (vti eſt apud Oecum. interpretatus Photius) vtpote nondum iuſtificatus.

D. Paulus ſibi mali nullius cõſcius, tamen exactum Dei metuit iudiciũ, ne quę ignota lateent peccata.

Sic & D. Hiero. Qui hoc dicebat: Nihil mihi cóſcius ſum, nullius vtiq; peccati ſibi cóſcius erat: Sed quia legerat, Delicta quis intelligit, &c. idcirco temperat ſententiam, ne forte per ignorantiam deliquiſſet.

Vides igitur Lector candide D. Paulũ ſuis operibus bonis nõ detrahere ſiue munditiá, ſiue iuſtificationé: ſed tantum non audere ſe iuſtum coram Deo arbitro pronunciare, quãquá ſibi non eſſet perfidiæ, aut infidelis miniſterij conſcius.

D. Paulũ ſua ex fideli opera & Euangelij functione laudé à Deo expectaſſe. igitur ex operibus piis iuſtificationem & remunerationem iuſtam.

Quin potius ſi verba D. Pauli accurratiùs trutinare libeat, magis ex eius diſputationis filo appareat miniſtros Euangelij propter Euangelij miniſterium ritè atque fideliter obitũ apud Deum iuſtificari.

Vetat enim non eſſe nobis de quoquá iudicandũ, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarũ, & reuela-

uelabit conſilia cordium: & tunc, ait, vnicuiq. laus erit à Deo.

Si erit vnicuique, nimirũ probo, frugi atq. fideli ſeruo, laus à Deo, erit & fidelis miniſterij, probiq́. operis præmium. Nam infideli ſeruo pars erit cum hypocritis, quæ iuſtiſſima erit triſtiſſimo in tartaro ſuæ perfidiæ pœna.

Quare ex D. Pauli diſputatione cõſequitur, fideles Euãgelij miniſtros propter ſuam fidelẽ operam plãtando, ſiue rigando Euangelio nauatã cæleſti præmio ornãdos; ideoq́; propter pia opera iuſtificandos. Siquidem conditionis non inferioris apud Deum iuſtiſſimũ agonothetam ſunt opera bona; quàm mala, quod ad retributionẽ iuſtã attinet. Neq; tollit hanc dignitatẽ obiecta à Cemnicio immũditia: cùm eã D. Paulus ſuis in operibus nõ agnoſcat. Si enim veris & tam impuris eſſent omnia iuſtorum omniũ opera ſordibus, tetraq. immunditie cõtaminata, & defœdata, nõ verè dixiſſet Paulus, Nihil mihi cõſcius ſum. Si enim, Cẽnici, ſordes, quas malignè tuo ex impuriſſimi Lutheri ſpiritu afflare ſtudes omnibus iuſtorũ operibus, reuera D. Paulus agnouiſſet, potius illi dicendũ erat; Plurimorum mihi conſcius ſum. Atqui modò contrariũ aſſerit, quò ſibi de benè geſtis rebus, obitaq; fideliter pro Chriſto legatione gratulatur. Etſi enim hoc loco humiliter, teſte Chryſoſt. de ſe loquatur, dum & ſe, & Corinthios arrogantiſſimos ſuorũ magiſtrorum iudices priuat iudicio, quod cognitione ſua maius atteſtatur: nouit tamẽ Paulus nonnunquã loqui magnificè. Hoc autẽ nõ eſt elationis, neq; ſtultitiæ; ſed optimæ diſpenſationis. Nam hoc in loco nõ ſuperbia elatus; ſed alios coërcens, ita loquutus eſt, καὶ ἀξίωμα σπουδαίων περιθεῖναι τοῖς ἁγίοις, & meritum honorẽ, iuſtáq. dignitatẽ piæ cõuerſationis tribuere ſanctis feſtinat. Cùm enim piis viris laus erit à Deo cunctorũ arbitro, erit & cauſa, cur eos præ cæteris laudet, iuſtiſq́; dignetur coronis, promeritiſque ornet præmiis. nimirum quòd per patientiam boni operis, duroſque virtutis labores quæſierint gloriam, honorem, & incorruptionem, vti ad Romanos tradit. Hinc videat Cemnicius, ni ſit talpa cæcior, quàm diſdiapaſon ſua figmenta à Patrum commentariis, adeoque à genuina D. Pauli ſententia diſſentiant. Quibus Patribus ſi fidem habere recuſat de iuſtificatione ex piis operibus, certè

Par eſt conditio operũ bonorũ, quæ malorum, apud Deũ iuſtũ agonothetam.

D. Paulus Sãctis tribuit dignitatem, iuſtamq́ue remunerationẽ, propter piã vitam, teſte D. Chryſoſt.

diſſimulare non debuiſſet D. Paulum ad Dei tribunal iamiam properātem ſibi gratulari de corona iuſtitiæ ſibi ſuis pro operibus, imò meritis à Deo debitore, ait Auguſtinus, reddēda & non donanda. An hunc Euangelij Chriſtiani doctorem cùm primis nobilem audebis Cēnici venenata etiam illa tua vexare calumnia, qua Concilij Tridentini Patres mordere, ac theonino dente dilacerare non dubitaſti? Cùm namque illi ex hoc D. Pauli, aliarumque ſcripturarum teſtimonio tradidiſſent illam Chriſti iuſtitiam nobis communicatam, Deique Spiritu inſpiratam & impertitam eſſe ſtolam, quam renati immaculatam proferre debeant ad Tribunal Dei, vt habeant vitam æternam, annotat Catonianus iſte cenſor. Sine diſſimulatione igitur Chriſto adimūt (inquiens fol. 722.) & noſtræ caritati hoc tribuunt, quòd ea iuſtificemur; hoc eſt, quòd propter illam coram tribunali Dei abſoluamur & acceptemur ad vitam æternam? Rurſus folio 728. ait remiſſionem peccatorum, adoptionem, ipſam denique ſalutem & vitam æternam adimi & detrahi ſatisfactioni & obedientiæ Chriſti, & transferri in noſtras virtutes.

Improba Cemnicij calumnia in Conc. Trid.

O malignum iniquiſſimi iſtius examinatoris, rigidiq; cenſoris iudicium! qui rixandi ſtudio veritatem oppugnans, ſuæ non eſt compos mentis. An in noſtras transfertur virtutes, quod diuinis Spiritus ſancti nos regenerantis atque renouantis, tribuitur actionibus? An Chriſto detrahitur quòd vni eius gratiæ in nobis illas uirtutes operanti tribuitur? an adimitur ſatisfactioni & obedientiæ Chriſti vita æterna, quæ nobis eius ſpiritu dotatis atq; viuificatis, ipſique incorporatis per Chriſtum & propter ſolum Chriſtum donatur? gratia enim vita æterna.

Chriſto Do. nihil detrahi adeò dignitatis, aut meriti, vt illuſtretur magis, dum ſuis membris, Deiq; filiis ſua largitur & impartitur gratiæ dona: quæ noſtra ſunt merita, teſte Aug.

Neque verò Chriſti gratia per nos vllo pacto obſcuratur, dū bonis operibus ex huius ſementi atque efficacia ortis docemus iuxta Scripturæ linguam, Deiq; ore vitam æternam reddi atque remunerari: ſed magis prædicatur, glorificatur, illuſtratur, quemadmodum D. Auguſtinus Epiſtola ad Sixtum cōtra Pelagianos iam pridem declarauit. Vni enim gratiæ debetur vita æterna: ſed ita vt ipſi gratiæ non fiat iniuria, quæ per Chriſti ſpiritum renatis communicata operatur fructum vitæ æternæ

æternæ, cui merces,coronaq́ue debetur iuſtitiæ. Adeò vt Auguſtinus D. Cyprianum imitatus audeat pronunciare renatos Deum computare, imò tenere debitorem: qui ad Pauli exemplum legitimè certantibus reddat, non donet coronam iuſtitiæ.

Huic tam perſpicuæ luci atque præclaræ Chriſtiani beneficij illuſtrationi inuidus, imò ſua potius malitia, vereor equidem, cæcus, audet obrudere Cemnicius. Sed quid fiet Paulo, inquit fol. 722. qui iuſtificationem noſtram tribuit miſericordiæ Dei, & merito, & obedientiæ, paſſioni, ſatisfactioni Chriſti? Equidem cum Propheta hic iuſto dolore, atque iſtorum verè miſerorum commiſeratione commotus exclamare cogor: Oculos ſuos clauſerunt ne videant, ne forte ſanentur! An non totum ſalutis atque iuſtificationis humanæ negotium, proram, quod vulgo dicitur, & puppim vni tribuimus domini Chriſti paſſioni, ſatisfactioni, obedientiæ, merito, adeoq́ue vni Dei miſericordiæ? an non profitemur cum diuo Paulo gratiam eſſe vitam æternam? Certè nihil ad prædicandam Chriſti gratiam, nihil ad celebrandam Dei opt. miſericordiam quod faciat, à Catholicis omittitur; quibus nulla vnquam factio deprehendi potuit Deo ſuo fuiſſe aut gratior, aut liberalioris acceptorum beneficiorum commemorationis ſtudioſior. Deo opt. Max. igitur grati cognoſcentes, quæ nobis à Deo per Chriſtum donata ſunt; tam diuitem prædicamus Chriſti Redemptoris atque inſtauratoris gratiam, tam locupletem docemus redemptionem, tam copioſam deniq; apud dominum miſericordiam, vt non ſolùm ſtrenuos Chriſti ducis milites, inuictosq́ue commilitones miſericorditer illo beatæ vitę brauio exornet: ſed iuſtam, adeoq; promeritam reddat iuſti agonis coronam. Vtri nunc, mî Cemnici obſecro, illuſtrius Chriſti domini prædicamus gratiam? Vtri ſingulare Chriſtianiſmi extenuamus, obſcuramus, abolemus beneficium?

Vni Chriſti Do. merito, & ſalus tota, & iuſtificatio noſtra tota debetur, & à Catholicis tribuitur.

Etenim vti coronabitur, qui legitimè certauerit: ita qui plura, crudelioraq; diuinæ virtutis amore, veritatis Euangelicæ gratia, Chriſti agonothetæ cauſa ſuſtinuit vulnera, qui plures exantlarit labores, qui duriores perpeſſus cruces, domino ſuo

eſt afflictionibus ſimilior, magiſque imagini eius complantatus maiorem etiam, glorioſioremque accipiet coronam: ſiue vti Paulus ait, meliorem inueniet reſurrectioné. Nam ſi apud Dei tribunal iuſti pronuntiantur renati non ſua, vti fruſtrà inflatus prudentia carnis tuæ Cemnici fingis, inhærente iuſtitia, ſed imputatiua Chriſti iuſtitia, omnibus vna erit corona: quia omnibus vna & æqualis eſt Chriſti iuſtitia, quę cùm à Patre omnibus imputetur credentibus, non poteſt niſi cum iniuſtitia eſſe varia & diuerſa. Vbi ergo variæ illæ, multæq́; manſiones piis à Chriſto Domino promiſſæ? Vbi illud piorum diſcrimen cæleſti redundans cóſolatione Prophetis olim promiſſum, quod iuſti aliis alij magis fulgebunt vt ſtellæ, quæ claritate aliæ alias ſuperant? Item quod fulgebunt alij vt ſtellæ, alij vt firmamentum.

Roman. 7. Hebr. 11. Si vna, æqualiſque piis omnib. eſt iuſtitia; vna erit omnibus piis etiam corona. Vbi ergo manſiones variæ? vbi diuerſa iuſtorú pręmia? Ioan. 15. Daniel. 12. 1. Cor. 15.

Hoc iuſtorum in Dei regno diſcrimen dum Catholici ad verbi Dei præſcriptum, atque fidei Chriſtianæ analogiam ex vera meritorum cum D. Hiero. & Auguſt. aliiſque SS. Patribus, imò Paulo ipſo conſtituimus, non Chriſti domini merito ſuperbi detrahimus; non eius paſſioni, non eius obedientiæ, non eius ſatisfactioni ingrati derogamus: ſed Chriſtum ſolum omnis meriti ac gratiæ fontem prædicantes, eius beneficia grati laudamus, amplificamus, illuſtramus. Neque enim nobis inuidemus gloriam, quam Deus Pater miſericordiarum filiis ſuis per Chriſtum inſtauratis donare, abundantiſſimeq́; elargiri eſt dignatus: ſed beneficiorum per Chriſti ſpiritum acceptorum memores diuinæ gratiæ nolumus audire ingrati. Quam ingratitudinis notam non poſſunt effugere iſti Euangelici, vtvt ſeſe magnificos crepant gratiæ Euangelicę, diuinæq́. miſericordię buccinatores: quam non ſolum in hac meritorum controuerſia obſcurant, extenuant, abolent: ſed aliis plurimis etiam Euangelicæ doctrinæ capitibus, ſicuti alibi veniet demonſtrandum aptius. Proinde in venerandos Conc. Tridentini Patres dentatum ſuum Sarcaſmum, dentemque Archilochicum figere deſinat Cemnicius, quem fol. 728. Epiphonematis loco oſtentare non erubuit. Verè igitur & iuſto dolore, inquiens, cum Paulo exclamabimus: Euacuati eſtis à Chriſto,

Catholicos non excidiſſe à gratia, dum aiunt pios bonis ex operibus Chriſti gratia factis iuſtificari.

Chriſto,qui caritate veſtra,quæ eſt ſumma legis,iuſtificamini! Gal. 5. Exinanita eſt fides,& abolita eſt promiſſio ſi hæreditas ex lege, cuius ſumma eſt caritas! Rom. 4. Erras miſer,erras, ignorans ſcripturas & virtutem Dei! Non enim hæreditaté ex lege, quod nobis temerè ac prorſus cæco errore affingis: ſed ex fide Chriſti per caritatem operante expectamus;quemadmodum ad Gal. 5. docet Paulus. Sophiſtica eſt enim collectio, Hæreditas cæleſtis expectanda eſt ex caritate, ergo ex lege. quia ſumma legis eſt caritas. Lex enim in ſe caritatem non complectitur, ſed ea per Chriſti ſpiritum donatur atque diffunditur in corda credentium, Roma. 3. eſt ergo à lege ſeparata, non aliter, quàm à corpore anima, lux ab vmbra.nam per legé tantum monſtratur, quo ab auctore ſit petenda; non item per eam donatur,nedum præſtatur.Etſi enim ſumma ſit legis caritas, non tamen eius pars eſt intrinſeca, ſed aliunde accedens. quippe à Chriſto, qui legis ſcopus eſt, finis, atque perfectio legi ſuperaddita, quò ſuum conſequatur finem & vſum, qropter quem eſt lata. Siquidem pædagogus eſt,teſte Paulo, ad Chriſtum animarum noſtrarum medicum, qui concupiſcentiam animæ innatam, ſiue potius Adæ vitio inflictam ſanet ſua gratia, & fide per caritatem operante, faciat rationi morigeram, dictoque audientem. Cuius fidei operantis fructus, dum hæreditatem cæleſtem mercedis loco recipiunt atque remunerantur: non iam legis ſunt opera, ſed Spiritus Chriſti, qui illa in Chriſti membris ſiue Dei filiis per fidem & gratiam eſt operatus. Quare non aboletur promiſſio, quia hæreditas ex Dei gratia donatur: non iuſtis hominis gratia deſtituti operibus redditur. multò etiam minus exinanita eſt fides, quia hæc per caritatem operãs magis ſtatuitur, perficitur, adeoque viuificatur: quæ ſine caritatis operibus anteà iacebat otioſa, mortua, & ad hæreditatem obtinendam inutilis, planeque infrugifera. Hæredes enim ſumus Dei, ait Paulus Roman. 8. & cohæredes Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur. Quare cæleſtis hęreditas hanc cõpatiendi, ſiue vt vnà cũ Chriſto capite affligamur & collaboremus, conditioné habet inuolutã:

Inſulſum Sophiſma Cemnſ. cij euerſum.

Hæreditas Chriſti an operũ cõditioné habeat incluſam.

quæ per viuificantem Christi spiritum ab eius membris est præstanda.

Videat nunc æquus huius controuersiæ arbiter, an in Catholicos quadret illud Cemnicij epiphonema, siue ridiculum potius insani capitis conuitium. Euacuati estis à Christo, qui charitate vestra, quæ est summa legis, iustificamini! Atqui non ita nostra est, vt non sit Christi: Imò sic est Christi, vt eius dono & communione nobis occulta vi, sicuti Adæ peccati labe anima est emortua, impartiatur & inspiretur. Hæc verò charitas adeò à Christo non separat, vt iungat magis, & re vera vniat. Qui enim Deo adhæret, vnus cum eo spiritus est. Rursus, Qui manet in caritate, ait Euangelista, in Deo manet, & Deus in eo. Si nos igitur Christi caritas per eius spiritum diffusa in cordibus nostris Christo vnit; quonam obsecro pacto, Cemnici à Christo excidimus? quonam pacto à Christo sumus euacuati?

Opera bona vniunt nos Deo

An Christo excidisse dicendi, qui vnus cum eo sunt effecti spiritus? Hæc enim cordibus nostris per Christi spiritum diffusa, siue inspirata, siue communicata, & nos vnus cũ Christo facti spiritus, quia spiritu eius viuificante rediuiui, nouamque animæ vitam recuperantes clamamus, Abba Pater!

Sacrilega Cemnicij corruptela in D. Pauli sententiam.

Quare improba est Paulinæ sentẽtiæ corruptela & plagiaria, multisq; fustibus dignissima deprauatio, qua Cemnici in Christi caritatem detorques; quòd Paulus Dei spiritu doctus, in legẽ dixit Mosaïcam: Euacuati estis à Christo, inquit Paulus, qui in lege iustificamini. Quantæ autem sit istud temeritatis sacrilegæ plenissimam Cemnici in legem spiritus vitæ, quæ est Christi caritas, dicere, quod Dei spiritus ore diui Pauli in legem dixit Mosaïcam, literam mortuam, ministerium mortis, literam occidentem, tibi estimandum relinquo, vbi ad te reuersus solidum, verumque illud discrimen perceperis, quod diuinæ literæ inter legem & fidem, inter Christum & Moysen constituunt: Tum demum Euangelico Dei spiritu illustratus (quod vt tibi, tuisq; ad vnum omnibus Syneuangelicis à vera dei Ecclesia catholica, & Christi gratia exitialiter aberrãtibus, quã citò donetur, cęlitus imprecari die noctuque non desinimus) perspicies nos catholicos nõ humana

caritate

caritate, sed diuina dilectione non lege, sed fide per caritatem operante: non nostra virtute, sed cælesti gratiæ iustificari: non denique à Christo excidisse, vel euacuatos esse: sed illi fide incorporatos, spe insitos, charitate coalitos & inuisceratos vnũ esse cũ illo factos spiritum: qui sua facultate atq; vi occultissima nostras viuificans animas pristinam abolens tabem, veteres eluens sordes, innatas abolens fœditates, ingenitas instaurans debilitates, languores, fragilitates, nos conformes faciat imagini filij Dei. Quæ nostra cùm filio Dei Christo Iesu Domino nostro conformitas, συμμορφία similitudo, siue cõformatio non in eo duntaxat sita est, quòd nunc innouamur spiritu mẽtis, siue peccatorũ remissa impetrata, & noua obedientia inchoata iusti habemur, qua tamen iustitia quia, imperfecta, niti nõ possumus; sed altera externa Christi nobis imputata, vti vos vobis cum Christi iniuria, & manifesta iustitiæ eius nobis reuera communicatæ extenuatione, veraque abolitione docetis: sed in eo maximè, quòd diuites in omnibus Spiritus S. charismatibus per ipsum facti ita legem eius spiritu adiuti præstamus, vt simus sicuti ille est: hoc est, Deum & proximum vera caritate quę vera est iustitia, diligamus. In hoc enim, ait ille verè Theologus, est charitas Dei perfecta nobiscum vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia, sicuti ille est & nos sumus in hoc mundo. Non est quidem tam perfecta nobis caritas, quàm Christo est: est tamen nobis & eadem caritas, est & perfecta caritas; licet non perfectissima; sed tam perfecta qualem, & quantá à nobis verum atq; iustum Dei postulat iudicium. Hoc autem Dei iusti iudicis iudicium quia secundum veritatem est, & non hypocrisi aut simulatione, non potest fieri vt secundum inputatiuam Christi iustitiá nobis externam, quia imputatam, agatur: sed secundum inhęrentem, & in nobis repertá. Alioqui non esset secundum veritatem, sed iniustos Deus iudex iustus pronunciaret iustos: Rursus Christianos ad vnum omnes vna parique iustitia declararet iustos, quia vna Christo inhærens iustitia omnibus eius membris iuxta vestrum paradoxum ex ęquo imputatur. Proinde solida iudicij illius diuini fiducia nobis non ex imputatiua, imò fictitia vestra Christi iustitia oritu, quam sibi quisque

Rom. 8.

Conformitas filiorum Dei cum Christo in quonam sita sit.

1. Cor. 1.

1. Ioan. 4.

Deum nõ posse iudicare nos iustos secundũ iustitiam imputatiuam.

Vndénã oriatur solida de iudicio Dei fiducia?

temerè adeoque arroganter non fide solida, sed præsumptione stolida apprehendit; sed nobis inhærente, inspirata, & Christi spiritu verè communicata; quæ nos Christo iusto verè similes atque conformes siue conformatos efficiés parit opera verè iusta: hæc in Dei iudiciú allata mercedé vitæ æternæ, coronáque, vti Paulus sibi gratulatur, merentur iustitiæ, quá mihi reddet, inquit, non donabit, ait Augustinus, ἀποδώσει, reddet, inquam, iustus iudex: quia sumus, quod ait Ioan. Apostolus, sicuti Christus est, hoc est iustitia vera, quia nobis verè inhærente atque suo, quem pater iudex postulat, modulo perfecta, plena, & munda iusti, sancti & Christi capiti conformes.

Catholicorum doctrina verbo Dei est consentanea, quæ tam est luculenta vt vel philosophi ab ea non abhoreant.

In hac igitur diuini iudicij, quod piis Christi fratribus membris, cohæredibus reddit prout quisque in corpore gessit, vitæ æternę mercedem, descriptione, veraque iustificatione Catholici non quærimus (quod dudum exprobrabas Cemnici) sententiam, quæ consentanea sit Philosophicis opinionibus, aut legalibus sententijs: sed quæ disertis verbi Dei vocibus nixa perpetuum habet orthodoxorum etiam Patrum consensum. at quid vetat obsecro, philosophiam manifestæ veritati suffragari, aut liquidam veritatem non obscuris Philosophorum exemplis aduersus absurda, insulsaque sciolorum placita illustrare, qui accuratissimi rerum obscurissimarum perscrutatores apta rebus dedêre vocabula? quod in suis de virtutibus atque iustitia commentariis est manifestissimum. Vnde quia iustificari discimus D. Paulo conformiter, esse iustum fieri, sicuti & purificari, & sanctificari purum sanctumque fieri, hinc istum caninum dentem putasti nobis figendum, qui Pyrrhonica potius philosophia imbutus absurde maluisti nouis istis cum Pseudoapostolis philosophari, & hominem iniustum sentire verè iustum fieri permanente (vti somnias) eius iniustitia, quàm nostris cum maioribus Christi discipulis, Scriptura, & Dei verbo nitentibus veritatem totum per orbem Christianum constanter sectari. Quòd porrò de legalibus attexis sententiis, nugę sunt: qui vt legalibus sacrificiis, vmbrisque omnibus desertis, ita & iustitia legali repudiata lucem vnam amplectimur & exosculamur

mur Euangelicam ab Apostolis Catholicæ Dei Ecclesiæ toto orbe concorditer traditam. Arbitrati enim cum D. Paulo hominem iustificari per fidem sine operibus legis, hoc est sine humanis meritis, vllóne humanæ iustitiæ promerito præcedente, nos spiritu ex fide per caritatem operante spem iustitiæ exspectantes, docemus cum D. Iacobo fidem operibus consummari, adeoque ex operibus, & non fide tantum hominem iustificari. Quibus fidei viuæ operibus in Deo, quia per Christi spiritũ, factis, perfecta exoritur nobis Dei caritas, vt fiduciã habeamus in die iudicij, quia sicuti ille est, & nos sumus in hoc mundo. Etsi enim non tam sunt iusti, aut mundi, aut sancti, quàm est Christus Dominus, vnicus omnis iustitiæ nostræ atque sanctificationis fons: sunt tamen & suo modo iusti, sancti, atque mundi: quia & lux sunt in domino. iustorũ autẽ semitæ, inquit verus ille cælesti, non Iuristica, aut sophistica sapientia illustris sophus, quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem. Vnde & Esaias piis, iustisque viris de fratribus egenis bene merentibus pollicetur, quòd orietur quasi meridies iustitia, quos etiam colliget Domini gloria. Hæc an legalibus, an potius euangelicis: item an philosophicis, an potius Christianis dicantur & defendantur sententiis, nunc æquus bonus arbiter dijudicet.

Rom. 3. Gal. 5.

Iac. 2. Ioan. 6. 1. Ioan. 4.

Sancti sic iusti sunt vt & lux sint in Domino quæ paulatim oritur. & illustratur magis atq. magis.

Proinde, vt hanc concludamus controuersiam, cùm iam liquidum sit nihil esse in doctrina Catholicorum de gratuita impij per fidẽ iustificatione, aut piis Christianorum operibus & meritis. quòd Christi Domini gratiam vllo pacto extenuet, aut minuat, nedum excludat, tollat aut aboleat, sed ornet eximiè, singulariter prædicet atque illustret (quia nihil homini tribuitur, nisi gratis solaque Dei gratia iustificato, & per Christi spiritum renato, viuificato, instaurato) perspicuum opinor piis lectoribus & de hac iustificationis controuersia facilem fore Ecclesiarum consensionem: modò candidè, citraque sophisticas calumnias ab aduersariis acciperetur. Nam verè intellecta hæc pia Catholicorum doctrina, liquidis scripturarum sententijs stabilita & SS. orthodoxorum PP. consensu confirmata, nihil habet peregrinum, Euan-

Epilogus huius controuersiæ de iustificatione.

Vnde facillimę cõsensionis certæque Ecclesiarum concordiæ spes affulgeat.

gelio contrarium, aut diuinæ Christi gratiæ iniurium. Con-

I. Colloquio Augustano iacta concordiæ semina.

sensio enim tandem in Colloquio Augustano, quod septenorum dicitur, à Melanchthone, Brentio, aliisque protestantibus ingenuo magis pudore præditis fuit impetrata; imò tantum non extorta, iustificationem non esse solius fidei. Ideoque non vtendum hac loquendi formula, nouis ab euangelicis fraudulenter inuenta, hominem sola fide iustificari, quemadmodum & decreto recessus Augustani per Carolum. V. aliosque Imperij ordines fuit constitutum. Deinde fuit dudum demonstratum nec vocabuli iustificari etymologiam pe-

II. Etymon vocis iustificari vndenã petendũ.

tendam ex Græcorum, aut Hebræorum lingua, neque ex forensi vsu, pro iustum haberi aut reputari aut declarari: sed ex Christianæ scholæ intelligentia, quæ iuxta Theologorum veterum doctrinam teste vel ipso Bucero, Epino, atque ipso adeo Cemnicio tradit accipiendum pro iustum fieri, & iustitia, & sanctitate imbui, siue iustitia inhærente donari ac iustum esse. Cæterùm vt in his controuersiis tandem contra paradoxi Lu-

III.

theri hyperbolas ab ingenuis, & moderatioribus & Vet. Patrum lectione cultoribus fuit impetrata concordia, ita nihil ambigendũ, facilem hac super quæstione de iustificatorũ operibus, & iusta mercede fore conciliationẽ, qua iusti Deum exspectant, atq; vti ait Cyprianus & Augustinus, tenent debitorẽ. Item de horum verè iustorum operum fiducia & iustitia, quæ iustum Dei iudicium secundum Ioannis Theologi & euangelistæ doctrinam sustineant, Deumq; teste Augustino debitorem postulant, iustam etiam vitæ æternæ coronam exigunt: non est ambigendum inquam facilem, hac super quæstione fore conciliationem modò sui Comitialis decreti memores Protestantes Rom. Imperij ordines patiantur omnem hanc

Anonymi Confessionis Augustanæ propugnatores suis sese iugulasse gladiis: quia Patrum verbis à se allegatis Catholicorũ statuũt doctrinã.

controuersiam ex scriptura diuina, & ex perpetuo Patrum orthodoxorum consensu definiri. quia suo sese nunc iugularunt gladio delecti isti Confessionistarum Patroni, dum præclaro suo illo opere Cæsari Ferdinando. B. M. Francforti exhibito arma nobis, vnde gratiam habemus sanè ingentem, expedierint, quibus miseri concidant necesse est. Non enim iniustorũ sunt merita, vti ex Augustino allegant, sed iustorum. Quare fateantur necesse est hominum piorum quædam esse merita.

Et,

Et, cùm ero iustus ait apud eosdem August. fol.126.in tua iustitia, quia iustitia abs te data est, iustus ero; & sic erit mea vt tua sit; hoc est abs te mihi data. Rursus cum premium venerit, sua dona coronabit, non merita tua, gratia enim vita æterna. vnde bonis operibus, vti aiunt ex D. Augustino fol. 127. debetur regnum cælorum: quia, vti ait epistola 105. meritis præcedentibus redditur, sed quæ ex gratia sunt facta, ideoque & ipsa merita sunt data. est enim stipendium iustitiæ vita æterna, quia sicuti merito peccati, tanquam stipendium redditur mors: ita merito iustitiæ tanquam stipendium redditur vita æterna. Stipendium enim debetur, ait Augustinus, quia dignè retribuitur, quia meritò redditur. Et mox, cui debetur vita æterna, vera iustitia est. Si autem vera iustitia est, ex te non est, de sursum est descendens à Patre luminum, & vt haberes & eam profectò accepisti. Quid enim habes quod non accepisti? Quapropter homo si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est; sed tibi gratia, cui gratia & ipsa iustitia. tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. nunc ergo de plenitudine eius accepimus non solùm gratiam, qua nunc iustè in laboribus vsque ad finem vitæ viuimus; sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie posteà sine fine viuamus.

Asystata Apologeticorū nostram canunt victoriam hac in caussa.

Augustinus epistola 52.
In Psal. 31. & 50
Epist. 105.

ANTITHESIS NONA.

CAP. XXVI.
Antith. 9.

De fide quã noui Theologi nouo dicunt vocabulo specialem.

IAM *ad Nonam transeunt Anonymi Confeßionistarum Patroni Antithesin, quam faciunt de fiducia certa & indubitata diuinæ gratiæ, & promißionum æternarū. Hanc ita ipsi quidem definiunt, Catholicæ & orthodoxæ, inquiunt, doctrinæ consentiens vox est, quòd in cōuersione oporteat indubitata fide accipi remißionem peccatorum propter meritum filij Dei & certò statuere quòd sumus in gratia.*

LINDANI RESPONSIO.

Quã facilis sit Ecclesiarū concordia, si candidè quæratur ab aduersariis.

Hæc Antithesis nullo dissoluatur negotio, si & hîc sicut in superioribus, necessaria adhibeatur distinctio: nimirum fiduciam indubitatam, imò fidem certam adhibendam esse Dei promissionibus; quantum est ex eius parte; sed posse du-

Vbinam Catholicis certa fiducia: & vbi dubia, & quibus de caussis.

bitandi caussam esse ex homine: quia certus conuersionis, sicuti & exauditionis modus, certaque conditio diuinitus est præscripta. Non enim donatur remissio peccatorum nisi credentibus: putà verè atque Euangelicè. Non ergo Arrianis, non Macedonianis, aut Nestorianis. Deinde nõ datur eadem peccatorum remissio nisi pœnitentibus: putà verè & ex animo. Non ergo Simoni Mago, aut Iudæis illis Hispaniensibus ob euadendum mortis periculum, aut bonorum temporalium commodum conseruandum baptizatis. Non datur denique peccatorum remissio, nisi cælestia Christi Sacramenta suscipientibus, idquè legitimè, idoneaq. animi præparationē.

Varia sunt ad remissionē, peccatorum necessaria, quę illam, quo ad nos, faciunt incertam.
1. Fides Catholica.
2. Pœnitentia vera.
3. Sacramentorum suscepitio.
4. Idonea præparatio.

His ex rebus liquidum est, iustam hominibus ex sui parte accidere posse impetrandæ diuinæ peccatorum remissionis gratiæ dubitationē; cùm tot rerum clarissimarum exēpla cogant pios animos nõ solũ ad Dei promissa respicere; sed ad præscriptas etiam sibi conditiones, seriò in primis animaduertere.

Quas dum pius animus, vti par est, perscrutatur sedulò an ad illas sese prępararit, ac quantum per humanam licet fragilitatem illas præstiterit, meritò sua ex parte, non autē ex Dei promittentis: sed sua inquã ex parte meritò ambigit, an quod Deus promisit, nanciscatur. Non quod Dei promissis diffidat: sed suæ diligentię atque necessariæ, imò diuino iussu requisitæ præparationi. Non enim Deus simpliciter, nulláue adiecta cõditione promisit omnibus peccatorum remissionem: sed certis sub legibus, certis sub cõditionibus, puta credētibus, pœnitētibus sua deniq. Sacramēta legitimè suscipiētibus. Hîc quia pius subinde anim' in se agnoscere potest aut fidē imperfectiorem, aut pœnitētiæ languorē pristiniq. amoris carnalis, aut immundas huius, mũdi reliquias, aut aliud, quod displiceat: meritò ipsa sua ex parte oritur de illius promissi euētu dubitatio.

Peccatorũ remissio variis sub conditionibus à Deo est hominibus promissa.

Audit enim diuinum illud oraculum, sibi piisq. omnibus magnũ iniicere metũ an sit orator exoraturus & supplicator exaudiēdus, iniquitatem si aspexero in corde meo, non exaudiet Dominus. Rursus, nequis temere sibi peccatores de facili exauditione blandiantur, audiant apud prophetam Zachar. Et factũ est, sicut loquutus est, & non audierunt. sic clamabũt & non exaudiam. Sic & Psalm. 17. Clamauerant, nec erat qui sal-

Iusta est dubitādi causa piis an quod postulant impetrabunt: cum Dei verbũ testetur multos orare & clamare ad Deum; sed non exaudiri.
Psal. 65.
Zach 7.

ſaluos faceret, ad Dominum,nec exaudiuit eos.

Huius cauſſa diuina illa Sapientia apud Salomonem expo- Pſal.17.
nit aut exprobrat potius impiis, deſpexiſtis omne conſilium
meum (inquit Prouerb.1.) & increpationes meas neglexiſtis. Cur Deus clamantes ad ſe ſubinde non exaudiat.
Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Tunc inuocabunt me,
& non exaudiam: ad me conſurgent, & non inuenient me: Prouerb.1.
eò quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini
non ſuſceperunt, nec acquieuerunt conſilio meo.

Accedat igitur Deum rogaturus, cum illo euangelico Pharizęo aliquis hypocrita, accedat vſurarius, fornicator, ebrioſus, accedat peccator quiuis alius, ſuorum nondum flagitiorum ex animo pęnitens, non exaudietur, donec cor ſuum legitimè ab omni iniquitate expurgarit. quod quia labor & opus eſt, meritò tam diu de exauditu ambigit, donec in corde videt priſtinam vigere iniquitatem: neque cùm illius ſui delicti odio, aut caſtigandi propoſito videt, aut animo experitur ſuauiſſimum pulcherrimæ virtutis deſiderium.

Quod ergo blandi Confeſſioniſtarũ patroni addunt, iterũ Adulando & bládiloquio ſeducunt Pſeudoapoſtoli corda ſimplicium.
in inuocatione minimè dubitandum an Deus recipiat preces,
manifeſtè diuinis dudũ allegatis repugnat oraculis. Non enim
exaudiet Deus, ſi in corde videas iniquitatem vllam. Clama- Pſal.65.
bunt enim & non exaudiam, inquit ad Zachariá. Porrò quòd Rom.15.
affirmant hanc fidem afferendam omnino ad precationem, verè recipi & exaudiri à Deo preces noſtras, & exaudiri propter filium mediatorem iuxta promiſſiones, eſt ex illis blandiloquentiis & adulationibus, quibus D. Paulus admonet ſuos Doctrina Confeſſioniſtarũ ex diametro ſcripturis cõtraria.
Romanos D. Petri ante annos decem diſcipulos, corda ſimplicium ſeduci per Pſeudoapoſtolos: qui ſuo ventri ſeruiunt. Ex diametro enim repugnant, credendũ eſſe preces noſtras exaudiri à Deo iuxta promiſſiones: & non exauditurũ Deum, teſte Dauide, ſi noſtro in corde videamus iniquitatem. Proinde quę ad ſuam adulatoriá ſententiam ſtabiliendam adducunt aulici Confeſſioniſtarũ propugnatores SS. literarũ aut Patrũ teſtimo- Reſponſio ad loca ab aulicis adulatoribus cõtra catholicam doctriná allata.
nia, nihil Catholicę aduerſantia doctrinę. Abrahæ namq. exẽplum ex Ro.ca.4. nobis conſentaneè docet nullum debere locum eſſe dubitationi, nedum infidelitati, de promiſſo diuino, quin illud ex parte Dei promittentis ſit veriſſimum, certoq.

Non hæsitandũ de promissis Dei ex infidelitate: quæ Deũ respicit.

futurum. quod Paulus disertè admonet, dum dicit Abraham non dubitasse ad promissionẽ Dei ob incredulitatem, siue vti Paulus, τῇ ἀπιςίᾳ, vt fidem Deo non haberet: sed fide corroboratum Deo tribuisse gloriam, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idẽ potens foret etiam præstare. Quòd ad D. Petri abiurgationem attinet, Modicæ fidei, quare dubitasti, nihil Catholicæ officit doctrinæ, quæ & suos filios docet nihil ambigendum de Christi omnipotentia; seueriterq́ obiurgat, si quos de Christi potentia sine omnium efficaci virtute deprehenderit aut dubios, aut æquo minus persuasos.

Modicæ fidei quare dubitasti, Germano suo vindicatur sensui.

Cùm enim quidam reperiantur infirmiori fide, qui cum illo Euangelico Tirone orantes dicunt, Domine adiuua infirmitatem meam, talibus ipsa Christi Dei loco respondet. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti; reipsa perspicuè demonstrans nullam esse dubitandi rationem ex parte Dei: sed sua solùm ex parte. Vnde & cum D. Iacobo hortatur suos, vt petant in fide, nihil hęsitantes. Non enim impetraturũ, qui hæsitans orat: puta qui non semel persuasus, totusq́; indubius credit Deo Opt. Max. & posse & velle donare, quicquid nostra intersit, aut quoquomodo nobis fuerit salutare. Ex parte ergo Dei nullus poteſt piis esse dubitãdi scrupulus reliquus.

1. Ioan. 3.

D. Ioan. rationem ostendit cur orantibus subinde dubitandũ an impetrabunt quod petunt.

Sed quia D. Ioannes admonet sic orandum, si nos cor nostrũ non reprehendit, quod mandata Dei custodimus, vt fiduciam habeamus, nos accepturos, quicquid petierimus à Deo; alienũ non est à pietate, si animus Christanus subinde secũ ambigat vtrum sit impetraturus, quoniam agnoscit se cordis sui reprehensionem non omninò effugere, quòd Dei mandata custodit.

Respõsio ad locum D. Pauli Certus sum. Rom. 8.

Certitudo Paulina nõ est omnium communis, sed paucorum speciali beneficio.

Non omnes iusti se perseueraturos sciunt, sed quibus Deus reuelat August.

Porrò quòd ad illam sententiam D. Pauli. Rom. 8. Certus sum. &c. attinet, nihil contra piam Catholicam eum doctrinã facere, inde candido liqueat lectori, quod & Catholici docemus quibusdam, sed non omnibus credentibus illam certitudinem contingere, quod non separabuntur à Dei amore vlla re externa, qualis D. Paulo contigit: sed ea vti non omnibus est communis, ita & citra salutis securitatem consistit. Siquidem pij de perseuerantia sunt incerti, quod D. August. libri. 1. cap. 12. de ciuitate Dei præclarè docet. Quis enim hominum se in actione, profectuq́; iustitiæ perseueraturum vsque in finem

nem sciat? nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentíq; iudicio non omnes instruit: sed neminem fallit. fuerit ergo D. Paulus ex horum numero, vti & Dauid exclamans, Credo videre bona Domini in terra viuentium! Rursus incerta & occulta sapientiæ tuæ, id est, remissionem peccatorum meorũ, manifestasti mihi. Verùm quòd paucis singulari pietatis diuinæ beneficio cõtigit ad omnes indifferẽter transferre cuius nam fuerit frontis? Vt ergo nunc dissimulemus illam D. Pauli vocem certus sum, πέπεισμαι non semper habere fidei certitudinem: sed tantum fiduciæ (vnde & hoc loco Erasmus, Beza, & alij reddunt, persuasus sum) quæ falli queat; quemadmodum variis ex D. Pauli locis ostendatur, atq; adeò conuincatur. Agedum igitur demonstremus vel D. Paulum ipsum non ita fuisse suæ salutis, æternæq; vitæ certum & indubium, quin dubitarit ipse; magnoq; subinde periculo, metuq; perculsus ambiguerit, an esset assecuturus, quod tantis laboribus & sudoribus venabatur. quòd mirum iis minimè videbitur, qui posteriores hac ad Ro. Epistolas non oscitanter excusserint. Nam epist. ad Philippen. quæ veterũ PP. suffragio post illam ad Ro. fuit scripta, sic habet: Si quo modo occurram ad resurrectionem ex mortuis. In quẽ locum D. Chrysost. homil. XI. ita scriptum reliquit: Credidi in illum, inquit, & resurrectionem eius; imò & patior propter ipsum, ἀλλὰ οὔπω δυνάμεθα θαῤῥῆσαι περὶ τῆς ἀναστάσεως, sed nondum possumus de resurrectione illa securi esse. & infra; Veruntamen post omnia ista

Psal. 50.

D. Paulum non fuisse salutis suæ securum, aut sine dubitatione omni persuasum.

Chrysost. negat D. Paulum fuisse securum.

quòd in Christum credidi, quòd morti eius conformatus sum, "
quòd passioni eius sum consors οὔπω θαῤῥῶ nondum securus " οὔπω θαῤῥῶ
sum. Quod & alibi dicit, qui stat, videat ne cadat. Et iterum: "
Metuo, ne cùm aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar.

Cur Paulo fuerit timendum

In eundem locum & Theophilactus: Vide & religionem, siue timorẽ eius, qui tanta est operatus, quæ sunt supra hominem: nondum audax & confidens sum, inquit, quia in certamine versor, & insequor si quo modo queam comprehendere brauium. In eandem sententiã & D. Primasius hũc Pauli locum accipit. Adhuc de hac perfectione, & tali resurrectione (quæ erit iustorum ad gloriam cum Christo) de me incertus sum. Planè ita & Oecumenius. Si quo modo pertingam, ὁρᾷς αὐτὸν

Theophylact. ait D. Paulum timuisse ne saluaretur.

D. Primasius ait D. Paulum fuisse salutis incertum.

Oecumenius Paulum docet dubitasse de gloriæ corona.

μετὰ τοσαῦτα ἔτι ἀμφιβάλλοντα; cernis'ne illum post tanta adhuc dubitantem?

D. Theodoretus monet Paulũ timuisse, ne à palma excidat

Similiter & D. Theodoretus illud ad Corinth. Ne fortè cũ aliis prædicauero, his, inquit, vtor labore & continentia, pertimescens, ne cùm alijs id quod oportet, docuero, ipse à certaminum fine & brauio omnino excidam. Et D. Chrysostomus, Quòd si Paulus hoc timuit, (inquit homil. 23. in cap. 9. Cor. 1.) qui tam multos docuerat καὶ δέδοικεν μετὰ τὸ κηρύξαι & timuit postquàm prædicauerat, & nuncius factus fuerat, orbisq. terrarum patrocinium susceperat; quidná nos dicemus? Nolite putare, inquit, solam fidem ad salutem vobis esse satis. Eundem in locũ D. Gregorius scribens, Certè Paulus Apost. (inquit lib. 6. cap. 186.) qui ad tertium cęlũ ascéderat, tamen adhuc trepidus dicebat, Castigo corpus meũ, & quæ seq. Adhuc timet qui iam ad cælũ ducitur: & iá timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur? Sic & Tertullianus D. Paulum de cęlesti mercede, an certò ipsi cõtingeret, dubitasse docet lib. de resurrectione carnis. D. Ioannes nondum manifestatum esse ait, quid
„ futuri sumus.

D. Chrysost. asserit D. Paulum pertimescere post tot labores eximios.

D. Gregorius, ait D. Paulum trepidasse de salute.

Tertullianus docet, D. Paulũ animi pẽdere de sua mercede, an certò accipiéda.

„ Scimus quia si manifestauerit, similes ei erimus, vt simus iá, quod nescimus: vtiq. sciturι, si iá essemus. Adeo contemplatio est spei in hoc spacio per fidẽ, nõ præsentatio: nec possessio, sed expectatio. De qua spe & expectatione Paulus ad Galat. Nos enim spiritu ex fide spẽ iustitię nõ expectam'; nõ ait tenemus.
„ Iustitiæ autẽ Dei dicit ex iudicio, quo iudicabimur de merce-
„ de. Ad quá pendens & ipse, cum Philippensibus scribit, Si quà,
„ inquit, concurrá in resurrectionẽ, quæ à mortuis, non quia iam
„ accepi, aut cõsummatus sum. Et vtiquè crediderat, omnia Sa-
„ craméta cognouerat vas electionis, Doctor Nationũ; & tamen
„ adijcit; persequor autẽ, si adprehendam, in quo sum adprehẽ-
„ sus à Christo. Eò amplius ego me fratres, nõ puto adprehẽdisse.
„ Vnũ planè, oblitus posteriorũ, in priora me extendẽs secundũ scopũ persequor ad palmá incriminationis, per quá concurrerẽ vtiq; in resurrectionẽ à mortuis: suo tamẽ tẽpore, sicut ad Galatas, bene autẽ faciẽtes, ne tædeat, tẽpore enim suo metemus. Audis D. Paulũ tot mysteriorũ peritissimũ animi pẽdere de sua mercede, quá Deus illo in iudicio reddet: donec enim Deus iudica-

Piis hic est cõtemplatio per fidẽ nõ præsentatio non possessio regni, sed expectatio.

1. Cor. 4. Paulus in discrimine versabatur.

iudicauerit,cauſamque patefecerit in certamine & metu ait apud Oecu. Photius,ἐν ἀγῶνι καὶ ἐν φόβῳ in diſcrimine ac periculo verſabatur. Niſi enim Deus ipſum iuſtũ pronũciarit, vti ait Oecumenius τὸ ἀσφαλὲς οὐκ ἔχει,nõ habebat certũ, ſecurũ atq. infallibile,ſe apud Deum iuſtificatũ iri. D. Auguſt.illud quòd ad Ro.ſcriptũ eſt,infelix ego homo,ex Diui Pauli perſona intelligens,video me eſſe in periculo, inquit, de nuptiis,& concup. cap.2.ne aliquando ſuccumbã.Ideo cupio liberari.In eundem ſenſum, & D.Ambroſ. D. Paulũ ſenſit ſuæ ſalutis nõ fuiſſe certum: ſed mirè ſolicitum.Paulus pugnãs contra peccati inquietudinem,inquit apud Auguſt.lib.2.contra Iulianum,primum ab eo vinci,ſuperarique metuebat.

D. Ambroſius docet D. Paulũ, non fuiſſe ſuæ ſalutis & victoriæ de peccatis certum.

Cùm igitur D. Paulus teſtibus Ambroſ. Auguſt. Chryſoſt. & aliis metuit,ne ſuperaretur,brauioq. excidat: & Oecumenio teſte ambigit an ſit coronã aſſecuturus,partẽq. reſurrectionis beatæ adepturus,aliquo ſenſu verũ eſſe oportet licere de ſalutis certitudine piis quibuſdã dubitare,ſicuti & verũ eſt licere ambigere an Deus orantẽ quẽlibet exaudiet,ſi forte vti Dauid admonet,viderit iniquitatẽ in corde ſuo, aut ſi iuxta Paulũ & Chryſ. ab aduerſariis recitatũ, nõ orat leuãs puras manus. Nõ licet prorſus ambigere,inquit,ſi puras ad Deũ leuemus preces, non exauditum iri. vbi qui conditionem vt quis exaudiatur à Chryſoſt. nõ videt adiectam,an aliquid videre cenſendus ſit?

Aduerſarii ſe iugulãt allegato D. Chryſoſt. teſtimonio.

Quare quod in Antitheſi Anonymi Confeſſioniſtarũ Patroni Catholicis affingunt,mera eſt calumnia,verè Sathanica. Pontificij contrà (inquiunt fol.131.) delent hanc conſolationẽ, & iubent ſemper dubitare an ſimus in gratia, an Deus nos exaudire velit inuocantes propter Chriſtum. Bona verba quæſo viri boni! Quo pacto obſecro Catholici hanc delent cõſolationem, qui diſertè ſuis mãdant firmiter credendũ,quotidianaq. repetitione ad excitandã in Deum fiduciã,lectitandum illum fidei Apoſtolicæ articulum, Credo remiſſionem peccatorum?

Calumnia Confeſſioniſtarũ in Catholicos, quod ſemper dubitandũ docent an Deus nos inuocantes exaudire velit.

Rurſus, qui firma fide tenẽdum docent quotquot, credunt, pœnitentiam agunt, & Sacramentis legitimè, certaq. à Chriſto forma præſcripta ſuſcipiunt, à Deo in gratiam recipi, certoq. eſſe non ſolùm in Dei gratia: ſed filios etiã Dei: hæredes Dei adeoque Chriſti eſſe cohæredes? An qui aſſiduè, docent

Deo nunquàm ſine ſpe miſericordiæ ſupplicari, iubēt ſemper dubitandum an Deus nos exaudire velit? Spe firma Dominum oramus; de exorandi euentu optimè confiſi, nihil ſpei abijcimus: ſed vt exaudiendi certitudinem nobis non arrogamus, ita deſperandi auctores nulli ſumus.

Non ergo hanc tollunt Catholici exorationis conſolationem: non dubitandum aſſerunt an Deus orantes exaudire velit, neque ſemper docent dubitare an credentes ſint in gratia: ſed tãtum illos, qui meritò ſua ex parte dubitant an præſcriptas diuinitus reconciliandi leges impleuerint, certasq; impetrandæ peccatorum remiſſionis cõditiones pręſtiterint. Nihil autem dubitandũ docent an nos exaudire velit Deus orantes propter Chriſtum: ſed tantum, an nos idoneè præparati, & legitimè diſpoſiti oremus, vt exaudiamur propter Chriſtũ. Fieri nãq; poſſe haud infrequenter vt plurima in nobis ſint impedimẽta cur nõ exaudiamur: putà ſi aut verè Deũ nõ timeamus; aut noſtro in corde iniquitatẽ cor noſtrum reprehendentẽ ipſi videamus, aut in animo deniq; occultorum aliquid, quod Deũ offendat, latere neſciamus. Si quid horum omnium, aut aliud quòd exaudiri impediat, noſtro in animo viderit ille, cui omnia, teſte Paulo nuda ſunt & aperta. Heb. 4. ſiue vt ipſe loquitur τετραχηλισμένα reſupinata, patentia, expandiculata, ecquid mirum ſi homo ſubinde metu ſanè non iniuſto corripiatur, ne non exaudiatur?

Colligũtur ex ſcripturis cauſæ variæ cur piis dubitandũ, an exaudiendi ſint: an Deus nobis propitius annuet.

Nouimus enim Dauidem docere Deum exaudire inuocantes ſe: verùm addit inuocantes in veritate. Rurſus Deum facere voluntatem inuocantium ſe; ſed addit, & timentium. Nouimus Dauidem tam aſſiduum precatorem ſibi metuere ne non exaudiatur. Ne auertas faciem tuam, inquit, à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? huius pij ac religioſi metus piis cauſa eſt, nequid fortè abditũ in animo lateat, aut aliunde quoq; hæreat, quod nos quidẽ cõtaminet, Deũ offendat vel grauiſſimè. Delicta quis intelligit, ait: &, Ab occultis meis munda me. Rurſus, Ab alienis parce ſeruo tuo Si mihi nõ dominabũtur, tunc immaculatus ero: & emũdabor à delicto maximo. Et erit (nimirum tũc vbi fuero à peccatis liberatus; ab occultis expiatus; ab

Dauid cur timuerit ne non ſemper exaudiretur.

Varia peccata impediunt cur orantes nõ exaudiamur.

ab alienis emundatus) vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Quæ cauſæ ſi Sanctiſſimu Dei virum Dauidē meritò reddebant ſolicitum ne orans non exoraret, aut deprecatus non exaudiretur: an non temerarium fuerit paſſim omnibus perſuadere, vt ſuam ad precem ſtatuant ſibi ſine dubitatione omni remiſſa peccata; preclarè enim D. Hieron. in illud Danielis, Forſitā ignoſcet Deus delictis tuis. Cùm beatus Daniel, inquit, præſcius futurorum de ſententia dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Temeritas Confeſſioniſtarum. D. Hieron. verbis demōſtrata.

Quo pacto enim temeritatis notā effugiat, qui ſine dubitatione ſibi inuocanti & oranti ſtatuit remiſſa eſſe peccata? An non videat Phariſæum illum Euangelicum fruſtrà oraſſe? an Deū fruſtra comminatū peccatoribus credat, quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum dum propè eſt. An nō igitur quibuſdā ſeſe, licet inuocatus, ſubducit, ne nō exaudiat? Certè id humano ingenio videretur impiū; niſi diuina ſic nos docerent oracula. Clamauerunt, ait ille, nec erat qui ſaluos faceret: ad Dominum, & non exaudiuit eos. Sanè Iudæi in Deum credentes clamant aſſiduè, ac ſine quotidiano diuinarum precationum penſo nullum tranſigunt diē: ſed non exaudiuntur. Sic enim olim ipſis cōminatus Dominus nunc ipſorum punit facinora, Clamabunt & non exaudiā (inquit apud Zach. cap. 7. Clamant & Antiochi ſuorum flagitiorum in ſpeciem pœnitentes: ſed non exaudiuntur. Clamant & vindictæ cupidiſſimi homines: tamen iuxta temerarium Confeſſioniſtarum axioma ſine dubitatione inuocantes ſtatuere debent, non ſolùm ſe exauditum iri: ſed peccatorum etiam remiſſionem conſecuturos. Verbum Dei docet multos clamantes non exaudiri. Iudæi quotidie clamantes non exaudiuntur.

Sed quò ſuos adulādo fallant, temerariam, vanam, impiam (quia ſcripturis diuinis dudum allegatis contrariā) aſſeuerationem, ſtolidam animi perſuaſionem, arrogantem præſumptionem Euangelicam fingunt eſſe fidem. Rem temerariam faciunt (ait Hieron. in Danielem) qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicētur, cū Daniel de ſentētia Dei dubitarit. Adulatores hodie plurimi ſtolidam perſuaſionem audent appellare Dei fidem: & humanam temeritatē Euangelicā faciunt ſecuritatem.

Quanquàm verò Catholici doceamus Chriſtianū hominē nunquā ſine dubitatione (niſi ſingulari Dei dono) poſſe ſtatue-

Calumnia aduersariorum in Catholicos depulsa.

re sibi remissa peccata: non tamen docemus (quòd aduersarij nobis calumniosissimè affingunt) suspensa asseueratione perpetuò hæsitandum Christiano precanti an exaudiatur nec ne. cùm liqueat nos vbique spem metui adiungere comitem; imò firmiter sperandum certoq. cõfidendum oranti quòd exaudietur: si tamẽ oret legitimè: si ex animo fratribus in se peccantibus dimiserit; si Deũ verè timuerit; si denique sine hęsitatione orauerit, nihil sibi mali conscius, cuius non pœniteat; ita nec occultis contaminatus, aut alienis grauatus.

Meritò enim D. Paulus sese timet iustificatum prædicare, quanquam sibi nihil esset conscius. 1. Corint. 5. Cuius exemplo & nos sperandum potius quàm temere citra hęsitationem statuendum sibi esse remissa peccata. Non ergo delent Catholici diuinam consolationem, quòd clamantes exaudiet, quòd inuocãtes non deseret: sed has promissiones firmiter obtinentes monent suos, vt orantes sese idoneos reddant, quos Deus exaudiat. quod cùm sæpissimè iustis ex causis dudum fusè cõmemoratis fiat, hortantur vt si iniquitatẽ nõ viderint in corde suo, sperent, fiduciamq. permagnam cõcipiant de Opt. max. Dei pietate atq. misericordia, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur: cuius oculi semper contemplantur iustos, & aures eius ad suscipiendas, & exaudiendas ipsorum preces.

Quanta cũ exauditionis spe certaq. fiducia orandum doceãt Catholici.

Cæterùm illã certitudinẽ, quæ omnẽ excludat dubitationẽ de peccatorũ remissione, quòd ad hominẽ quidẽ pertinet, vti diximus, nõ ex parte Dei disertè scriptura monet ceu temerariam refutandam. De propitiatu peccati noli esse sine metu.

Certitudo de suorum peccatorum remissione docetur ex Dei verbo temeraria Ecclesiast. 5.

Rursus sunt iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed in futurũ omnia seruantur incerta. Vbi D. Hieron. Porrò hic sensus, inquit, etiã in hoc dedi cor meum, & scire volui quos Deus diligeret; quos odisset, & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse: & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & in ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem sustinent, quæ sustinent, an ad iudicium.

Sẽsus germanus illius, nemo nouit vtrũ amore an odio sit dignus ex D. Hieronymo.

Vnde liquet quod certa & infallibili fide citra reuelationẽ nulli constare potest sibi remissa esse peccata: aut se iustũ esse, & saluandum, & de numero electorum, cùm de hoc nullum sit

ſit Dei verbum: & propter varia cùm pericula, lapſusq́. tum liberi arbitrij noſtri inconſtantiam & flexum facilem ad malum, & peccati fallaciam cuiq́. metuendam ne à brauio excidat: rurſum ne illud ignauus deſerat, ne à peccato blandiente fallatur delicatulus, ne à diabolo inſidiante mollior vincatur. Denique cauendum, vt qui ſtat videat ne cadat. Rurſus ne cùm alijs prædicauerit, quod monet Apoſtolus, ipſe reprobus efficiatur. Quòd ſi meritò D. Paulus ſibi metuit, teſte Chryſoſt. ecquid nobis non multò iuſtius timeamus, ne à cœpto curſu excidamus, aut brauio per noſtram aut negligentiam, aut oſcitãtiam fruſtremur. Ex quibus nullo negocio perſpicere licet Lectori candido, non modò falſum eſſe illud Lutheri dogma (vti R. D. Hoſius annotauit) ſed temerarium ſacrilegum etiam atque impium, cuius homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, vt firmiter credat, certoq́ue ſtatuat abſque vllà dubitatione proprię infirmitatis & diſpoſitionis, eſſe peccata ſibi remiſſa, quòd liquet ex eo, quia & Antiocho, licet oranti, non contigit: Phariſæo Euangelico, licet in templo oranti, non contigit, quia clamauerunt non ſuo vti oportebat modo: & Dominus non exaudiuit. Rectè igitur iuxtà atq; veriſſimè aduerſarij Confeſſioniſtæ hanc illo R. D. Hoſij Epiphonemate concludunt Antitheſin. Nulla poteſt eſſe apud Deum maior abominatio, quàm ſit hæreticorum tanta præſumptio, cùm tam liquidis diuinarum ſcripturarum exemplis repugnet, atque manifeſtiſſimis verbi Dei ſententijs, & perpetuo PP. Orthodoxorum conſenſui ex Diametro aduerſetur.

Causæ cur iuſtus metus in pios cadet vt dubitent, ac minus ſuæ ſalutis æternæ agãt ſecuri.

Si enim firmiter cuiq; credendũ, certoq́ue ſtatuendum eſt, ſibi remiſſa eſſe peccata; quorſum Apoſtolus monet nos, cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini? Vbi enim eſt ſalutis obtinendę certitudo, firmaq́ue impetratæ peccatorum remiſſionis fides, nullus poteſt eſſe timor de amittenda ſalute; nullus de iudicio illo horribili poteſt eſſe tremor.

Atqui ne Paulus quidem ipſi, vti dudum perpetuo PP. orthodoxorum conſenſu demonſtrauimus, fuit huius timoris expers. negat enim iuſtificatũ, tametſi non eſſet ſibi peccatorũ conſcius; teſte D. Chryſoſt. & Hieron. Cur ita quęſo? quòd Do- 1. Corinth. 3.

minus, inquit nondum hanc pronunciauit ſententiam. Nam ante hoc Dei Cardiognoſtis arbitrium, non habebat teſte Oecumen. ſecuritatem, ſiue τὸ ἀσφαλὲς: non erat Paulo ſecurum atque infallibile credere ſe iuſtum eſſe.

D. Paulo non fuit certum & infallibile ſe eſſe ſaluãdum.

Donec enim Deus ſententiam tuliſſet, Paulus verſabatur, vti ait Photius, in certamine & metu; ſiue potius ἐν ἀγῶνι, erat in diſcrimine alea certoque periculo ne fortè aliter iudicaret Deus, cui omnia ſunt notiſſima, nihilque ignotum aut occultum; quàm Paulus: qui vt ſibi non malè conſcius, ita nec ſibi ſatis notus. Vnde infallibilem de ſe pronunciare nõ potuit ſententiam. Quis enim nouit inſcrutabile cor hominis? quis nouit quæ ſunt in homine; niſi ſpiritus qui eſt in homine? Quòd ſi D. Paulo non fuit tutum, ſecurum, certum aut infallibile iuſtum ſe ante Dei ſententiam pronunciare: quantæ, obſecro te Lector Chriſtiane, eſt temeritatis, imò blaſphemiæ ſacrilegę docere, cuiuis ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſariam eſſe, vt firmiter credat, certoq. ſtatuat abſque vlla dubitatione peccata ſibi eſſe remiſſa? Sed nunc ad alias examinandas antitheſes tranſeundum.

ANTITHESIS DECIMA.

CAP. XXVII. De diſcrimine legis & Euangelii.

Antith. 10.

Decimam ingreſſuri Antitheſin Confeßioniſtarum delecti defenſores, ſcriptura manifeſtum, inquiunt, facit diſcrimen inter Moſen & Chriſtum, inter Doctrinam legis & Euangelium. Papiſtici Theologi & Monachi in omnibus libris ſuis hæc diuerſißima doctrinarum genera prorſus confundunt, ex Chriſto Moſen, ſeu legiſlatorẽ, & inuicem ex Moſe Chriſtum, ſeu ex Euangelio legem facientes.

LINDANI RESPONSIO.

Calũniæ iſtius probè ſibi conſcij apologetici nullum audẽt citare doctorẽ Catholicum iſtius blaſphemiæ teſtem.

CVM apud Scriptores Catholicos indubitatiſſima extet hoc de legis, & euangelij diſcrimine doctrina, diuinis ſcripturis per aduerſarios allegatis, Patrumque teſtimoniis conſentanea, & nullũ meretur prolixius hæc calumnia impudentiſſima reſponſum. Cuius improbæ calumniæ ſibi probè conſcij iſti delecti Confeſſioniſtarum defenſores, nullum Catholicum hîc citare audebant ſcriptorẽ, præter ſuum morem in

omnibus hactenus antithesibus obseruatum, callidè perspicientes, quòd manifesto in mendacio tenerentur conuicti.

Vnde vt candido Lectori liqueat vanissimos istos Confessionistarum patronos impudentissimas Catholicis affingere calumnias, manifestissimaque mendacia: paucis ostendemus ipsos non Moysen & Christum, vt illi fingũt, confundere, aut ex Euangelio legem facere; sed iuxta diuina oracula vtriusq. officium legitimè distinguere.

Promissiones Dei nouã pollicẽtur per Christum legem.

Siquidem Christum dominum agnoscimus, ingenueque profitemur cælitus à Deo Patre nobis destinatum, qui iuxta eius promissa nobis præstaret: quod olim Prophetarum ore fuit se facturum prædicere dignatus.

Iam Testamentum nouum, siue legem nouam fuisse orbi promissam, nemo est, modò Ieremiam vel Paulũ legerit, qui audeat inficiari. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas. Hoc est testamẽtum meum, quod disponam domui Dauid post dies illos.

Esaiæ 3. Ierem. 31. Hebr. 5. & 10.

Quod Ieremiæ oraculum diuus Paulus interpretatus suis Hebræis explicat dicendo: Nouum, inquit, veterauit siue antiquauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Rursus: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Nam ex Sion prodibit lex. Notum igitur est ex Dei verbo, aliam fuisse legem per Moysen datam: aliam per Christum dandam. Quod enim Deus per Moysen promiserat, Deuteron. 18. Prophetam suscitabo eis similem tui, & ponam verba mea in ore eius, per Christum suum filium ad nos missum impleuit. Quod & Ioannes Baptista disertis admodũ verbis Iudæos docuit. De eius plenitudine, inquit, accepimus omnes, gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Psalm. 109. Deuteron. 15. Ioan. 1. Vide comment. Origenis.

Illustri admodum Antithesi amicus Sponsi Christi Ioannes Paranymphus legis & Euangelij, siue Moysis & Christi discrimen exposuit. Agnoscit quidem legem Moysis bonam, & diuinitus latam; imò gratiæ nomine eam ornare nihil dubitat: Verùm longè inferiori gradu, quàm est lex Christi; quã etiam gratiæ nomine insigniuit. sed exochῶs atque excellenter. Nam & legis Mosaicæ magnum erat beneficium homi-

Legis beneficia in homines sui ignaros multò maxima, propterque à Ioan. Baptista appellabatur gratia.

nibus sui imperitis,& Dei ignaris verum Deũ ostendere,verũ eius cultum docere;quid agendũ, quid fugiendũ demõstrare.

Deniq.quo pręmio essent donãdi boni,pij,atq.morigeri filij: qua etiã pœna puniẽdi,æternũq. torquẽdi atq. vexandi mali, improbi,impij. hoc enim pœnæ timore tanquã camato freno peruicacię,proteruięq.Iudaicæ iniecto,pleriq.in vero Dei veri cultu cõtinebãtur: quẽ D.Ioan. vna voce expressit,dum per Christũ ait veritatẽ esse factã.Is enim dei cultus à Moyse pręscriptus,erat quidẽ verus Dei cultus:sed typicus,sed vmbraticus; & qui alterius esset præfiguratiuus. Quod ergo Moyses fidelis Dei seruus obscuris typis præfigurarat,ac veluti vmbris obscurius informauerat, rudioribusq. quasi lineamentis ante piorũ oculos depinxerat.hoc Christus dei filius noster legifer, quod ait Esa. luculenta veritate orbi expressit, & ipsa adeo re mũdo exhibuit.Ad hæc quia nihil ad perfectũ adduxit lex,cũ fuerit pædagogus Iudaicus,ad Christũ & cognoscẽdũ & suscipiendũ,videmus aurea illa cõcione in monte habita, quàm sit Christus Do.longè diuersissimus à Moyse seruo prisco legislatore nouus legislator. Audistis, inquit,quia dictũ est antiquis, nõ occides:Ego autẽ dico vobis,quia omnis qui irascitur fratri suo,reus erit iudicio. Venerat enim,vti erat præfatus,legẽ non soluere,aut abolere:sed adimplere, atque subiecto quasi nouo fundamento cælitus allato fulcire,stabilire,atque confirmare. Quod & D.Paulus attestatur Epist. ad Rom. data.

Veritas quonã modò per Christum facta. Hebræ.1.

Lex Iudaicus fuit Pædagogus ad Christũ Doctorem & legislatorem promissum.

Matth.5.

Nouus legislator,verè Christus.

Hinc & Apostolis suis abiturus dixit,Mandatũ nouũ do vobis,vt diligatis inuicẽ,sicut dilexi vos.Hoc dilectionis mãdatũ D. Paulus legẽ Christi apertissimis verbis pronũciat. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legẽ Christi.Gal.6. In quẽ locũ D. Aug.Quid est lex Christi (inquit li.3, cõtra Epist. Parmẽ. ca.2.) nisi, Mandatũ nouũ do vobis,vt diligatis inuicẽ? Quid est lex Christi?nisi pacẽ meã do vobis?Hinc idẽ August. rectissimè statuit esse à Christo propria quædã præcepta Euãgelica nobis præscripta,inquit li.1.Retract. ca.17.quæ in veteri testamẽto nõ reperiuntur.Nã nobis magis præcepta Decalogi præcipiuntur, quã Iudæis,quia & spiritaliter obseruanda præcipiuntur. August.in Euangelium Ioan.Tractatu 3.

Paulus docet esse legẽ Christi, cur non igitur Christũ dixeris legislatorem?

A Christo quędam propria præcepta nobis præscripta, ait Augustinus.

Erat

Erat quidẽ & dilectionis mandatũ in lege Mosaica cõpre-
hensũm: sed magis ad ostendendã homini & arguendã, quàm
adiuuandam, aut sanãdam suam infirmitatẽ: nondum enim
spiritus erat datus, qui clamaret Abba! Pater! sed timoris, qui
pœnæ formidine ad officium cogeret.

Legis Mosaicæ vsus, & à nouo testamento differentia.

Sicut enim lex data fuit, vt gratia quæreretur; ita Christi gra-
tia, vt lex impleretur. Nã lex præuaricationis gratia posita est,
ait Aug. de spiritu & lit. c. 18. id est litera extra hominẽ scripta:
propterea eam Apost. & ministrationẽ mortis, & ministrationẽ
dãnationis appellat. Hanc autẽ, id est, nouum testamẽtum, mi- “
nistrationẽ spiritus, & ministrationẽ iustitiæ dicit: quia per do- “
num spiritus operamur iustitiã, & à prçuaricationis dãnatione “
liberamur. Ideò illud euacuatur: hoc manet, quoniã terrenus
pædagogus auferetur, cùm timori successerit caritas.

Verum vtriusq. legis, nouæ ac veteris discrimẽ ex Augustino.

Sic & D. Ambr. ab aduersariis recitatus. Ideo lex seueritatẽ
gladij habet (inquit li. 9. epist. 22.) tanquã pçdagogus baculum,
vt imperfectæ plebis infirmitatẽ pœnæ saltẽ denũtiatione de-
terreat; Euangeliũ autẽ indulgentiã habet, qua peccata donan-
tur. Sic & D. Chrys. nobis itẽ ab aduersariis cõmemoratus. Lex “
si prehenderit homicidam; tollit è viuis. Gratia si acceperit ho- “
micidam, inquit 2. Cor. 3. illuminat ac viuificat. Itaq. lex Moy-
sis pçnam, mortemq. operatur: lex Christi gratiam & vitam.

Aduersarij Patres veteres nobis recitant cõsentaneos, vt suam in nos magis orbi prodãt rabiem.

Quid ergo vetat Christum Do. appellare Legislatorẽ, cùm
legẽ tulerit nouam. Si ministrauit nobis legẽ spiritus ad iustitiã,
siue ad vitam, cur non tam dicatur legis vitæ Diaconus; quàm
Moyses, qui ministrauit legẽ mortis & damnationis? Certè nos
has ob causas cum Dei Propheta Christũ agnoscimus esse no-
bis legiferum, siue vti appellat מְחֹקְקֵנוּ & 70. ἄρχοντα legislato-
rem. quemadmodum & D. Iacobus affirmat, vnum esse & le-
gislatorem siue νομοθέτην & iudicem, qui nobis est Christus Ie-
sus: cui Deus Pater ex promisso Dauidis ore facto, emisit legẽ
ex Sion: quæ est Euangelium, Christi spiritu in cordibus fide-
lium scriptũ: non graphio in tabulis lapideis, aut in libris char-
taceis atramento exaratum.

Christus verus & legifer, & nouus Legislator. 2. Corinth. 3. Esaiæ 33. Iacob. 4.

Christus nobis est archon apud Esa. & nomothetis apud Iacobum.

Qui piam hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinã scripturarum
verbis, & Patrum orthodoxorum testimoniis cõprobatã probe
perspectã habuerit, an non inuidã planè atq. cæcam videt esse

Epilogus Antithesis x.

illam anonymorum Confessionis Augustanę patronorum calumniam, qua hanc concludunt Antithesin? Papistici Theologi, inquiunt folio 134. „ hæc diuersissima doctrinarum genera „ prorsus confundunt. At viri boni quanam fronte, obsecro, „ ista figmenta in vulgus spargitis? An tam est apud Catholicos quisquam analphabetus, qui discrimen Moysis & Christi nō teneat? Sed atrocior est calumnia, quòd ex Christo, vti aiūt, „ facimus Moysen: ex Euangelio legem. Sed quorsum tam im„ pudenti mendacio prolixius respondeatur? cùm vnus Pau„ lus nos ab eius culpa liberet, quòd ex eius doctrina legē profiteamur fuisse pædagogum ad Christum; datam esse præuaricationis vitandæ, mortisque euadendæ gratia. Euangelium verò esse legem Christi, legem spiritus, legem iustitiæ ac vitæ. Tota igitur hæc Antithesis vana est, fictitia est, & Catholicis adeò per calumniam affĩcta: cùm nullus omnino sit scriptorum, qui hæc duorum testamentorum, siue duorum legislatorum discrimina non disertis verbis doceat, liquidisq. scripturarum, & Patrum testimoniis statuat. In tam manifesta igitur calumnia conuicti aduersarij proferant tandē aliquem, qui ex Christo faciat Moysen: ex Euangelio legem, vicerint. Quod si facere potuissent, nō hîc dissimulassent callidè. nullū enim Scriptorem Catholicum audebant in hac criminatione nominare tam impiæ doctrinæ auctorem. Vnde seipsi suo sese cōuincunt silentio mendacij fœdissimi, manifestariæque calumniæ fustibus expiandæ potius, quàm rationibus profligandæ.

ANTITHESIS VNDECIMA.

CAP. XXVIII. XI. Antithesis de legis perfectione, quæ inanis est superiorum nugarum Coccysmus.

QVOD in vndecima sua Antithesi delecti Confessionistarum defensores iterum de legis perfectione Catholicis obijciunt, merus est Coccysmus: quem quia superius Antithesi VI. diffusè refutauimus, non visum est operæprecium longiori eius refutationi operam dare. Meminerit tantum Lector candidus, Catholicos non sentire legem Dei esse imperfectam, sed perfectæ addi quædam, vt sit perfectior. quemadmodum ipse Christus discipulo credenti, speranti & amanti, imò & legem sese obseruasse profitenti dixit, Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes.

Consilia

Consilia enim Euangelica rectè, imò planè necessariò esse à mandatis atq. præceptis Dei distinguenda, superius Antith. VI. clarissimis orthodoxorũ PP. testimonijs; imò perspicuis D. Pauli, adeoq. Christi Domini verbis est demonstratum. Sicuti & de meritis bonorum operum suo est loco dictum.

ANTITHESIS DVODECIMA.

PORRÒ quod ad XII. attinet Antithesin, nihil visum est candidos Lectores inutili dictorum repetitione frustra onerare; cùm istam Confessionistarum calumniam hîc odiosè repetitam satis superq. cõfidamus ex superioribus Antithesi 4. refutatam. Christum enim plenissimè sua morte satisfecisse pro omnib. peccatis totius generis humani apud Catholicos vt est indubitatissimum; ita & omnibus in cõcionibus, libris, & consolationibus primum est salutis æternę fundamentum. Quod ergo in Antithesi addunt Anonymi Cõfessionistarum patroni, Papistas & Scholasticos Doctores satisfactioni Christi impiè detrahentes, "docere Christi passionem propter nostra "bona opera factam, vt hæc ab ipsa virtutem satisfaciendi con-"sequantur, improba in primis est calumnia. Ex ijs enim quæ dudũ liquidè sunt demõstrata, manifestissimũ est Catholicos vnum Christũ omnis satisfactionis, totiusque hominum cum Deo Patre recõciliationis fontẽ, & facere & prædicare: ex quo in homines copiosa fluit, manat, exundat, inexhausta nostra tota salus. Cuius fontis gratiam, diuinorumq. donorum, atq. spiritalium charismatum cõmunionem; quia SS. literæ tam Apostolicæ quàm Propheticæ attestantur, hominibus distribui, Catholici docemus ita hominibus ea communicari, vt hac ratione diuinum Christi Domini meritum nõ vllo pacto sacrilegè obscuretur, sed illustretur: non impiè minuatur, sed eximiè augeatur.

CAP. XXIX. XII. Antithesis. De merito passionis Christi.

Insulsa Confessionistarum calumnia depulsa

Catholicos Christi domini dona eximiè prædicare, singularique gratitudine illustrare.

Siquidem illustris admodũ est Dei Opt gloria ita hominẽ peccati vitio pridem vastatum, & labe deperditum, donisque illis verè cælestibus, Iustitia, pietate, fide, spe, caritate, inuido satagente diabolo, spoliatum instaurare, ac planè reformare: vt iam Christi gratia restitutus, nõ solùm rectè facere queat, sed

Christi beneficio Christiani faciunt Dei voluntatem, & quod Deo est εὐάρεστον gratissimum & amplissimum.

ſed etiam quod Deo gratum ſit atque vehementer placitum, iuxta eius volũtatem præſtare. quemadmodum D. Paulus ſuis Hebræis Epiſtolæ epilogo ardenter imprecatur.

Chriſti beneficium poſtulare encomia, quæ Catholici piis renatorũ operibus tribuunt.

Singulare hoc Chriſti Domini in miſerum hominem beneficium multò maximũ planè efflagitat, poſtulatq́, ipſius Chriſti redẽptoris atq. ſaluatoris officiũ. Cùm enim, teſte Paulo, Chriſtus ſit factus in formam & in typum priori Adæ contrarium: quẽadmodũ ille hominẽ perdidit, ſuisq́. naturalibus Dei donis orbauit, & quaſi dotalib. ſiue originalibus dotibus miſerrimè priuauit: ita Chriſtũ neceſſe eſt hominẽ nõ modò à peccatorum vitiis liberare, nexu ſoluere, labe inſtaurare: ſed virtutib. etiã excolere, priſtinisq́. cæleſtiũ donorũ monilibus exornare, atq. vt ſe ſponſo dignũ eſt, armillis, dextriceriis, anulis, mitraq́. decorare. Sicut enim Adam prior factus eſt in animam viuentem: ita poſterior Adam Chriſtus in ſpiritum viuificantem.

1. Corinth. 15.

Proinde oportet ſicut ex priori Adamo animam haurimus, viuẽtem quidem illam, ſed ſuis orbatam donis, virtutibus ſpoliatam, vitiis corruptã, verè denique miſeram, imò totã perditam: ita ex Dom. Chriſto poſteriori Adam ſpiritũ accipiamus viuificantem.

Quòd ſi ita eſt, liquidum conſequitur Chriſtianũ hominẽ, hoc viuifico Chriſti ſpiritu inſtauratum, vereq́. vitæ ſuæ redditum. nunc demũ viuere, vitalesq́. actiones ſe, ſuoq́. ſpiritu cęleſti dignas habere atq excercere. quę pia Chriſtianorũ opera ſiquid apud deũ Opt. Max. valẽt (valẽt autẽ plurimũ, ſummiq́. ſunt apud eum cùm meriti, tũ precij eximij) nõ niſi ex inhabitante nobis Chriſti ſpiritu valent. Huius enim Spiritu S. ſuorũ pectoribus quaſi templis caſtiſſ. & ſacroſanctis inhabitãtis ope, auxilio, efficacia, imò cooperatione cùm pij faciunt quidquid faciunt boni: vni Chriſti Do. ſpiritui acceptum ferimus, quicquid inde prouenit, aut fructus aut præmij.

Hoc cũ ita ſit, quæ nam eſt iſthæc Cõfeſſioniſtarũ impudẽs, ne dicam calumnia an ſacrilega blaſphemia, Catholicos impiè detrahere Chriſti Do. merito & ſatisfactioni? Adeò non detrahunt Chriſti merito, aut eius ſatisfactioni Catholici, vt vtrũq. Chriſti beneficium prædicent ſingulariter, & illuſtrẽt eximie. Quod ex his quę dudum in Antitheſin quartã ex conſentanea

nobis

nobis PP. orthodoxorum doctrina prolixius eſt annotatum.

Nõ enim veritate nititur, quod calũniantur Cõfeſſioniſtæ, Catholicos docere Chriſti paſſionẽ propter noſtra bona opera factã, vt hæc ab ipſa virtutẽ ſatisfaciendi conſequãtur: cùm ex Petro, Ioãne, Paulo, aliisq́. Apoſtolis doceãt Chriſtũ eſſe quidẽ propter peccata noſtra traditum, propter iniquitates noſtras in mortẽ dãnatũ, propter ſcelera noſtra mortuũ: ſed reſurrexiſſe propter iuſtificationẽ noſtrã; vt & nos mortuos quidẽ peccatis, viuificatos autẽ ſpiritu offerret Deo viuẽti. Porrò quod opera piorũ Chriſti ſpiritu viuificãte facta Deo ſunt placita & grata, adeò vt iuxta SS. literarũ doctrinã, & liquida orthodoxorum PP. teſtimonia, ſint apud Deũ verę quodã ſenſu ſatisfactiones, nõ eſt finis paſſionis Dominicæ, ſed effectus. quẽadmodum in ſuperiorib. eſt diffuſè ſatis declaratũ. Non enim propterea eſt mortuus Chriſtus, ſed reſuſcitatus nobis ſuũ viuificantẽ communicans ſpiritũ, ſuis in mẽbris operatur bona opera Deo grata: propter quæ Pater iratus, aut irã ſemel deponit, aut mitiùs punit. Quod an ſatisfactionis an meriti nomen mereatur, in præſens parui referre arbitror. Nobis ſuffecerit cũ D. Auguſt. ſentire Niniuitas ſuo ieiunio meruiſſe diuinæ ſententiæ mutationẽ. & cũ D. Ambr. gratanter agnoſcere, nos Deũ quodãmodo cogere, dũ cõpellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam: & cũ D. Cypr. Deũ noſtra (ſer. de lapſis, & de Eleemoſ.) ſatisfactione placari: atq. per eleemoſynas nos Chriſtum nobis promereri, Deum nobis debitorem computare.

Vide D. Auguſt. in Matt. c. 12.

Ita Chryſ. ſerm. 1. de Ieiu. quòd reuocauit Dei ſententiã ieiunium Niniuitarum, quod fuit & à cibis, & à peccatis.

Cæterùm quod ſuam Confeſſioniſtæ calumniã Catholicis immeritò inuſtam verbis R. D. Petri à Soto volunt cõfirmatam, ridiculũ planè eſt. Quæ enim ex doctiſſ. viri contra Confeſſionẽ Wirtẽberg. ſcripta, adferũt verba; nõ aiũt ideo Chriſti paſſionẽ factã, vt noſtra bona opera inde virtutẽ ſatisfaciendi accipiant: ſed ita Chriſti ſatisfactionẽ eſſe pro omnib. omnino peccatis ſufficientẽ, vt nullum opus noſtrũ nec meriti, nec ſatisfactionis vim, niſi ab ipſa habeat. Chriſti ergo ſatisfactio fõs eſt multò vberrimus, vnde profluit, copioſiſſimeq́. promanat, quicquid in hominibus Chriſtianis viuis Chriſti Do. mẽbris reperiri queat pij operis, virtutis veræ, boni meriti, aut qualis qualis denique ſatisfactionis. hæc autẽ nõ eſſe nulla, dudũ eſt demon-

demonstratum fusiùs: quæ Lector cãdidus si desideret explicata copiosius, superiores consulat Antitheses: potiss. 4. & 6.

ANTITHESIS DECIMATERTIA.

CAP. XXXXIII, Antith. De Purgatorio.

ANTITHESIN 13. *quam de Purgatorio faciunt Confeßionistarum patroni, ita exponunt: Scriptura ait, Qui crediderit & baptizatus fuerit, inquiunt, saluus erit: Qui non crediderit, hunc condemnatum iri. Atque ita totum genus humanum post hanc vitam separatum iri in duos ordines, quorum alter sit credentium, qui perpetuò conspectu Dei fruentur in cælis: alter impiorum, qui non crediderint, abijciendum à conspectu Dei in infernum, & cruciatus æternos.*

RESPONSIO LINDANI.

Consensus qua ex parte de hac controuersia.

HANC doctrinæ controuersiam, vno liceat verbulo dissoluere, puta Catholicos idem planè sentire, futurum aliquando in illo iudicij extremi die. Loca autem scripturarum à Confessionistis allegata non aliud euincere, quàm nos communiter profitemur, quod natiua ipsorum lux declarat apertiùs; quá vt frustrà nostræ orationis lumine sit illustranda manifestius: ne lampades soli in meridie, quod habet Prouerbium. Potissimũ verò ille locus ex epistola Paulina ad Thessalonicenses data. de publico illo enim loquẽs iudicio, Deus eos, inquit, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc ex loco aduersarij arguta cõsuunt ingeniosi Dialectici enthymemata, quibus sese Purgatorij (vti aiunt) Papistici figmentum semel gloriantur abolere, & Catholicos irrefragabiliter (vtor enim ipsorum voce) conuincere. Sed audiamus, obsecro, doctores istos irrefragabiles, quibus sese irrefragabiliter istud figmentum sustulisse iactant. Apostolus grauissimè, inquiunt, & prolixè loquitur ac docet de statu eorum, qui piè, & in fide ex hac vita decesserunt: neque vllam Purgatorij Papistici vel minimam facit mentionem.

Responsio ad Scripturas contra Purgatoriũ.

1. Thessal. 4.

Argumentũ aduersariorum ab auctoritate negatiuè: quod sophi isti vocare audent irrefragabile.

O magnos Sophos! qui ex pauli silentio Chrysippeos conflare norunt Syllogismos. Quasi verò necesse fuerit omnium omnibus locis Paulum expressam facere mentionẽ. Hìc sanè

non

non fuit oportunum, ac ne quidem neceſſarium. Sed addũt cati iſti Confeſſioniſtarum propugnatores coniecturam, qua Paulum grauis adeò, ſi placet Superis, reprehendendæ negligentiæ non verentur incuſare, qui prohibeat Chriſtianos ab " hoc officio humanitatis, ne acerbiſſimis fratrum cruciatibus " commoueremur atque condoleremus. "

D. Paulũ temerè accuſari à Cõfeſſioniſtis negligentiæ.

Atqui non prohibet, ô viri boni, Chriſtianos Paulus, ne fratrum cruciatibus condoleant, aut commoueantur, cùm de illorum iſthac vita defunctorum doloribus, aut cruciatibus ne verbum quidem; ſed ne ipſi doleant ſuperſtites propter illorũ diſceſſum, quod nos ad Dominum æterna requie fruituri pręceſſerunt. Nolo vos, inquit, ignorare de fratribus dormientibus, nimirum illos Domino viuere, vereq́. ſupereſſe: non ait, vt nõ oretis pro eis, ſi quid fortè à requie illa promiſſa remoretur, aut interpediat: ſed vt non contriſtemini ſicuti cæteri, qui ſpem non habent; puta reſurrectionis futuræ. Ne priſtinos ſecuti errores, inquit, doleatis eos ita mortuos, quaſi non ſuperſint, aut nunquam ſint vobiſcum beati victuri. Eò enim facit Chriſtiana fides, quam Paulus docet, imò rememorat reſurrectionis olim futuræ. De hac igitur ſolicitus, ne illi Neophyti impiis philoſophorum diſputationibus capti, aut priſtina paganorum infidelitate dubij, ſeſe ſuorum fratrum, parentum, aut filiorum mortibus diſcruciarent ægrius, quàm par ſit, aut Chriſtianæ fidei decorum patiatur.

D. Paulus non agit de cruciatibus defunctorũ, ſed de viuentiũ luctu immoderato.

Quàm hic igitur fuiſſet importunum de purgatorij cruciatibus diſſerere, videt Lector cãdidus, vbi de fidei Chriſtianæ fundamento, id eſt, reſurrectionis articulo ſtatuendo, fuit apud Neophytos agendum.

Fuiſſet D. Paulo valde importunum de purgatorio agere, vbi fidei articulus de Reſurrectione in dubium vocabatur.

Cæterùm nunc expendamus illud irrefragabile, quod dicunt argumentum, quo Catholicos manifeſtiſſimè ouantes iactitant conuictos. Huc pertinent exempla, inquiunt, luculentiſſima Lazari, Latronis in cruce, Stephani, Pauli, & aliorum. Hæc quidem exempla non ſolùm admittimus: ſed eis myriades aliquot chiliadum Chriſti martyrum, & ſi placet, Confeſſorum addimus; qui iam cum domino viuunt atq. regnant beati, mox vt hinc migrare contigiſſet.

Irrefragabile aduerſariorũ argumentum oſtenditur futile atq. ficulneum.

Neque verò his exemplis irrefragabiliter efficitur, omnes

Scriptura diuina vetat temerariũ iudicium, quo pios omnesq. in Christi fide dormientes, e uestigio sentiamus ad cælũ transferri.

in vniuersum Christianos, qui piè in fide filij Dei ex hac vita discedunt, protinus esse cum Christo. Obsistit enim illud SS. literarum Capitulum præclaro PP. orthodoxorum consensu nobis suffragaturum; quod monet sanctam atque salutarem esse orationem pro iis, qui piè in Domino dormierũt, vt à peccatis soluantur. qua de causa & Iudas Machabæus ingentem aliquot centenorum dalerorum circiter XII. summá misit Ierosolymam offerre pro peccatis mortuorum. Quod illustre in primis Machabæi exemplum (teste D. Augustino, libro de cura pro mortuis, ca. I.) etsi pios satis superq. doceat prodesse superstitũ orationes & oblationes defunctis: tamen nõ parua est vniuersæ etiam Ecclesiæ auctoritas, vbi in precibus Sacerdotum, quæ Do. Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commemoratio mortuorum: etiam si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur.

Exemplum Machabæi, quantæ sit auctoritatis apud pios. D. August. arbitro,

Sed hunc librum Anonymi Confessionistarum defensores non agnoscũt Canonicum: aliis igitur armis sunt nobis expugnandi. Affirmãt ita (quéadmodum ipsi sentire præ se ferunt) Patres in Ecclesia docuisse, quorũ testimonia quædá, inquiũt, videamus. Huc adferunt D. August. loca. 5. quæ & nos perlibenter suscipimus; sicut & D. Chrys. testimonia. Disertè enim docent nobis concorditer post mortem non profuturá propriam pœnitentiam, aut luctum. Post mortem enim non fore corrigendorum morum locum, nullam fore correctionis facultatem. Non enim, vti ait Chrys. in nobis postea erit situm pœnitere, neque commissa diluere.

Responsio ad loca Patrum ab aduersariis subdolè recitata.

Vt igitur hæc PP. testimonia disertè negant vllum esse propriis meritis, post hanc vitá locũ, aut propriá profuturá pœnitentiam, siue luctũ: ita nequaquá negãt mortuos posse viuorũ precibus, aut auxiliis adiuuari. Imò hoc ipsos nõ solum docere verbis solis luce clarioribus, sed ipsum quoq. Lutherum vestrum manifestissimè profiteri, mox demõstrabimus: vbi duo illa D. August. loca nõ agere de Purgatorio, nec igitur contra Purgatorium, quæ Cõfessionistæ in ficulneum planè sui noui, imò renouati erroris phanatici adduxerunt patrocinium.

Lutherũ Patrib. nobisq. cõsentire contra nouos suos degeneres discipulos.

D. August. loca non agere de purgatorio.

Quòd enim D. Aug. lib. I. ca. 25. de peccatorum meritis, & cõtra Pelagium Hypognost. ca. 5. affirmat, Catholicos præter

Non est certus locus quẽ fingebant Pelagiani, pueris nõ baptizatis post mortẽ.

regnum cælorum & gehennā, tertiū locum ignorare, imò non esse in scripturis sanctis reperire, & nos affirmamus. Siquidem disertè agit de paruulorū non baptizatorum loco contra Pelagianos: qui eos nec esse in Christo regno, nec in gehenna affirmabant: sed medio quodā loco, vbi vita fruentur æterna.

Videt ergo Lector candidus, nihil has D. August. sententias facere ad Purgatorium abolendum, qui de ipso his locis allegatis nihil agit.

Porrò quod ex D. Aug. Ser. 15. de verbis Apost. adferūt. duas esse habitationes, vnā in igne æterno; alterā in regno æterno: nos longè verissimū profitemur: sed post iudicium. Nā de hoc tēpore D. August. expressè agit, illum locum D. Petri disserēs: Erit cælū nouū & terra noua, quā iusti, inquit, inhabitabunt. Vnde liquet D. Aug. de illis æternis iustorū & iniustorū habitationib. agere, quas post illud iudiciū iusti & iniusti possidebunt. Tunc verò non erit purgationi vlli locus: sed Deus erit omnia in omnib. Quod autē Catholica Dei Ecclesia scripturis ac perpetuò PP. orthodoxorum cōsensui cōcorditer credit purgatoriū, nō post illud durat iudiciū: sed tēporarium est, ad lues, sordesq. peccatorū eluendas, & leuiores maculas, peccatorumq. pęnas persoluēdas. Quare nunc dāda opera, sed paucis, vt videāt pij oēs, quā delecti isti Confess. patroni nō solùm vanè gloriantur sese PP. sententiis suos, quos dicunt, aduersarios Catholicos irrefragabiliter cōuicisse: sed mala etiā fide suorū dominorū Ro. Imp. ordinū protestantiū causam agere.

Mala fide anonymos istos Patronos causam ordinum Rom. Imperij protestantium agere: quòd agnitam veritatem scientes dissimulant.

Quod vt piis semel omnib. sit perspicuū, ab ipso D. Aug. quē fallaciter cōtra nos allegarunt exorsi, ad nostræ fidei Christianæ cōscendemus originē, liquidò demōstrantes, hanc de pio animarum hinc discedētium, per preces & sacrificium auxilio doctrinā semper fuisse ab Apostolorum vsq. temporibus iuxta Scripturas in Christi Ecclesia traditā. D. August. igitur lib. 2. de Genesi contra Manich. Si qui fortè agrum nō coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis: & post hāc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternā. Vnde & Epist. 64. vetat oblationes pro spiritib. dormientium, quas verè aliquid adiuuare, inquit, credēdum est, ne fiāt sumptuosè.

D. August. plurimis locis apertissimè ac disertissimè docere ignē purgatorij post hāc vitam.

Oblationes pro mortuis verè aliquid eos iuuare.

Emendatorius ignis rectè D. August. appellatus, quod mēdas eluat, peccando animæ inustas.

Et in illud Psalm. 37. Neque in ira tua emendes me; orat vt in hac vita, inquit, purges me, & talem me reddas, cui iā emendatorio igne non sit opus: propter illos qui salui erunt; sic tamen quasi per ignem: qui grauior erit (mox addit) quàm quicquid homo pati potest in hac vita.

Sacrificiū missæ propitiatorium est pro defunctis. D. Augustino teste.

Efficacia Missæ atque eleemosynarum pro defunctis.

Libro de cura pro mortuis, docet non esse dubium defunctis (ait cap. 4) eum affectum, qui apud SS. martyres pro eis orando exhibetur; qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Quod iisdem verbis Enchirid. ca. 110. & quæst. 4. ad Dulcit. repetit. Defunctis prodesse sacrificium mediatoris, cùm pro illis offertur: quia pro non valde malis, inquit, propitiationes sunt sacrificia siue altaris, siue quarumcunq. eleemosynarum. Hinc Serm. 32. de verbis Apostoli, non esse dubitādum mortuos adiuuari, inquit, orationibus S. Ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis: vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis oretur: ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Quo autem fructu pro defunctis offeratur illud altaris sacrificium, vel eleemosynæ pro eis fiant: docet exemplo matris suæ, lib. 11. Confess. pro mortua orans, vt ipsum pro ea exaudiat, & mortuæ peccata dimittat: si quæ contraxit post aquam salutis, per medicinam vulnerum nostrorū quæ pependit in ligno. Rursus Enchirid. cap. 110. quibus autem prosunt, inquit, sacrificia altaris, siue eleemosynarum, ad hoc prosunt, vt aut sit plena remissio, aut tolerabiliter fiat ipsa damnatio: id est, pœnæ illius acerbissimæ mitigatio & diminutio.

Pro defunctis orandū esse traditio, est Apostolorum.

Quo fructu missa defunctorum fiat Augustino.

Totā Ecclesiam Africanā orasse & obtulisse pro mortuis,

Hanc autem fidem fuisse totius Africanæ Ecclesiæ, ex Canone 79. Concil. 4. Carthag. liquet: vbi pœnitentium in itinere vel in mari mortuorum memoriam iubet, & orationibus & oblationibus commendari. Hinc & Possidonius D. Augustini discipulus, pro eius commendanda corporis depositione (inquit in eius vita) sacrificium Deo oblatū est. D. Petrus Chrysologus Serm. 127. de Lazaro, docet mortuos Ecclesiæ intercessione solui, vt quod sententia (Dei) negat, Ecclesia mercatur, præstet gratia.

D. Petrus Chrysolog. an. 420.

D. Epiph.

D. Epiphanius Aërium vbi notasset hæreseos, quòd mortuis negaret prodesse aut eleemosynas, aut sacrificia, aut orationes: docet eis prodesse, etiási totam culpá non abscindát: quia pro peccatoribus, inquit, oramus Dei misericordiá implorantes. Idem Epitome doctrinę Catholicæ, docet Ecclesiá necessariò pro defunctis & orare, & sacrificare: quia traditionem hanc à Patribus acceperit.

D. Epiphanius anno 460.

Vide Epit. Doctrinæ Ecclesiæ.

Ecclesiá necessariò pro mortuis orare & sacrificare.

Imò testatur Chrysostomus à Spiritu sancto institutum, vt mutuum iuuemus etiam post mortem. Multas nobis Deus, inquit homil. 21. in Acta Apostolorum, salutis vias dedit. Nó frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuum iuuemus. Quod & homil. 41. in 1. Corinth. asserit. Non temerè excogitatú docens, quod nitimur mortuos iuuare precibus, eleemosynis, oblationibus. Non enim iam amplius scena nostra est: sed Spiritus ordinatione fiunt. Hinc homil. 61. in Ioannem, hortatur vt pro mortuis ea faciamus, quæ ipsis, inquit, aliquid conferre possint eleemosynas & oblationes. Rursus homil. 41. in 1. Corinth. Non defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo. Communis totius orbis victima preces sunt. Hinc pleni fiducia, pro toto etiam orbe supplicamus inter Martyres, inter Confessores, inter Sacerdotes mortuos recésemus. vnum enim corpus omnes sumus. Nó temerè namque ab Apostolis, inquit hom. 69. ad populum Antiochenum, hæc sancita fuerunt; vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus, Sacerdotalis plenitudo (siue Chorus atque Cleri cętus) & tremédum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? siue vti homil. 3. ad Philipp. vbi eadé verba repetita sunt, quo modo Deum non placaremus pro istis orantes? Quod Theophilactus clarioribus verbis exposuit. Non semper qui moriuntur peccatores (inquit in Lucam ca. 12. mittuntur in gehennam: sed sunt in potestate Dei, vt etiá dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes & distributiones quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducút

D. Chrysostom. Spiritum sanctú ordinasse pro mortuis orandum & sacrificandum.

Preces Missarú totius sunt victima.

Theophilactus docet oblationes defunctis prodesse.

etiam his, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Et mox: Ne igitur cessemus per eleemosynas & intercessiones propitium reddere qui potestatem habet mittendi in gehennam.

D. Ambrosius anno 360.

D. Ambr. pro defuncto fratre suo Satyro Deum deprecans, Tibi hostiam (inquit orat. Funebri) meam offero: Cape propitius munus fraternum, sacrificium sacerdotis. Ita cùm pro A. Valētiniano hortatus esset auditores, Date manib. (inquit orat. Funeb.) sancta mysteria, pio requiē ei poscamus affectu. Date Sacramenta cælestia, animam piam nostris oblationibus prosequamur. Et infrà: Beati ambo si quid meæ orationes valebunt: Nulla dies vos silentio præteribit, nulla inhonoratos vos mea transibit oratio, nulla nox nō donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Similiter & de obitu Theodosij: Dilexi virum Theodosium A. ait, Diem obitus eius quadragesimum celebrans, & præsumo de Domino, quòd suscipiet vocem orationis meæ, qua prosequor animam piam. Da requiem perfectā seruo tuo Theodosio! requiem illam, quam parasti sanctis tuis!

D. Cyril. Ierosolymit. an. 300.

Nunc quidnam Ecclesia Ierosolymitana hoc de dogmate senserit vnus D. Cyrillus Ierosolymitanus Conc. Nicæni non
" infima pars luculenter docet. Deinde pro defunctis (inquit
" mystagogica Cathech. v.) Sanctis Patribus & Episcopis, deni-
" que pro omnibus oramus; qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen siue ὄνησιν, remedium & lenimentum, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremēdi, quod in altari positum est, sacrificij. Et paulò inferius. Ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes: quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus: sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis benignissimum reddamus propitium.

Christum Deo benignissimo pro viuis & mortuis offert Ecclesia Ierosolymit. an. 300.

D. Basil. an. 350.

D. Basilius in liturgia sua orat, vt Deus meminerit omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, vt eos refrigeret, siue refrigerium præstet. Gregor. Nazianzenus fratrem suum Cæsarium. Orat. Funebri Deo cōmendat. Singulis annis honores hos instaurabimus, ac defunctorū memoriam renouabimus: nunc quidē, ô Domine, animarum no-

D. Greg. Naziāz. orat pro fratre mortuo. an. 350

ſtrarum cuſtos & benefactor, Cæſariũ ſuſcipe peregrinationis noſtræ primitias! D.Gregor. Nyſſenus Oratione, quòd nõ ſit dolendum de diſcedentibus in fide, perſpicuè docet, nõ poſſe quoſdam qui hic animi perturbationibus dediti vixerint, diuinitatis participes fieri, niſi maculas animo immixtas, purgationis ignis abſtulerit. Aliis autem poſt hanc vitam purgatorio igne materie labes abſtergentibus, & ad gratiam initio naturæ conceſſam voluntaria cupiditate redeuntibus. Epiſtola ad Olympũ de morte ſororis ſuæ Macrinę teſtatur, Vbi intra fores tẽpli cum funere accenſis cereis, & pſalmodia elato perueniſſent, ſeſe ad præcationem fuiſſe conuerſos. Deinde nobis nutu ſilentium imperãtibus, & præcone præeũte, ſolitasq́. Eccleſiæ voces inclamante, vix tandem populus ſe ad precandum compoſuit. Vnde autẽ is mos pro defunctis orandi fuerit Chriſtianis exortus, perſpicuè docet Oratione pro defunctis à Ioan. Damaſceno recitata. Nihil abſque ratione & vtilitate à prędicatoribus & diſcipulis Chriſti traditum, & in omnibus Eccleſiis Dei prędicatum. Res autem modis omnibus vtilis, & Deo in primis grata in Diuinis, præclariſq́. ſacris operationibus eorum, qui in recta fide deceſſère, manifeſtam facere memoriam. Hac fide orthodoxa à magiſtro Baſilio Magno imbutus D. Effrem ſuos rogat, vt poſt tranſitum aſſiduam ſui memoriam habeant in precibus. Comitamini me (inquit in Teſtamẽto ſuo) pſalmis & orationibus veſtris, & aſſiduè pro mea paruitate offerre dignemini. Et cùm 30. diem cõpleuero, mei memoriam faciatis. Mortui enim beneficio afficiuntur in oblationibus recordationum ſanctorum viuentium.

D,Greg.Nyſſen. ignem docet purgatoriũ poſt hanc vitam.

Origo piarum orationum pro defunctis eſt apoſtolica, teſte Greg.Nyſſeno.

Effrem orat ſuos vt pro ſe mortuo Deũ orent, potiſſ.die trigeſimo.anno.350.

Euſebius Emiſſenus diſcrimen oſtendens Chriſtianorum hinc diſcedentium, hi verò (inquit hom.3. de Epipha.) qui tẽporalibus pęnis digna geſſerint, ad quos ſermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde, donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium ignitũ, de quo propheticus ſermo, Et fluuius igneus currebat ante eum, per vada, feruentibus globis horrenda tranſibunt, quãta fuerit peccati materia, tanta erit pertranſeunti mora: quantum accreuerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis diſciplina.

Euſebius Emiſſenus anno 340. ſtatuit animarũ purgationẽ per ignem.

Magnus ille Athanaſius, quæſt. 34. vtrum animæ peccatorum

Athanaſ.an. 310. docet mortuos iuuari incruẽto miſſæ ſacrificio.

torum aliqua ſentiant beneficia, cùm pro eis fiunt Synaxes & conuentus, celebrationes bonorum operum & oblationum? Reſpondet, Si non aliquo beneficio participarent ex illo, non vtique in cura & exequiis fieret (ipſorum) commemoratio. Sicut enim vitis floreſcit extra in agro, & odorem eius ſentit vinum in vaſe recluſum, ſicque conflore ſcit ipſum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab incruenta illa immolatione & gratificatione pro ipſis facta. Idem plenius explicat Orat. de dormientibus, à D. Ioanne Damaſceno recitata. Hortatus enim vt pro defũncto ne omittant oleum & ceram, inuocato Chriſto Deo, ad ſepulchrum accendere. Accepta enim, inquit, Deo ſunt, plurimamq́. ſecũ referunt retributionem. Oleum enim, & cera, holocauſtum eſt. Incruentæ autem hoſtiæ oblatio, eſt propitiatio.

Ab incruenta immolatione altaris aliquid auxilij defunctis venit.

D. Cyprian. Antonianũ aſtutis Nouatiani hæretici literis commotum ac penè à fidei ſoliditate deturbatum, variis argumentis in Orthodoxæ fidei doctrina de pœnitentibus recipiendis confirmaturus, & illud adfert. Hac Epiſcoporum Catholicorum humanitate, nec virtutem fratrum minui (quod Stoici illi mentiebantur Nouatiani:) nec Martyria deficere, quòd lapſis laxata ſit pœnitentia; & quòd pœnitentibus ſpes pacis eſt oblata. Sic enim Chriſtum (inquit Epiſt. 2 libro 4.) imitantes vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus. Et poſt quædam: Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire: aliud miſſum in carcere non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantẽ; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedẽ; aliud pro peccatis longo dolore cruciatũ emendari & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud deniq. pendere in die iudicij ad ſententiam Domini; aliud ſtatim à Domino coronari. Qua in Periodo pius Lector, vt varia videt Chriſtianorũ hanc poſt vitam præmia: ita quoſdã aliis citiùs ad cæleſtem gloriam peruenire: rurſus quoſdam ſua peccata paſſione ſiue martyrio purgare; alios in carcerem miſſos longo cruciatu emendari, & pro peccatis, inquit, diu igne purgari, donec ſoluerint nouiſſimum quadrãtem. Verùm hãc fidei de purgatorio doctrinam fuiſſe omnium Africanæ Eccleſiæ Epiſcoporum

D. Cypr. an. 260 docet purgatorium poſt hanc vitam.

Nõ oẽs Chriſtiani ſtatim à morte accipiũt ſuæ fidei ac virtutis mercedem: ſed quoſdam oportet per ignẽ emendari, ait Cyprianus.

Doctrinam purgatorij D. Cypr. probat antiquiſſimo Canone Conc. Africani.

Episcoporum communẽ liquet ex Canone Concilij antiquissimi à D. Cypriano in causa Geminij Victoris allegati. pro quo cùm cõtra Ecclesiasticos Canones Geminium Faustinũ presbyterum suo testamento tutorẽ nominasset verat ex antecessorum Episcoporum decreto pro eius dormitione oblationem fieri, aut deprecationem aliquã (inquit, epist. 9. lib. 1.) nomine eius in Ecclesia frequentari. Neq. enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos leuitas auocare voluit. Hác Victoris temeritatẽ D. Cyprianus cum tota synodo seueriter putauit vindicandam: quò de cætero ille antecessorum Episcoporũ Canon inuiolatus à laicis obseruaretur. Quantũ ergo mortuis & ex publicis Ecclesiæ precibus, & Sacrificii illius tremendi pro defunctorũ requie solatij atque auxilij proueniat, inde colligas licet, quòd illis suffragiis Ecclesiasticis vetuerit Dei martyr Cyprianus ex Sinodo consensu Victorem adiuuandum apud Dominũ. Sic & Cypriani magister Tertullianus suæ ætatis doctrinam Ecclesiasticam asserit vxorem deterrens à secundis nuptiis pro anima eius (primi mariti inquit lib. de monog.) oret & refrigeriũ interim adpostulet ei: vt in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Et de corona militis, Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annuas facimus. Similiter de exhortatione Castitatis. Iam repeto (inquit ad vxorem) apud Deum pro cuius spiritu postules: pro quo oblationes annuas reddas. Origines ille Adamãtius Ecclesiæ Alexandrinę fidẽ suis auditoribus exponẽs, docet eum, qui saluus fit, per ignem fieri saluũ, vt si quid fortè (inquit homil. 6. in exod.) de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & resoluat, vt efficiantur omnes aurum bonũ. Rursus homil. 25. in Num. Vides quo modo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitę huius! Similiter lib. 3. in. D. Iob. declarãs ritũ exequiarũ illius Prisci seculi, celebremus, inquit, religiosos cũ sacerdotibus cõuocantes, fideles vnà cũ clero, inuitãtes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus.

Mortuus Victor à D. Cypriano excommunicatur cõmunione precum & sacrificij pro ipso.

Tertullianus anno 200. asserit purgatorij doctrinam.

Anniuersaria mortuorũ ætate Tertulliani.

Origenes anno 150. Statuit doctrinam de animarum igne emendatorio.

Item homil. 12. in Iere. illud Pauli 1. Corint. 3. Si super funda-

mentum Christi superędificaueris non solùm aurum & argentum: sed & lignum fœnum & stipulam. Quid igitur sequitur, inquit, nisi vt propter lignum, ignis tibi detur, qui consumat lignum, vel stipulam? Et mox ignis iste non consumit, quod ad imaginem & similitudinem Dei permanet: sed superædificat fœnum & stipulã. Omnes igitur quicunque illius materiam habemus in nobis, primũ recipiemus nostra delicta.

Exequię Christianæ quomodo legitimè ac salutariter mortuis celebrãdæ.

Hanc piam doctrinam & Clemens Rom. Apostolorum discipulus epistola sua 1. tradidit: cuius Conc. Vasense meminit, omnes homines honorare, corpus custodire, vanas & caducas diuitias non amplecti: ieiunium & vigilias sanctas amare: pauperes recreare, &c. mortuos sepelire: & diligenter eorum exequias peragere, pro eisq. orare & eleemosynas dare. Sic lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 30. Pro fratribus nostris, qui in Domino obierunt, acceptabilem Eucharistiã offerte in Ecclesiis & Cœmiteriis vestris. Deinde orationis formulam exponit, qua Diaconus populum hortabatur vt orent pro quiescentibus in Christo, vt benignus Deus, qui ipsius animam suscepit dimittat ei omne delictum. Quod ipsum paulo post Episcopus illic orat: quemadmodum & apud Dion. Areop. Pauli discipulum lib. Eccles. Hierar. orat ex Apostolorum, inquit, traditione, vt defuncto omnia peccata dimittat, eumq. in lucem ac regionẽ viuorũ in sinum Abrahæ, Isaaci, & Iacob, deducat. quẽadmodum in hunc vsq. diem solemnes Catholicorum preces sonãt.

D. Clemens anno. 60. astruit orãdum & sacrificandũ pro defunctis Christianis.

Publica oratio pro defunctis ex more apostolico.

Dio. Areopag. anno. 60. asserit orandum pro mortuis.

Eadem orationis formula vtitur Episcopus in liturgia, quã D. Iacobo Apostolo tribuit Synodus. 6. cap. 32. S. Proclus Episcopus, Nicolaus, Menton, Besarion, Marcus Ephesinus, & alij homines Grȩci doctissimi. Fac Domine vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit in requiẽ animarũ eorum, qui ante nos dormiunt. & infra: Fac eos requiescere in regione viuentium in regno tuo, deliciis paradisi in sinu Abrahæ, Isaaci, & Iacob.

D. Iacobus Apostolus sua in liturgia orat pro mortuis.

Ex tam liquidis sanctissimorũ Patrum testimoniis candidus lector facilè nunc perspiciat quidnam perpetuus Orthodoxorum. PP. consensus & crediderit, & Ecclesiæ Catholicæ in hũc vsq. diem per manus tradiderit: nimirum post hãc vitã peccata mortuorũ esse igne purganda, vti ait Cyprianus: posse tamẽ orationibus, precibus, eleemosynis, & in primis tremẽdo illo altaris

taris, siue saluatoris nostri sacrificio adiuuari, vt misericordius cũ eis agat, vti ait. D. August. quã ipsorũ peccata meruerũt.

Neq. verò hãc suam fidẽ mera Apostolorum traditione fundatam nobis tradiderunt: sed varijs verbi Dei testimonijs nixam ac confirmatam. Siquidem D. Cyprianus docet quosdam nõ peruenire ad coronam, donec de carcere illo liberati soluerint nouissimum quadrantem, quem eundem Euangelicæ conuiuationis locum de Purgatorio etiam Euseb. Emissenus fuit interpretatus.

Orthodoxos PP. Purgatoriũ statuere nõ sola traditione Apostolica: sed firmioribus etiã verbi Dei testimoniis.

Similiter & illud D. Pauli: Si quis superædificauerit super fundamentum ligna, fœnum, stipulam, ignis probabit, Origenes perspicuè de igne Purgatorij est interpretatus. quemadmodum & Alcuinus lib. 3. de S. Trinitate. Verùm hæc res tam est manifesta, vt vel Lutherus ipse affirmare nõ dubitarit sese certò scire esse post hanc vitam Purgatorium. vnde & in Confessione suæ fidei sub vitæ finem edita docet licere pro mortuis orare. Quinetiã Confessionis Augustanę Apologia disertè profitetur, licere pro mortuis orare, scimus veteres loqui (ait fol. 119. de oratione pro mortuis: quam nos non prohibemus,

Lutherus & Apologia Confessionis Augustanæ docent esse Purgatoriũ: & licere orare pro mortuis.

Confessio Lutheri Germanica fol. 54. G. 5. edita VVittenbergę An. 1554.

Postremò ne quid supersit scrupuli D. August. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 16. cùm docuisset Purgatorias pœnas nullas futuras, nisi ante illud, inquit, vltimum, tremendumque iudiciũ, ostendit cap. 24. non pro omnibus defunctis exaudiri Ecclesiæ preces. Nam pro defunctis quibusdam, inquit, vel ipsius Ecclesiæ vel quorundam piorum exauditur oratio: sed pro his quorum in Christo regeneratorum, nec vsq. adeò vita in corpore malè gesta est, vt tali misericordia iudicẽtur digni non esse: nec vsq. adeo benè, vt talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Sicut enim facta resurrectione mortuorum, non « deerunt quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuo- « rum, impartiatur misericordia, vt in ignẽ non mittantur æter- « num. Neq. enim de quibusdam veraciter diceretur quòd non eis remittatur neque in hoc seculo neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.

Ante Iudicium extremum erit tantùm Purgatorium. Augustinus.

Cùm igitur nõ solũ scripturarũ verbis, sed & Orthodoxorũ Patrũ, adeoq. Lutheri nouorũ Confessionistarũ istorũ verè degenerũ Patris admodũ reuerendi, & Apologię Confess. Augu-

Epilogus huius Antithesis.

ſtanæ teſtimonijs liquidò ſit demonſtratũ, pium eſſe atq. ſalutare pro pijs defunctis fratribus Dominũ orare, vt à peccatis ſoluantur, non poſſunt Confeſſioniſtarum delecti manifeſtiſſimæ non rei teneri cauillationis: cùm in Antitheſi affirmant Papiſtas verbo Dei addidiſſe cõmentum purgatorij ignis. Non addiderunt Catholici ô viri boni, hoc cõmentum: quod non cõmentum, ſed ſolidum fidei Chriſtianæ, imò Propheticæ dogma eſt dicendum, ſed quod à maioribus ſuis perpetua traditione, imò Apoſtolorum, adeoq. Prophetarum voce acceperunt; & in hunc vſque diem ſeruant: æternumq. ſeruabunt immotum, immutatum, inuiolatum.

Quare cùm doctrina purgatorij ſit liquidò demonſtrata, ſi aduerſarij hîc nobis de purgandorum carcere iuxta ſcripturas & Orthodoxorum PP. teſtimonia conſenſerint, facilè inter nos de afflictorũ fratrum remedijs, aut cruciatuũ, tormentorũ, pœnarũq. modis cõueniet. Nihil enim Catholici hac in re docemus, quod poſito purgandorũ Chriſtianorum carcere (ſiue is purgatorius, ſiue emendatorius, ſiue ſatisfactorius dicatur, nihil in præſentiarum referat) non planè demonſtratur ex Vet. PP. monumentis ſolidiſq. Scripturis eſſe longè veriſsimum, ideoq certa fide obtinendum. Quòd enim verſipelles Confeſſioniſtarum Patroni ad demonſtrandum Catholicos Purgatorij commentum inuexiſſe adferunt teſtimonia ex libellis aliquot obſcuris, ignotiq. auctoris rapſodijs, ſuum manifeſtò ipſi piis demonſtrant, quonam agitentur improbi ſpiritu: qui tam præclara Vet. PP. teſtimonia à variis ſibi perlectis Catholicis ſcriptoribus recitata impudenter, ne dicam malignè & cauillatoriè diſsimulant, vt fraudem improbam imperitis improbè ſtruant, fucumque faciant liberalibus ingenijs indigniſſimum.

Dolus malus Anonymorũ Cõfeſsionis Augustanæ Patronorum.

CAP. XXXI. *Antith.* 14. De reconciliatione Dei.

ANTITHESIS DECIMAQVARTA.

Porrò quod nunc ſubtexerunt delecti Confeßioniſtarum Patroni optimo ſanè iure potuiſſent ſilentio prætermittere, niſi controuerſiarum catalogum maluiſſent ambitioſè augere: quàm ea quæ nihil ad rem præſentem magnopere faciunt, fruſtra commemorare. Sed quia illam controuerſiam de gratia diuina, & operum piorum meritis, ſuperius Antitheſi 4. & 6. *diffu-*

diffusè pertractauimus; hanc de recōciliatione, quæ illi appendicis loco eſt, aut pro ſurculo verius, leui, quod aiunt, brachio perſtringamus. Scriptura docet, inquiunt, reconciliari Deo peccatores & impetrare gratiam ſolius Chriſti meritis & interceßione, ſi fide certa hæc apprehendant, idq. ſine vllis meritis noſtris aut dignitate noſtra.

LINDANI RESPONSIO.

Priorem partem vt planè admittunt Catholici, ita alteram refutant, velut. SS. literis pugnantem atq. ex Diametro contrariam, & perpetuo PP. Orthodoxorum conſenſui diſſentaneam, ſi de iuſtificatis hanc partem etiam accipiendam velint. Nam de reconciliatione ac gratiæ impetratione quod ad primam, ſiue impiorum iuſtificationem attinet, nulla inter nos & confeſſioniſtas diſſenſio eſt. Quæ igitur adferunt ex ſcripturis loca, nos ſimpliciter admittimus: vnum Chriſtum Ieſum profeſſi Saluatorem ſine quo nullli omnino ſalus contingere, nedum conſtare ſalua vllo pacto queat.

Conſenſus Ecclesiarum de hoc capite: ſi candidè accipiatur Catholicorū doctrina.

Illa verò quæ ex Patribus Orthodoxis adferunt teſtimonia, nihil nobis aduerſantur: cùm nos prorſus ex mera Chriſti Domini gratia fieri doceamus omnem iuſtificationem, citra vllum hominis meritum; quæ prima vocatur: vbi nullus eſt humano merito locus. Cæterùm eoſdem PP. in iuſtificatione ſecunda, ſiue in pia Chriſtianorum hominum vita, deinde verum agnoſcere meritum: licèt ex Chriſti gratia atque ſpiritu & ortum, & factum, paucis eſt demonſtrandum.

Catholici alicubi nullum agnoſcūt meritū; alicubi verò agnoſcunt: ſed ex vnius Chriſti gratia ortum: quod Patrum teſtimonijs ſtatuitur.

D. Auguſtinum igitur quaſi pijs Chriſtianorum meritis aduerſantē à Confeſſioniſtis allegatum, audiat & iudicet lector pius an non Catholicę ſuffragetur doctrinę nullus alienabitur ab illa domo patris cęleſtis, inquit Tractat. 67. in Ioannem, vbi manſionē pro ſuo quiſq. accepturus eſt merito. Rurſus Deus pro meritis fidei & bonorum operum, inquit Serm. 162. dabit fidelibus ſuis regnum cælorū. Sic & de Trinit. lib. 14. cap. 15. Quid faciet animam aliquā beatam niſi meritum ſuum, & pręmium Dei? huiusq. meriti cauſam oſtendens: homo accipit iuſtitiam à Deo, inquit, propter quam beatitudinem accipere mereatur.

D. Auguſtinus piorum meritis ſuffragatur.

Pro meritis fidei & bonorū operum Deus dabit regnum cælorum Aug.

Sic epiſtola. 157. Deus paruulos, quorum nulla merita dici poſſint, & maiores præuenit, vt habere aliqua merita poſſint.

Nam piorũ meritorum fontẽ niſi diuinam gratiá dicimus: vti D. Aug. epiſt. 105. diſertè tradit. Omne bonũ meritum, inquit, non in nobis, niſi gratia facit. Et merita noſtra ſunt Dei dona: quæ cùm Deus coronat, nihil aliud coronat, quàm munera ſua. Tanta eſt enim Dei bonitas erga omnes homines, vt noſtra inquit Aug. de Eccleſ. Dogmat. cap. 32.) velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius Dona: & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus.

Dona ſua Dei bonitas vult noſtra eſſe merita.

D. Chryſoſtomũ etiã piorũ merita prædicare.

D. Chryſoſtomum ſimiliter & pia Chriſtiani hominis agnoſcere merita, vnus aut alter locus facilè demonſtrarit. Incredibilem enim Spiritus ſancti dignationem admiratus, qua humanum pectus ſibi facit domicilium, exclamat, O rem admirandam! (inquit homil. 2. in Pſal. 50.) ô ineffabilem Dei clementiam! Dauid mortuus eſt, & Ezechiæ viuo patrocinatur. Et paulo infra: Dauid mortuus & merita eius vigent.

Dauidis merita poſt mortẽ vigent & piis patrocinantur ait Chryſoſt.

D. Hieron. ſanctorum ſtatuit merita, quæ diuerſas pariunt in cælo manſiones.

Sic & D. Hieron. pia prædicare operum Chriſtianorũ merita, ex iis, quæ dudum diximus lectori in mentem venire poſſit. D. Paulum ait plus habere meritorum, Dialog. 1. ad Pelag. qui plus omnibus laborauit. Addit & multas regni cæleſtis appellari manſiones, quia ſanctorum merita, inquit, ſunt diuerſa.

Non ſolùm patres ab aduerſariis allegatos pro piorũ meritis facere: ſed totum etiã orthodoxorum PP. Senatum.

Liquet igitur Patres illos SS. à Confeſſioniſtis fallendi ſtudio allegatos, vera piorum operum agnoſcere, adeoq́. prædicare merita. Verùm ne quid ad perpetuum hac de re Patrum Orthodoxorum conſenſum pius lector deſideret, breuiter ex aliis quoque PP. idem demonſtrandum venit.

D. Cyprianus.

D. Cyprianus præceptis & monitis Dei obtemperandum eſſe docet, vt accipiant (inquit lib. de Eccleſiæ vnitate) merita noſtra mercedẽ. Plura eius teſtimonia qui deſiderat ex ſuperioribus repetat licebit. D. Hilarius in Pſal. 51. Quamuis probabilis, inquit, per iuſtitiæ operationem vita iuſtorum ſit, tamen per miſericordiam Dei plus meriti conſequetur.

D. Hilarius.

Ruſſus in Pſal. 142. oſtendit iuſtos, & ſi præ verecundia magis gratis, quàm pro merito poſtulent: tamen præferentes honorem & Dei miſericordiam, merendi quoque non excludere officium. Nam cùm iuſtus, inquit, viuificandus ſit, viuifican-

Iuſti magis gratis quàm pro merito cur ſubinde poſtulent.

ficandus tamen est æquitate quia æquum sit vitam retribui stipendiis sanctitatis.

Idem & D. Cyrillus docet, qui hunc in modum Christum D. inducit loquentem. Iustus sum iudex (inquit lib. 10. cap. 5. Thesaur.) & honores singulis, quos per gratiam offero, quasi debitos laboribus, virtutibusque suis distribuo. D. Ambrosius piorum etiam operum meritum eximiè nobis commendat. Misericordia (inquit lib. 6. in Lucam cap. 7.) tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur. At cur me frustra fatigauero colligendis ex D. Ambrosio huius doctrinæ testimoniis: quę plura ex eo cõgerantur, quàm cęlum habet stellas? Vnicum tamen suffecerit, quo Christũ Dom. matri suæ Mariæ (ait lib. de Instit. virginis) maximum & meritum & præmium reposuisse.

D. Cyrillus.

Debitos honores Christus iudex iustus distribuet.

D. Ambrosius ait Christum suæ matri Mariæ maximum & meritum & præmium reposuisse.

Cæterùm cùm D. Paulus confidenter affirmet sibi reddendam à iusto Iudice coronam iustitiæ, quia fidem seruauit, quia cursum consummauit: ecquis dubitandi pio lectori locus de operum meritis est reliquus? Sed ne quis sui Christiani nominis immemor, hac de re ambigere queat, facit illud Spiritus sancti oraculum, quod apud Ecclesiasticum extat cap. 16. Omnis misericordia vnicuique locum faciet in iudicio secundum meritum operum suorũ: quod meritum cũ nisi Dei gratia & Christi merito nitatur, vnde ortum est: adeò Christi gloriam non obscurat, vt exornet magis, atq. præclare singulariterq. illustret. Eximia siquidem est Christi laus nos inhabitantis, atq. gloria singularis quòd ita sua membra suo spiritu ornat, vegetat, viuificat, vt non solùm viuere: sed & operari faciat, quod Deo gratum est atq. placitũ: imò vt cũ Paulo Patres Orthodoxi loquuntur, quòd Deum vel iratum possit placare; quemadmodum dudum ex D. Cypriano. August. Ambrosio, aliisque liquidis verbis fecimus contestatum.

Meritum piorum operũ ex scripturis euincitur.

Porrò quod iterum accusant nos impudentissimi homines quòd contra scripturas, & PP. doctrinam doceamus homines sic posse implere Dei præcepta, vt legi omninò satisfaciant: id iamdudum est manifestis scripturarum verbis, liquidisq. PP. Orthodoxorum testimoniis confirmatum.

An pij legem Dei impleant.

Siquidẽ Paulus docet, Qui proximũ diligit, legẽ impleuit. Quo verbo vti D. August. annotatũ reliquit, Proposi. 75. ad Ro.

ostẽdit consummationem legis in dilectione positam, id est, in caritate. Vnde Paulus, plenitudo legis est caritas, quam Deus per Spiritum sanctũ diffundit in cordibus nostris. Quisquis enim per aliquam necessitatẽ nõ potuerit implere, quod iubet Deus (inquit August. Psal. 121.) amet illum & implet: & in illo implet, nam ipse Deus nos non solùm ostensa veritatis via, vt velimus, inuitat: sed & vt præcepta ista nobis proposita præstare possimus, vires etiam implendi ea quæ imperat, subministrat; quemadmodum & alibi docet cõtra Manich. lib. 1. cap. 22. & 25. Quod ad satisfactionem legis attinet, ex superioribus est repetendum: vbi ex Retractat, cap. 19. lib. 1. ostendimus cõpleri legem Dei, de non concupiscendo ea mensura perfectionis humanę, quanta in hac vita potest esse perfectio: siue cuius capax est vita.

Quiamat Deũ implet legem August.

Deus vires legẽ implendi præstat, August.

Quòd pij verè satisfaciunt legi Dei: & quadam perfectiõe. August.

Ex his lector cãdidus nunc perspicere potest quàm atrox sit iniuria simul & calũnia verè sathanica istorum Cõfessionis Augustanæ Patronorum, qua hanc piam Catholicorum, de operum meritis Doctrinã impiè blasphemorũ Iudæorum & Mahumetanorũ siue prophanorũ Turcarum conferunt religioni: quòd idẽ omnes sentiamus, ac re ipsa dicamus Catholici, Turcę, Iudæi videlicet, quòd homo (inquiũt effrontes illi fol. 146.) mereatur vitam æternam externa honestate, virtute, & vitæ innocẽtia: & per hanc externã & ciuilem iustitiã, placere Deo homines, quorũ mores sunt honesti, & vita integra. O dirã calumniandi libidinẽ! Vtrum hîc aduersariorum magis mireris, lector candidè, malignũ calumniandi studium, an impudentẽ potius frontẽ? Audẽt nobis affingere, quòd pro Pelagianismo damnamus, quòd execramur, quòd anathema adeò dicimus: idq. nos cùm Iudęis, si Christo placet, & Mahumetanis cõmuniter & dicere, & docere, nos per externam & ciuilem iustitiã placere Deo, nos vitã æternam externa virtute & ciuili honestate mereri. O Deum immortalem! quid non mortalia pectora cogis inuida maleuolentia.! Concordiæ odio cæcati affingunt quòd non sentimus. Asserunt nos Iudæis, adeoq. blasphemis Mahumetanis concorditer sentire, quòd sacrilegę impietatis damnamus, quòd anathematis telo iugulamus. quemadmodum ex Cano. Conc. Tridentini seſſ. vi. liquet.

Calumnia verè Sathanica quæ concordiæ omnis est remora depellitur.

O cæcã calumniãdi libidinẽ! Vide concilij Trident. Cano. Seſſ. vi. de Iustificatione.

Quòd damnãt Catholici impietatis, audẽt Confessionistę illis ceu dogma affingere: quò discordiæ furiis suam fidelius nauent operã.

Antithesis luculētissima doctrinę Catholicę & Iudaicæ de Iustitia piorum operū tripartita

Illi nullam Christi Domini agnoscunt gratiam: nos nihil non Christo Do. Saluatori vnico tribuimus, totiq́ue ab eius diuino pédemus spiritu, cuius vnius auxilio, imò cooperatione omnia dicimus fieri bona opera. Illi nullum virtutis suæ, qua temerè intumescunt inflati, agnoscunt auxiliū à Christo Do. collatum: nos solo eius auxilio fieri docemus omnia præstari per illum & bona opera; & pia operum piorum merita. Illi sola externa honestate, & ciuili nituntur iustitia: nos istam damnamus philosophiam humanam, Pelagianam iustitiam; solaq́ue interna, quę fidei, spei, caritatis est, nitentes, vnū Christum omnis virtutis, omnis iustitiæ, omnis innocentiæ, omnis denique meriti prædicamus auctorem; cuius spiritu effecta opera docemus ex liberali Dei Opt. Max. gratia vitæ æternæ esse merita: quæ ipsa tamen merita, sint Dei dona: quæ cùm in nobis Deus coronat, sua ipsius dona coronat.

Liquet igitur quantum sit doctrinæ discrimen, quam Catholici profitemur, ab ea quā blasphemi Iudæi, siue prophani Mahumetani sectātur: quibus per calumniam sanè omnium " improbissimam nos isti generosi Confessionistarum patroni " audent comparare. Quòd re ipsa & in rei substantia (inquiūt folio 146.) parum aut nihil discrepamus. Verùm quam istud non solùm sit vanissimum: sed contra ipsorum etiam Confessionistarum conscientiam impiè effusum; inde perspicuum est, quòd folio præcedenti 145. recitantes doctrinam Catholicorum, ita ex collocutorum Ratisponen. anno 1546. assertione recensent. Is cui remissa sunt peccata, potest auxilio " gratiæ Dei sic implere Dei præcepta, vt Deo & proximo red- " dat, quod debet. An non hîc audis Lector candide, posse nos auxilio gratię Dei implere Dei pręcepta? An istud vel Iudæus, vel Mahumetanus asserat, quibus cum, aiunt illi religiosi Cōfessionistarum delecti, sua ipsorum reclamante conscientia, Catholicos re ipsa, & in rei substantia parum, aut nihil discrepare.

Quod hanc atrociss. calumniam delecti Confessionistarum patroni Cathol. struūt sua reclamante conscientia, liquidis ipsorum verbis demonstratur.

Proinde abiectis semel versipellium Augustanæ Cōfessionis patronorum calumniis, vt impudētissimis ita longè atrocissimis, facilis sit de hac Antithesi concordia, si vnà nobiscum ex Scripturis & perpetuò PP. orthodoxorum cōsensu sentire atque

Epilogus huius controuersiæ. Facillima concordię via ostēsa hoc in doctrinæ capite, modò candidè

atq. profiteri velint, Vnũ quidẽ esse reconciliatorẽ Christũm, cuius vnius meritis & intercessione vt reconciliamur: ita per eum solum omnem gratiam impetramus, vitamque consequimur æternam; sed citra nostra quidem merita omnia, quando ex impiis efficimur iusti: nostris verò meritis, quando post iustificationem Christi spiritu donati, legem Christianã pro virili ac modulo nobis hac in vita præscripto studemus implere. Hæc ipsa tamen merita Dei sunt dona, quæ in nobis Christi membris, suis filiis, sua gratia perficiente effecta coronat. Nunc ad reliquas Antitheses properat oratio.

ANTITHESIS DECIMAQVINTA.

CAP. XXXII. Anthitesis XV. de numero Sacramentorum.

TRANSEVNTES *ad decimam quintam Antithesin de Sacramentorum numero ita docent Confeßionistarum delecti. Sacramenta in nouo Testamento, inquiunt, instituta à Christo, vt sint signa diuinæ gratiæ, duo nominantur, & numerantur in Euangelio, scilicet baptismus. & Cœna Domini. Quod allegatis, aliquot Scripturarum confirmare conantur capitulis, perpaucisque vnius aut alterius veterum Patrum sententijs.*

RESPONSIO LINDANI.

LOCA pro duobus Sacramentis adducta nos quidem admittimus, non quòd duo tantum esse conuincant Sacramenta: sed quòd illa duo etiã doceant verè esse Sacramenta. Illud initio pius lector monendus est, aduersarios callidè dissimulare, quòd in primis erat statuendum. Vt igitur nunc silentio prætereamus, quia illi de industria prætereunt, grauissimam sanè quæstionem de Sacramenti natura & definitione (quæ longè aliter à Catholicis explicatur & traditur, quàm à nouis Confessionistis, qui hoc in loco à Martinistis ad Caluinistas videntur meditari transfugium, quod paulò post liquebit manifestiùs) hic tantum de Sacramentorum numero agendum venit; quẽ illi binarium ex allegatis S. Scripturæ locis volunt comprobatum: quod nos negamus, alia insuper affirman-

Dissimulata subdolè Sacramenti Euangelici natura & definitione aduersarij de inani rixantur numero.

affirmantes in Scripturis esse tradita veri nominis Sacramenta, quod in suum inferius locum reponetur aptius.

Responsio ad loca Patrii Catholicis opposita.

Pergunt autem aduersarij idem ex Patrum sententia docere, duo tantum esse noui testamenti Sacramenta.

Huc D. August. locum producunt ex Epistola ad Ianuar. 118. sed mutilatum improbè. Quòd enim sua illa clausula, Et cætera, voluerunt præcidere, ipsos solis luce clarius, manifestissimi conuinci mendacij contra suam ipsorum conscientiam flagitiosissimè perpetrati. Addit enim D. Augustinus euestigiò verbis per istos religiosos Confessionistarum Patronos allegatis, sed de industria mutilatis: Et siquid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Quæ conditionalis quidnam sibi velit, alibi variis in locis disertè profitetur alia & plura docens esse noui testamenti Sacramenta, quàm Baptismus & S. Eucharistia: nimirum Pœnitentiam, & S. signaculum Christi, quod nunc S. Confirmationem vulgo dicimus. Rursus S. Ordinem, nõ minus esse noui testamenti sacramentum, quàm est Baptismus.

D. Aug. verba mutilant religiosi Confess. Patroni. Manifestissimũ mendacium.

D. Aug. plura disertè docet Sacramenta duobus.

Verùm hæc explicatiùs sunt D. Augustini testimoniis pio lectori exponenda.

Quòd igitur per Confirmationis Sacramentum, siue vti appellat, per manus Episcopalis impositionem, siue sacrũ Dei signaculum: item per Pœnitentiam diuina conferatur gratia, disertè docet lib. 5. cap. 20. de Baptism. contra Donatist. Tradit enim Deũ non impediri ab altaribus ab hæreticis erectis, quò minus suis, inquit, Sacramentis adesse dignetur, cùm ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, possit oleum sanctificare. Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorẽ Sacramenta nõ celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiã, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?

Ad verba homicidæ sanctificat Deus S. Oleum.

Ita & lib. 19. cap. 14. contra Faustũ, disertè Confirmationis sacramentũ baptismo annumerat. Si tres pueros, Danielemq. prædicamus: si Machabæos pręferimus, quantò magis pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christo ad omnia perferenda paratior esse debet Christianus?

IV. Hic D. Aug. enumerat Sacramenta.

Vnum ad hæc depromam locum, quo nihil adferatur hanc ad rem constituendam, semelque euincendam robustiùs, manifestiùs, aut efficaciùs. Cùm homo peracutus Petilianus vnguento illo, quod in barbam Aaronis defluxisse, ait Propheta, impiè ad sacrilegum Donatistarum schisma fouendum abuteretur, illudque ad Sacramentum vnguenti, siue Confirmationis detorqueret. Audi, obsecro Lector Christiane, quidnā D. Augustinus impio Donatistæ responderit. Sacramentum Chrismatis, ait lib. 2. cap. 104. In genere visibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Et post pauca: Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, illis ad iudicium: ab inuisibili vnctione caritatis, quæ propria bonorum est.

Sacramentum Confirmationis est sacrosanctū, sicuti ipse Baptismus. August.

„ Iam ne quid de Ordinis Sacramento addubites, D. Augu-
„ stinus, modò fidem apud te mereatur, facilè persuaserit. Docet igitur contra Donatistas neutrum esse iterandum, hoc est, nec Ordinem, nec Baptismum, vtrūque enim (inquit lib. II. contra Parme. cap. 13) sacramentum est, & quadam conse-
„ cratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud
„ cùm ordinatur. Ideoq. in Catholica vtrumq. nō licet iterare.
„ Et postea: Si enim vtrūq. Sacramētū est, quòd nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramēto iniuria facienda est. Liquet igitur D. Augustinum plura duobus agnoscere Sacramenta, & istos delectos Confessionistarū defensores dolo malo illum D. August. allegasse locum, quē sibi contrarium, sed mala fide, dataque opera mutilatum nobis obiicere istos probos viros non dispuduit.

Ordinis Sacramentum verè à D. August. docetur Sacram.

Porrò quòd & ex altero D. Augustin. loco binarium Sa-
„ cramentorum conantur statuere aduersarij, iuxtà futile est.
„ Continuò de Christi latere exiuit sanguis & aqua, quæ sunt (inquit Augustinus) matris Ecclesiæ gemina Sacramenta.

Verè quidem annotat D. Augustinus, ex latere mortui Domini Christi gemina promanasse Sacramenta, Per sanguinem quo potamur, & Christi amore inebriamur; & aquā, qua abluimur, peccatorumque sordibus purgamur: sed non negat August. plura esse, quàm gemina Ecclesiæ matris Sacramenta, quæ locis dudum allegatis, plura ipse ita luculenter de-

monſtrauit, vt vel cæco, quod habet adagiū, ſit perſpicuum.

Ad loca D. Ambroſij.

Ad hæc quòd affirmat D. Ambroſium in Tract. de Sacramentis tantum duorum meminiſſe Sacramentorum: nempe Baptiſmi & Synaxeos, maioris ne ſit maleuolentiæ, an impudentiæ improbioris, equidem vehementer ambigo. Legant quæſo diligentius, imò beneuolentiùs, animoque Rom. Eccleſiæ odiis non fuſcato: hunc totum D. Ambr. Tractatum 4. libris comprehenſum, & fœda mentiendi temeritate iſta ſeſe effutire agnoſcent, ſi modò ingenui aliquid eis ſupereſt pudoris reliquum. Quod ſi moleſtum eis foret, age piè Lector, nos ipſis relegamus: imò aliis (quia fallendi ſtudio diſſimulaſſe, quod legerunt, à vero non abhorret) legamus; quæ D. Ambr. Sacramento Confirmationis tradit. Libro igitur 3. cap. 1. loquens baptizato, Accipis myſterium, inquit, hoc eſt vnguentum ſuper caput. Deinde pauca philoſophatus chriſtianiſſimè de baptiſmi ceremoniis, addit cap. 2. Sequitur ſpiritale ſignaculum, inquit, quod audiſtis hodie legi: quia poſt fontem ſupereſt, vt perfectiò fiat. ad inuocationem Sacerdotis (id eſt Epiſcopi. ſic enim illa ætate loquebantur) Spiritus ſanctus infunditur, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, &c. Iſtæ ſunt ſeptē virtutes, quibus conſignaris. Auditis ne ô acerrimi Confeſſioniſtarum patroni! Accipis myſterium ſuper caput, hoc eſt vnguentum, & ſpiritale ſignaculum, per quod fit poſt fontē perfectio? Iſtæ ſunt virtutes quibus conſignaris? Hoc illud eſt, quod D. Paulus tradit, Chriſtianos fuiſſe ſpiritu S. ſignatos in die redemptionis. Quam D. Pauli doctrinam vberius libr. de Spiritu ſancto perſequitur, oſtendens cap. 6. nos ſpecie quidem ſignari in corpore, veritate tamen in corde ſignari. De quo ſpiritus ſancti effectu Propheta prædixerat: Signatum eſt Domine lumen vultus tui ſuper nos, dediſti lætitiam in corde meo.

Cōcordiæ odiū aduerſarios cogit manifeſtiſſ. effutire mēdacia.

Poſt baptiſmū oportebat ſignari, perfici, ſiue confirmari. Ambroſ.

Cōfirmatio eſt D. Ambroſio Sacramentum.

D. Ambroſius Confirmationē docet eſſe Sacramentum ex D. Pauli doctr.

Ad Auguſtini ſuppetias iterū confugiunt, ſed fruſtrà.

Sed fraudis nefariæ in auream illam D. Aurelij Auguſtini ſententiam dudum patratæ ſibi cōſcij Confeſſioniſtarum delecti, quam mutilarant, quos ipſos certò iugulat; hanc Antitheſin claudere non potuerunt, niſi ex eodem noua ſibi peterent arma: ideoque poſt Ambroſium ipſis, vt eſt demonſtratum, refragantem, ad D. Auguſtinum iterum confugiunt.

III. istorū Cōfessionis Augustanæ patronorum mēdaciū.

vbi nihil quoque solidi inuenient præsidij: si verba eius expendantur accuratiùs. Aiunt D. August. de doctrina Christiana lib.3.cap.9. tantum duo enumerare Sacramenta à Christo & Apostolis tradita. Locus est apertissimus. Quædam pauca dicit pro multis à Domino & ab apostolica disciplina esse tradita. Non dicit tantùm duo esse tradita Sacramenta. Certè qui septem docent, pauca docent si cogites illa innumera, obseruatuque grauissima sacramenta & signa, quibus populus Iudaicus tanquam iugo quodam planè insuaui & aspero, fuit teste August. edomandus. maximè cùm vnum aut summū alterum doceamus omnibus esse necessarium.

" Antithesin autē Catholicorum oppositurі Confessionistæ
" Catoniana quadam aiunt seueritate eos pro ea quam sibi, in-
" quiunt, sumunt in diuina omnia, potestate, his duobus Sacra-
" mentis, insuper alia quinque addidisse.

Aduersarij causam mala fide agunt, qui dissimulāt controuersiæ solida fundamenta à Catholicis opposita.

Istud priuata hominū potestate factum negamus: sed apostolica disciplina, vti ait D. August. aut Christi Domini potius instituto. quemadmodū pij, doctique viri ex Patrum orthodoxorum sententia, & Conciliorum Ecclesiasticorum Canonibus iam pridem demonstrarunt. quos cùm ipsi recitent, nō est cur ea repetamus fusius. Sed ingeniosi isti homines maluerunt loca Catholicorū aliquot scriptorū huius ætatis commemorare: quā solidis ipsorum argumentis, liquidisq; vet. Patrū sententiis atque testimoniis irrefragabilibus respondere.

Panoplia nostra Euangelica defensa.

Vt igitur Panopliæ nostræ, quā isti Anonymi Confessionis Augustanæ defensores ex lib.4. cap.57. recitāt, causam paucis agamus. Ecquid causæ est, ô delecti Confessionistarum defensores, cur in tam diligēti, planeq. accurata commemoratione capitulorū, non recitatis & Panopliæ nostræ cap.6. & 7. eiusdē 4. libri? Vidisse vos, negare non potestis, qui tam variis ex locis illā recitatis. sed quòd vos vestris ipsi videbatis illic iugulatos verbis, referre nō libuit. Quod enim illic Ioan. Caluin. homini argutissimo accidisse per imprudentiam demonstrauimus: vos callidiore stropha prudenter quidem, imò fraudulēter cauistis. Cùm enim ille eūdem, quē & vos, allegasset D. August. locū, ex epist. ad Ianuar. minus, quàm suo fuit astuto dignū ingenio, sibi callidè cauens adiecit imprudēter, quod vos sciētet quidem,

Eundē D. August. locū callidi Confess. patroni astutiùs & fraudulentiùs Caluino allegarunt.

quidem,ſed dolo malo decurtaſtis. Cùm enim duo recenſuiſſetis ſacramẽta, à D. Auguſt. vti aiebatis, illic enumerata; quod continenter D. Auguſt. ſubtexuit, vos fraudulẽter præcidiſtis: imò ſacrilegè mutilaſtis, adeoq. impiè expilaſtis. Agnoſcebat enim veſtra cõſcientia, tot manifeſtis licet ſacrilegiis cõtaminata ſuis verbis iacere victá, ſi quod Aug. addit, aſſcriptũ à vobis fuiſſet. Quid enim aliud cãdidus lector veritatis ſtudioſus ex hac D. Aug. ſentẽtia integrè recitata diſcat: quã Auguſtinũ plura duobus Eccleſię Chriſtianæ & credidiſſe, & docuiſſe Sacramenta? Duo enim commemorás, mox ſubtexuit Et ſi quid aliud (inquit, puta ſacramentorũ Eccleſiæ Chriſtianæ) in ſcripturis Canonicis commendatur. Nam plura eſſe Chriſtianis commendata Sacramenta, alibi diſertis verbis contra Donatiſtas demonſtrauit, locis dudum allatis.

Auguſtinũ mutilant Confeſſ. quòd illius verbis videant ſe iugulatos.

Quò autem liqueat magis Cõfeſſioniſtas, ſiue potiùs, nouos iſtos atq. degeneres Confeſſ. defenſores ſuę confeſſioni Auguſtanæ docere pugnãtia, pius lector paucis hîc eſt admonendus in Confeſſ. Auguſtana pridẽ D. Carolo V. exhibita, & in eius Apologia, diſertè tria enumerari ſacramẽta. duobus enim Baptiſmo, & Cœnæ Do. tertiũ addunt, Pœnitentiã. Articulo XI. XII. & XIII. Apologia etiam fatetur plurimos ſæpe in anno vti Sacramentis, Abſolutione, inquit fol. 54. & Cœna. Rurſus qui docent de dignitate & fructibus Sacramentorum, ita docent vt inuitent populum vt ſæpe vtantur Sacramentis.

Nouos Confeſſionis Auguſtanæ defenſores pugnantia docere contra Cõfeſſ. Auguſtanã eiuſq. Apolog.

Tria verè Sacramẽta ex verbo Dei docet Confeſſ. Auguſtana, eiuſque Apologia.

Denunciatur & excõmunicatio flagitioſis & contemptoribus Sacramentorũ. Hæc ita fiunt iuxta Euangelium, & iuxta vet. Canones. Vnde iuxta Euangelium Pœnitentia eſt verè Sacramentum. quemadmodum inferius Ca. de numero & vſu Sacramentorum diſertis verbis profitetur Apologia. Nam fol. 79. ſic ſtatuit. Verè igitur ſunt Sacramenta, inquit, baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio: quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ. quæ eſt propria noui Teſtamenti. Sed vt iſtorum degenerum Confeſſioniſtarum ad impia Swinglij caſtra à Luthero defecturientium improbitas magis orbi eluceat, age Lutherum & Melanchthonem audiamus, an duo tantum cum his nouis ſuis diſcipulis, imò nouis Magiſtris Confeſſio-

Noui degeneres Confeſſioniſtæ à Luthero ad Sacramentarios defecturiunt, vereq. Confeſſ. Auguſtanam euertunt.

Confeſſionem Auguſtanam ſeſe propugnare iactantibus, hoc eſt, reuera euertentibus, profiteantur.

Lutherus ex verbo Dei demonſtrans tria eſſe Sacraměta, ſuos degeneres iugulat diſcipulos nouos Confeſſ. Auguſtanæ defenſores.

Lutherus igitur in Capt. Babylon. ſpiritum ſuum vertiginis orbi demonſtraturus, cùm euomuiſſet ſeptem ſibi eſſe neganda Sacramenta, profitetur tria tantum ſibi ponenda, quę enumerat Baptiſmum, Pœnitentiam, & Pané. Vnde conſequenter & Pœnitentiam docet ex verbo Dei verè eſſe Sacramentum, eiſdem propè verbis, quibus dudum Apologia. Demonſtrat enim & Pœnitentiam eſſe Sacramētum, ſicut & alia, inquit, illa duo. cùm conſtet, ait, verbo promiſſionis Diuinæ & fide noſtra. Idem & diffuſiùs ex Lutheri Catechiſmo demonſtrari queat.

Melancht. tria ſtatuens Sacraměta ſuos euertit diſcipulos Confeſſioniſtas nouos.

Sic & Melanchthon in Catechiſmo diſertè tria eſſe docet Sacramenta, Baptiſmus, inquit, Abſolutio, & Cœna. His concorditer & Ordinatio Eccleſiæ Lunēburgen. tradit trium iſtorum Sacramentorum vſum: mandás admodum ſeuerè, nulli debere Euchariſtiam communicari, niſi cōfeſſo, & priuata, inquit, abſolutione abſoluto, vetans ne Paſtores poſt hac, duos aut tres ſimul abſoluāt. Similiter & agenda Saxonica per Iuſtum Ionam, Georgium Spalatinum, aliosq. anno 36. confecta. docens Confeſſis per abſolutionem priuatam debere fieri participes promiſſionis generalis de remiſſione peccatorum.

Conſenſus Martiniſtarū de tribus Sacramētis.

Abuſus Sacramenti abſolutionis apud Lutheranos.

Confeſſ. VVirtembergen, tria docet Sacramenta.

Ad eundem modum & Confeſſio Wirtembergen. Cap. de Pœnitentia profitetur ſemper agnoſcenda peccata: ſemperque agendam in hac vita pœnitentiam, vt poſt Confeſſionem generalem peccatorum, cōcipiatur priuatim fides abſolutionis.

Ioan. Brent. tria eſſe Sacraměta ex verbo Dei docet. Fol. 703.

In eandem ſententiam & Brentius huius Confeſſionis auctor, diſertè in ſui Catechiſmi explicatione agens de abſolutione priuata, docet Deum, etſi ſolus remittit peccata; vti tamen ad adnuntiandam & certificandam in nobis peccatorum remiſſionem miniſterio verbi & Sacramentorū ſuorum: quorum functionem Eccleſiæ, ait, vt eius miniſtris mandauit.

Hiſce ſuffragatur & Ordinatio Eccleſiaſtica hoc anno Sexageſimo nono, per Illuſtriſſ. D. Iulium Ducem Braunſwycen. edita: qui paternæ, adeoq. Catholicæ Chriſti Religionis oblitus, prò dolor, nouo ſcripto atrocibus in Dei veri-

tatem

tatem blasphemiis pleno Euangelicam oppugnare audebat doctrinam. Postquam Illustrissimum Principem D. Henricũ suum Parentem pium, atque orthodoxum, piæ, ait, memoriæ in vera & salutari Christi cognitione diuinitus euocatum, in cælo collocasset, non veretur auitam eius religionem de idololatria, superstitione, atque magis à falsi nominis Apostolis in Angelos lucis se transformantibus seductus insimulare, ac temerè, imò calumniosè per suos nouæ fidei magistros accusare, damnare, ab eaque pernicioso schismate discedere.

In Præfatione. Christmilter vñ seliger gedechtnuss inder warhaftigen vnd salichmachenden erkandtnuss Ihnes L. Sonhs Jesu Christi zu sehnen Gottlichē gnade erfordert.

Quod si verè dicit, ac iusta causa facit, quinam, obsecro, suum patrē idololatriæ diditum, vti ait, potuit in cælum transuehere: cùm tales non habeant, ex D. Pauli doctrina, partem in regno Dei? Rursum, si Dux Henricus pater Catholicę Dei Ecclesię patronus singularis, in vera & salutari Christi cognitione vitā hanc finiuit, quare non eadem Christi cognitione, vera & salutari, vt ait, ipse filius permansit? Quare eam tot doctrinæ capitibus immutauit, deprauauit, adulterauit? Verùm de istiusmodi Asystatis, quibus scatet illud nouum calumniarum in Catholicam Dei Ecclesiam Scriptum, aliàs Deo propitio, copiosiùs.

Dux Iulius Brunsvvic. ait suum Patrem D. Henricũ piè in vera Christi cognitione defunctum, & in cælos euocatũ, audet tamen auitam eius religionē idololatriæ atq. magiæ ab impostoribus illusus, misereq. fascinatus accusare, multisque doctrinæ capitib, adulterare.

In corpore igitur suæ doctrinæ, quam vti iactitant verbo Dei, Symbolis 3. Consensui Catholico, atque Confessioni Augustanæ, suæque Apologiæ (quam nouum vocant Symbolum) consentaneam; ita variis contaminarunt Asystatis atque manifestis, & ij plurimis fœdarunt calumniis. De Sacramentorũ numero definituri post nouam noui Sacramenti definitionē, „ repudiatis quatuor Ecclesiæ Catholicæ Sacramētis, tandem & „ pœnitentiam in Sacramentorum numerum censet recipien- „ dam, quemadmodum & Apologia, inquiunt fol. I. 3. facit. Li- „ cet verò affirmēt non esse in Absolutione ritum à Deo præceptum, aut ordinatum (quòd tamen habet magistralis ipsorũ noua Sacramenti definitio, per quam & vera Ecclesiæ Sacramenta à definitione simul, & re volunt exclusa) non malè tamen fecerit (inquiunt folio I. 3. b. in corpore doctrinæ) qui eam inter Sacramenta recenset; quemadmodum & Apologia Confessioniss Augustanæ facit. Hunc autem in modum Confessionis Augustanę veteris discipuli, magistri, & auctores tria vera faciunt Sacramenta.

Variis Asystatis scatet agenda Ducis Iulij, vti & calumniis manifestiss. est refertissima.

Tria cōstituunt Braunsvvicen. Theologi Sacramenta cōtra nouā suā ipsorum definitionem, quæ duo tantum admittit.

Anonymi Confeſſionis Auguſtanæ patroni Principes proteſtantes falſi crimine inuoluunt, qui olim ſua manu ſignarunt tria ſeſe ex Dei verbo credere Sacramenta.

Cùm igitur noui iſti Confeſſ. Theologi & Cõſiliarij politici nõ ſolũ antiquis ſuis Confeſſioniſtis Theologis, Brentio, Iuſto Ionę, Spalatino, Melanchthoni, atq. Luthero pugnantia, ſed ipſi adeò Confeſſioni Auguſtanæ, iurataæq. Apologiæ, doceant cõtraria, nullus nõ videt quonã abſurditatis ſint prouoluti iſti infelices, vt Euãgelio, quod olim putabãt principes proteſtantes, ſuaq. manu tanquã Dei verbũ Carolo V. Auguſto obtulerunt, nunc ipſi oppugnẽt, imò tanquã Dei verbo contrariũ deleant, atq. damnent. Qua verò oratione iſti Doctores & Conſiliarij politici ſeſe à periurio apud probos viros excuſent, ipſi viderint, cùm in Confeſſ. Auguſtanam, eiusq. Apologiã iurare fuerunt coacti quotquot VVittenbergæ, aut Heidelbergæ ad Profeſſorũ, aut ad honorũ titulos fuêre admiſſi. Qua de re mirandum ac propè tragicum in modum grauiſſimè quiritatur Heshuſius Petrũ Boquinũ exagitans. Meminiſti ne, inquit, in defenſione Cõfeſſ. de præſentia corporis Chriſti in cœna Do.

Noui Confeſſ. Patroni an periurij rei, viderit Synodus VVittenbergenſis & Lipſenſis.

Boquinũ Heſhuſius periurij reum cõuincit Cõfeſſione ſua contra Caluinum. Fol. 62.

„ te ſub fide iuriſiurandi, vt & cæteri Profeſſores, eſſe teſtatũ in
„ Academia Heidelberg. te amplecti cõſenſum doctrinæ in Au
„ guſtana Confeſſ. Anno 30. Carolo V. exhibita expoſitæ? teque
promiſiſſæ nunquã te dogmata cũ hac Cõfeſſione pugnantia propagaturum, aut promoturũ? Scio te nõ negaturũ. Rurſus libello de præſentia corp. in cœna teſtatur multis in locis, miniſtros & alios aſtringi ſolere, non ſolùm ad Confeſſ. Auguſtanã, anno 30. Carolo V. exhitam: ſed etiam ad Apologiã quæ mox ſecuta eſt. Quòd ſi iuramenti ſui exiſtiment iſti noui Cõfeſſ. Auguſtanæ non defenſores, ſed euerſores aliquam eſſe habendam rationem, facilis erit concordiæ ratio in hoc articulo conciliando. Aut ſi ſuis ſaltem Magiſtris Luthero, Melãchthoni, Brentio, aliisque fidem haberent nullo negocio, vbi de tribus hiſce Sacramentis inter nos piè conuenerit: etiam de reliquis ſarciatur concordia. Quòd ſi vel magiſtris illis ſuis hac in controuerſia cedere nolunt noui iſti Confeſſioniſtarum nouorum Patroni, pio lectori perſpicuũ eſſe confidimus: quonã agantur Spiritu magiſtro, an concordiæ, an potiùs diſſenſionis & impię diſcordiæ: quo cũ nulli bono luctãdum hîc putamus diutius. quare ad reliquas Antitheſes expendendas nos inſtituti huius vocat ratio.

Iuramẽtum in Confeſſionem Auguſtanam, eiuſq. Apologiã mox cõſecutã.

ANTITHESIS DECIMASEXTA.

CAP. XXXIII. Antith. XVI. de Baptismo.

PERGVNT *nunc præclari illi Confeßionistarum patroni ad singula Sacramentorum examinanda, suisq́. Antithesibus, si Christo placet, oppugnanda. Baptismo igitur, aiunt, neque exorcismos vllos neque vllũ Chrisma addi legitur Matt. 28. sed cùm vtrumque sit ei hominum traditione, extra verbũ Dei additum, consequens est pertinere ad regulam illã, frustrà me colunt, docentes doctrinas hominum.*

RESPONSIO LINDANI.

Nouos Confessionistas bellũ excitare sociale dum in suis Confessionistis damnant impietatis, quod in Catholicis reprehendunt.

QVAM fœdam isti Theologi & Consiliarij suis Syneuangelicis atque Confessionistis inurant impietatis notam, facilè perspiciet, qui nō solùm hac reprehensione Catholicos animaduertat damnari: sed quotquot suis piis à maioribus, imò Apostolis piè traditis constanter vtuntur ceremoniis, in baptismo adhiberi iam olim solitis. Si ad Pharizaicas, vetitasq́ue superstitiones pertinet, quicquid extra Dei verbum adhibetur in obeundis Ecclesię ministeriis, aut adhibendis mysterijs: cur ipsi suos non damnant Wirtembergenses, qui & Abrenuntiationem nobiscum retinent, & aquã vino permiscēt? Cur non & Lunenburgen. Braunswycen. & Saxones, eorumq́ue doctores, Iustum Ionam, Georgium Spalatinum, Casparem Crucigerum, Fred. Miconium, Iustum Meniam, aliosq́. suæ confessionis Augustanæ Professores non postremos, neq. ignobiles; qui disertè docent exorcizare baptizandos. Sic enim extat in Agenda, quam isti præclari Euangelici Ecclesijs per Saxoniam Ducis Henrici anno 36. præscripserunt: atq. anno 64 Lipsiæ renouarunt.

Abrenuntiatio Sathanæ Confessionistis obtenta. Vide Catechis. Brentij maiorem.

Jch beswere dich vnreiner geist by den naem des Vaders ✠ vnd des Soons ✠ vnd des heylighen ✠ Gheist. Adiuro te immunde spiritus, in nomine ✠ Patris, & Filij, ✠ & Spiritus ✠ sancti.

Exorcismo vtũtur Cōfessionistæ in Baptismo, vnà cum crucis signaculis.

Eisdē verbis, sed omissis S. sanctæ crucis signaculis extat in ordinatione Ecclesiæ Lunenburgen. anno 64. VVittenbergæ impressa. folio N. ij. Sic & Agenda Ducis Iulij anno sexagesimo nono emissa.

Porrò quanam istæ, aliæq́. oēs ceremoniæ Baptismo Chri-

ſtiano adhibitæ nitantur auctoritate, certaque Apoſtolorum traditione, inferius Antitheſi 24. dicetur aptius: vbi hiſce traditionibus, ritibusque Eccleſiaſticis peculiaris erit locus. Has autem ceremonias, etſi vt pias diuinarumque rerum figuratiuas adhibeat Catholica Dei Eccleſia: non tamen ita eas docet neceſſariò adhibendas, vt ſi quis non contemptu, nec deſpicatu, ſed aut temporis anguſtia excluſus, aut periculo adactus omiſerit, peccet grauiter, aut Sacramenti vim putet iſtorum omiſſione impeditam aut interceptam.

Ceremoniæ baptiſmi omnes nõ ſunt neceſſariæ.

Quis enim tam eſt antiquitatis Eccleſiaſticæ rudis, aut ignarus, qui Apoſtolos non videat citra has ceremonias alicubi baptizaſſe? quis eſt tam quotidianarum rerum imperitus, qui per mulierculas, reclamante licet Caluino cum ſuo auo Pelagio, neſciat quotidie verum adminiſtrari baptiſmum, ſine exorciſmo, ſine ſacro Chriſmate, aliisúe piis ritibus? Proinde non caret reprehenſione, neque à calumniæ culpa eſt alienũ; quod Cõfeſſioniſtarum defenſores ſua in Antitheſi Catholicos criminantur, nos vociferari eos, qui in baptiſmo non adhibent vnctiones magici (aiunt folio 149.) olei exorciſmis conſecrati (de quibus blaſphemiis mox aptius) facere ſeceſſioné ab Eccleſia, & pro ſchiſmaticis atque hoſtibus Eccleſiæ habendos.

Calumnia aduerſariorum retunditur.

Certè cum Chriſmatis, ſacratique ſalis exorciſmi, aliarũq. ceremoniarum vſus, de illorum ſint numero; de quibus diuus Auguſtinus diſertis verbis pronunciat: Si quid horum totum per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, delirij notã effugere nequeũt, qui iſthæc contra perpetuum Catholicorum; imò ſuorũ Confeſſioniſtarum morem tanta peruicacia, improbaq. proteruia abijciunt, abolent, damnant.

Vtrum autem pro hoſtibus Eccleſiæ atq. Schiſmaticis ſint habendi, qui ſolùm has contemptim abijciunt ceremonias ſine vlla alia dogmatis impij nota, hîc in diſputationem trahere prolixioris foret operæ, quàm præſens ferat negotium. Si enim de ſubſtantia religionis, hoc eſt de Catholicæ doctrinæ conueniret capitibus atque Sacramentis, facilis eſſet de piis eorum ritibus atque ceremoniis concordia. Quos quia Confeſſioniſtarum quidam, & ij non infimo neque loco, neque

Ordine

Ordine nobiſcum concorditer obtinent, non eſt de ijs diſſerendum prolixius.

ANTITHESIS DECIMA SEPTIMA.

CAP. XXXIIII. Antitheſis 17. de Confirmatione baptizatorum.

Antitheſin ſuam de S. Confirmatione aggreßuri aduerſarij Catholicos accuſant, quòd ex donis Spiritus ſancti die Pentecoſtes, & aliàs datis nouum ſine vllo Dei mandato in Eccleſiam attulerunt Sacramentum.

RESPONSIO LINDANI.

Cauſa ſchiſmatis Germanici potius in Apoſtolos quadrat, quàm in Catholicos, modò vera foret.

ISTVD quidem atrox fuerit crimen, quod vel ſolum iuſtam præbere videatur Schiſmatis faciendi cauſam, ſi veritate niteretur. Verùm cùm Apoſtolis iuxta Chriſti promiſſum datus ſit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes, ac deinde Chriſti Domini, eiuſque ſpiritus doctrina per Apoſtolorum manus impoſitionem aliis cõmunicatus, non in Catholicos, ſed in Apoſtolos iſta redundat criminatio.

Origo S. Cõfirmationis demõſtratur Apoſtolica, & à Chriſto dimanata.

Porrò diuinum Confirmationis Sacramentum, non eſſe à nobis confictum, ſed à Chriſto inſtitutum, atque ab Apoſtolis nobis traditum, luculentis aliquot Vet. orthodoxorum PP. teſtimoniis venit demonſtrandum.

Cyprianus & Synodus Africana antiquiſſ. docet Cõfirmationem eſſe Sacramentum.

Extat illuſtre apud D. Cyprianum hac de doctrina Africanæ Eccleſiæ teſtimonium, vbi Cyprianus vnà cum Epiſcorum Synodo ſuam fidem luculenter exponunt. Eos qui foris extra Eccleſiam tincti ſunt (inquiunt Epiſtola prima, libr. 2.) baptizari oportere, eò quòd parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum; niſi & Eccleſiæ accipiant baptiſmum. Tunc enim demum planè ſanctificari, & eſſe filij Dei poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur. Rurſus idem Cyprianus vnà cum Epiſcopis Africanis 31. Epiſtola 12. libr. 1. clariſſimè hoc docent. Vngi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, vt accepto Chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Porrò autem Euchariſtia, & vnde baptizati vnguntur, oleum, in altari ſanctifi-

Vſus vnctionis in Cõfirmatione quis, & quidnam efficiat.

catur. Eandem fuisse illa ætate & Rom. Ecclesiæ fidē D. Cornelius Martyr, epist ad Fabiū Antiochenum docet, quæ apud Euseb. extat lib. 6. cap. 43. ostendens Nouatum hæresiarcham, non fuisse Spiritū S. consecutum, quòd iuxta Ecclesię Canonē reliqua post Baptismum nō fuisset consecutus, quæ debuisset, id est, consignationem ab Episcopo factā. Frustra hìc & D. Eusebium Ro. martyrem, Melchiadem, Vrbanum Ro. martyrē, Fabianum Ro. martyrem allegauero, quod eos aduersarij veluti sua in causa testes non admittant. Quorū testimonia qui desideret, Panopliam nostram consulat: vbi & ex Tertulliano, Augustino, aliisque huic sacræ consignationi suum Sacramēti locum vindicauimus.

D. Cornel. Martyr quā causam exponat cur Nouatus fuerit in fidei errorem prolapsus.

Idem ex D. Ambr. & August. dudum diffusè ostensum fuit. Docuit enim Ambrosius post Baptismum ad inuocationem Sacerdotis (inquit lib. 3. ca. 1) id est, Episcopi, Spiritum sanctum infundi, quia post fontē superest vt perfectio fiat. Rursus: Accipis mysterium, inquit, id est, vnguentū super caput, vbi cæteros S. Confirmationis ritus pergit verbis ambrosia dulcioribus explanare.

D. Ambr. Sacramentum Confirmationis declarat, ritusque mysticos interpretatur.

Rursus lib. 1. cap. 6. de Spiritu sancto. Sicut in Christo morimur, vt renascamur: ita etiam spiritu signamur, vt splendorē atq. imaginem eius & gratiam tenere possimus: quod est vtiq. spiritale signaculum. Nam & si specie signemur in corpore, veritate tamē in corde signamur, vt Spirtus S. exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem. Et infra. Atq. vt sciamus cordis nostri hoc magis esse signaculum, quàm corporis, docet Propheta qui dicit: Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.

Effecta S. Confirmationis ex D. Ambros. sententia.

Ita & Aug. diuini Ambr. genuinus discipulus signū Christi, id est, illud mysteriū, quod cum Christi signo & cruce in frontibus confertur, inter Sacramēta computat lib. 19. cap. 14. contra Faustum. Rursus lib. 2. cap. 104. contra literas Petiliani, docet, Sacramentum Chrismatis in genere visibilium, inquit, signaculorum esse sacrosanctum, sicut & Baptismus. Et paulò post. Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest; illis ad præmiū, illis ad iudicium, ab inuisibili vnctione caritatis, quæ propria bonorum est. Huc

D. Augustinus disertè docet Cōfirmationis mysterium esse Sacramentum, vti Baptismus, sacrosanctum.

facit

facit & locus dudū recitatus ex Aug. li. 5. c. 19. cōtra Donatiſt. vbi ex D. Cypr. ſententia docet S. oleum Chriſmatis, ſiue vti " nunc loquimur, Confirmationis, benedici, & conſecrari, ſicuti " & baptiſmum, per Deum, qui adeſt Sacramentis ſuis, inquit, & verbis ſuis, per quales libet, miniſtrentur.

Euſeb. Emiſſ. vim & vſum S. Cōfirmationis graphicè expreſſit.

Euſeb. Emiſſ. huius Sacramēti vim diſerta admodū oratione exponit. Quod nūc in Confirmandis Neophytis (inquit hom. in die Pentecoſt.) manus impoſitio tribuit ſingulis: hoc tunc Spiritus S. deſcēſio in credentium populo donauit vniuerſis. " Deinde huius ſacramenti effectū declaraturus ſubtexuit: Spi- " tus S. in fonte plenitudinē tribuit ad innocentiam, in confir- " matione augmentum præſtat ad gratiam; Quia in hoc mūdo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt. In baptiſmo regeneramur ad vitā, poſt baptiſmū confirmamur ad pugnā. In baptiſmo alimur, poſt baptiſmum roboramur.

Cauillationes aduerſariorum de huius Sacramenti neceſſitate proteruntur.

Cæterū etſi hoc ſacramentū magni in primis ſit vſus, atq. diuini planè fructus, nō tamē, vti cauillātur Confeſſ. Patroni, ita eſt neceſſarium, quaſi citra illud ſalus cuiquā ſalua cōſtare nequeat. Quòd enim ex Gratiano allegāt C. fideles. & C. omnibus. nō de ſalutis perfectione agunt, aut Chriſtianæ religionis ſubſtātia: ſed de plena hominis Chriſtiani perfectione, quo ad Chriſtiani nominis appellationē, donorumq. cæleſtiū cōmunicationē. Quonā pacto enim Chriſtianus erit, qui S. Chriſma vnde Chriſtianus appellatur. teſte Clemēte, nondum acceperit? quod D. Clemens diſertè (vt ſuis fatentur verbis Confeſſioniſtarum defenſores) expreſſit. quia aliter perfectus, ait, chriſtianus eſſe nequaquā poteſt. Quę verba ab aduerſariis recitata, ſi diligētius, quā cōtētioſiùs expēdiſſent iſti nugatores, nō iſtā mouerēt de vocabulis tragędiā. Nō ergo ſine cōfirmationis Sacramento nullus eſſe queat Chriſtianus: ſed non erit perfectus Chriſtianus, quia vnde nomē merebitur nondū habet: neq. eā donorū Sp. S. impetrauerit perfectionē, quā animę poſtulat Chriſtianæ ratio, quēadmodū D. Cornel. de Nouato diſertis verbis atteſtatur epiſt. ad Fab. Antioch quæ apud Euſ. legitur li. 6. c. 45. quē ideo ſancti illi Martyres iudicabūt nō eſſe Spiritū S. cōſecutum, ꝙ nō fuiſſet illa adeptus, quę ex Eccleſię

Cōfirmationis Sacramentum quonam ſenſu vero dicatur neceſſāriū, non tamē omnibus ſimpliciter.

Canone

Canone fuerunt post baptismum adhibenda, id est, consignationem per manus Episcopi.

Confirmatio nõ est necessaria mox à baptismo trãsituris ad patriam, sed pugnaturis in posterum.

Quod igitur quidam videntur hanc Confirmationem docere necessariam, non id simpliciter est accipiendum, sed ex hypothesi: nimirum si perfecti esse velint Christiani, & aduersus hostes conuenienter muniti. Ita Eusebius Emissenus homil. de Pentecost. explanat. Ac si continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia: victuris autẽ necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace seculi recipiendos: Cõfirmatio armat & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos.

Calumnia aduersariorum refellitur.

Porrò quòd adiiciunt minimè candidi Confessionis Augustanæ patroni. Canones Pontificios in tantum extollere Confirmationis dignitatem, vt iam (inquiũt folio 151.) ipsi baptismo præferant, & maiore veneratione censeant colendã, manifesta non minus, quàm impudentissima est calumnia; imò disertè docent Catholici baptisma omnibus ad vnum esse necessarium: Confirmationem autem perfectionis loco (vti ait Ambrosius) suppleri. neque ad salutem esse simpliciter necessariam: sed tantùm ad pugnam. quod ait Euseb. Emissenus.

Ex glossematib. & Rubricis sophistę corradũt Syllogismos Chrysippæos.

Quod autem ad suam istam improbam calumniam stuendam allegant Confessionistæ Cap. De his: vbi habet, inquiunt, Rubrica: Manus impositionis Sacramentum digniùs est Sacramento baptismi, magis ipsorum prodit oscitantiam; imò manifestam arguit malitiam. Cùm enim rogatus Melchiades ab Episcopis Hispanis, vtrum altero sit digniùs Sacramentum? respondet vtrumque magnum esse: sed baptisma esse necessitatis, à quo nisi morte pręueniente separari Confirmatio non possit. Licet autem dicat Melchiades: Maiori veneratione tenendum Sacramentum Confirmationis: nõ ideo dicit vti lepidi isti homines cauillantur. Rubricæ notula falsi, aut Glossatoris errore delusi, quod digniùs est in seipso: sed tantum ex administri persona, & differentia Episcopi.

Errore glossatoris delusi Confessionistarum defensores Catholicis nugatorias struunt cauillatiũculas.

Elogia S. Confirmationis nõ esse ridicula, nedum falsa.

Neque verò ridicula, nedum falsa sunt Elogia, quæ Catholici huic Sacramento, (quod aduersarij blasphemo ore pseudo Sacramentum blaterant) tribuimus: Baptismo nos regenerari & ablui, Confirmatione verò instrui siue confirmari ad pugnam,

augmentum præstari ad gratiam. Hoc enim D. Lucas Actor. 8. disertè attestatur. Nondum enim Samaritanos, etsi dudum essent baptizati à S. Philippo Diacono, accepisse Spiritum sanctum. non quidem simpliciter: sed ad illud gratiæ diuinæ donatiuũ & augmẽtum, quod Christus Do. Apostolos post baptismum voluit expectare sedentes Hierosolymis, donec virtute induerentur ex alto; quemadmodum verbis luculẽtissimis docet Euseb. Emissenus. Ipse Dominus, ait, euidenter exponit, quid Apostolis Christi post resurrectionem aduentus Spiritu sancti profuerit. Quæ dico vobis, inquit, non potestis portare modò. Cùm autẽ venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos docebit omnem veritatẽ. Vides, inquit, homil. de Pentecoste, quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele dilatatur. Itaq. ante descensionem Sp. sancti vsque ad negationem, Apostoli deterrentur: post visitationem verò eius, vsque ad martyrium, contemptu salutis armantur. Secundum hęc per Christum redimimur: per Spiritum verò sanctum dono sapientiæ spiritalis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, consummamur.

Quidnã profuerit Spiritus sanctus Apostolis post baptismum.

Apostoli negãt quidem Christum: sed non dum cõfirmati

An confirmatio Pseudosacramenti blasphemiam ab impiis iustam mereatur.

Non ergo est Pseudosacramentũ quòd ore impio isti blasphemant: sed veri nominis Sacramentum teste August. sacrosanctum sicut baptismus, per quod, inquit Ambrosius, Sp. sanctus baptizatis infunditur: & inuisibilis vnctio Sp. sancti, ait August. donatur.

Lutheri discipuli suo magistro magis impij.

Vnde & Lutherus ipse sua conscientia victus non fuit ausus à Sacramentali efficacia S. Confirmationem omnino reijcere: sed Sacramentalem appellat ceremoniam de Captiuit. Babylonica.

Proinde si manifestis scripturis Christi ore Sp. sanctum toti Apostolorum cœtui Lucæ vlt. Act. 1. post baptismũ promittentibus: & liquidis PP. Catholicorum testimoniis, perpetuo consensu dari baptizatis copiosiorem per Sacrum Chrisma gratiã contestantibus fidem habere velint Confessionistæ, vident iam perspicuè sibi iustam non esse causam, cur à Catholicis suorum Patrum; imò Apostolorum vestigia sectantibus dissentiant, aut discedant diutius.

ANTITHESIS DECIMAOCTAVA.

DE POENITENTIA.

CAP. XXXV. Antithesis 18. de pœnitentiæ Sacramento.

Saluberrimũ pœnitẽtię remediũ alterã salutis tabulam merito dictã de numero veri nominis Sacramentorum exclusuri: Degeneres isti ConfessionistarũPatroni docẽt ad eam requiri dolorẽ peccatoris de offensa Dei: & fidẽ in filiũ Dei. Quę duo capita multis scripturarũ locis moliũtur frustrà cõfirmare, cùm sint extra controuersiã posita. Nõ enim negamus in pœnitẽtia opus esse & fide, & peccatoris dolore de offensa Dei, quę in primis docemus in conuersione lapsorũ necessaria. Verũ noui isti Cõfessionistarum delecti defensores cõtrouersiæ statũ callidè ad fraudẽ simplicium dissimulantes, cũ esset eis probandũ pœnitentiã nõ esse Sacramentũ, in re minimè necessaria suã futilem effutiũt orationẽ. Cũ enim scripti huius ordo postularet, vt Dei verbo demõstrarent solidũ doctrinæ suæ nouæ dissidiũ à Catholicis, qui tertiũ faciũt Sacramentũ Pœnitentiã, de hoc ne Gry quidẽ: sed principali, vti diximus, statu dissimulato, de sola nugãtur Cõfessione, quã dicunt auricularẽ, negantes eam esse salutaris pœnitentiæ partẽ: quã posteà suo vindicabimus loco, vbi salutarẽ hanc pœnitentiã veri nominis Sacramẽtum demonstrauerimus. Qua in re demonstrãda nõ erit prolixiori opus oratione, si lector candidus illud æquo expenderit animo istos nouos August. Confessionis defensores, imò euersores, hîc ad Caluinistas clanculũ moliri transfugiũ. Cũ enim, vti dudũ demõstrauimus, nõ Lutherus modò, Philippus, Brẽtius, aliiq; : sed ipsa etiã Cõfessio August. Carolo V. Augustę exhibita, eiusque Apologia disertè pœnitentiã profiteãtur noui testamẽti sacramẽtũ, generosi isti Confessionistarũ defensores suę professionis obliti, cõtra suã Confessionẽ August. ad quam propugnãdam sese iactitãt delectos Theologos & cõsiliarios politicos, duo tantũ professi Sacramẽta, baptismũ & Cœnã Domini, pœnitentiã Sacramentorũ numero excludunt: quo sic Caluinistis gratificarentur, maioréq́. pacis cum eis conciliandæ spem facerẽt.

Callidè aduersarij statum cõtrouersiæ dissimulant.

Noui Confessionistarũ Patroni verã Cõfessionẽ Augustanam oppugnant, & ad Caluinistas parant transfugium.

Bellum Confessionistarum intestinũ de pœnitentia an sit Sacramentum.

Verùm qua id faciãt tum sua perfidia, tũ suorũ dominorum, quorũ causam suscepêre agendam ignominia, nunc pio lectori relinquimus æstimandam. Istorum delectorum Confessionis Augustanæ Patronorum perfidiam ex eo satis superque

licet perſpicere, quòd non ſolùm bis ſunt hoc in loco periuri: ſed Confeſſioné etiam Auguſtaná vnà cùm Apologia, adeoq́. Luthero ipſo, aliiſque ſuis magiſtris damnare non verentur.

Anonymi Confeſſioniſtarum Patroni bis conuincuntur periuri.

Geminum auté periurium, cuius ſeſe reos hîc faciunt, inde liqueat, quòd iurandum ipſis olim fuit, cũ aut profeſſores, aut doctores, aut paſtores agerent, ſeſe conſenſum doctrinæ in Cóſeſſione Auguſtana & Apologia mox ſecuta expoſitæ cópleɑi. Deinde nunquá ſeſe dogmata cum hac Confeſſione pugnantia propugnaturos aut promoturos. iſta duo enim iuramenti ſolemnis membra, dudum Antitheſi. 15. ex Heshuſio commemorauimus, quæ ad conuincendá periuri Petri Boquini ad Caluiniſtas tráſfugæ perfidiam recitauit. Verùm nihil ad nos an noui iſti Confeſſioniſtarum defenſores bis an millies ſint perfidi, atq. ſui iuramenti ſemel an bis an millies rei? Sed ſuo eos iudici Chriſto domino relinquentes obſecramus ſupplices, vt cę cis ſuis erroribus liberatos, ſathanęq. pręſtigiis extricatos, atq. Catholicæ Eccleſiæ reſtitutos non det pręcipites in abyſſi puteum candentibus inextinguibilium ignium globis horribiliſſimum, vbi pars erit adulterorum, mendacium, & periurorum: ſed benignus, piuſque ignoſcat, propitiuſq. indulgeat, quòd & ſcientes & neſcientes peccant, Amen. Illud magis hîc pio lectori conſiderandum, quanta principum Imperij & ordinum Confeſſionis Auguſtanæ profeſſorum cùm ignominia præclaram ac verè, ſi qua alia, euangelicam huius Antitheſeos de pœnitentia doctrinam violarint, imò perfidè adulterarint.

Auctoris votũ pro errantibus Confeſſioniſtarum ſeductoribus, cæciſque doctoribus cæcorũ ducibus.

Cùm enim Confeſſione illa Auguſtana Carolo V. exhibita fuerint profeſſi pœnitentiam eſſe inter noui teſtamenti Sacramenta accenſendam & connumerandam, vti liquet articulis XI. XII. & XIII. nunc quaſi in re teſtamentaria, illius Euangelicæ doctrinæ palinodiam canere conuincantur, ſi modò iſti noui Confeſſioniſtarum defenſores merentur fidem. Sed vti verbum Dei eſt inuariabile: ita quod ſemel ex Dei verbo nobiſcũ concorditer ſunt profeſſi ſua in Confeſſione Auguſtana etiamnũ pleroſque obtinere ſperandum eſt, niſi quouis Protheo incóſtantiores quis affirmare auſit. Ná in præfatione ſuæ " Confeſſionis Auguſtanæ Carolo V. exhibitæ aiunt ſeſe offerre " doctriná ex ſcripturis, inquiunt, ſanctis, & puro verbo Dei ſuis "

Palinodiam canunt Confeſſioniſtæ contra ſuam doctriná, quá pridé obtulerunt Carolo V. tanquàm ex puro Dei verbo hauſtam.

in Ecclesiis hactenus traditã. Si ergo tũc ex puro Dei verbo fuit Pœnitentia inter Sacramenta connumerata ex quonam Dei verbo isti noui, obsecro, Cõfessionis Augustanę defensores Pœnitentiam à Sacramentorum numero excludant? In eandem sententiam & Apologia eiusdem Confessionis, quæ hanc doctrinam de pœnitẽtia, quòd verè est Sacramentum noui testamenti disertè professa exclamat, manifestã veritatem, inquit prętatio Apologiæ, non possumus abiicere! O præclaros igitur istos nouos Confessionis August. nõ defensores, sed euersores! qui contra purũ Dei verbũ, contra manifestã veritatẽ noua Caluinistarum ordini protestantium inuehuut somnia, aut venenata (vt verius dicamus) humanæ doctrinæ obtrudunt figmenta. quę vt fraudulentius tegant, ne gry quidem de hac potissima huius Antitheseôs controuersia, an pœnitentia sit in Sacramentorum numero accensenda? Proinde etsi iá dudũ Antithesi 15. sit abundè ex liquidissima Confessionis & Apologiæ doctrina ostẽsum, pœnitentiã esse in Sacramentorum noui testamenti numero prorsus retinendã, quòd mandatũ Dei habet & promissionem gratiæ, quæ propria esse noui testamenti, (inquit Apologia fol. 79.) tamen ne concessis tantum niti videatur pia Catholicę Ecclesię doctrina, paucis erit ex Dei verbo, luculẽtisq. orthodoxorũ PP. testimoniis confirmanda: deinde perturbatũ, artificioq. destitutũ istius Cofessionistarũ scripti filũ persequentes, ad illud, quod de Confessione, quã auricularẽ huius seculi inuidia vocat, caput erit veniendũ. hanc enim generosi isti Confessionistarũ patroni potissimum putarunt sibi oppugnandã. Tunc ad errores à Catholicis in doctrinam pœnitẽtiæ inuectos erit descendendũ: quibus, isti aiunt, gratissimam veritatis lucem iacuisse obrutam.

Manifestã veritatem olim Cõfessione Augustana explicatam noui Cõfessionistarũ Patroni deserunt, mendaciiq. arguunt.

Qua methodo explicanda hæc Antithesis.

Pœnitentiã post lapsum à baptismi gratia esse veri nominis Sacramentum.

Pœnitentiã igitur veri nominis esse Sacramentum, inde liquidò cõuincatur, quòd lapsis à baptismi gratia istud salutare à Spiritu Christi monstratur, imò disertè præscribitur remediũ; quò in pristinum restituatur salutis æternæ gradum, atq. cùm Deo optimo in gratiam dudum amissam de integro redeant, eique per Christum reconcilientur.

1. Ioan. 2.

Si quis enim peccauerit, ait Ioan. Apostolus baptizatis suis filiis, aduocatũ habemus apud Deũ, Iesum. ipse enim est propi-

tiatio

tiatio pro delictis nostris. Quòd non solú ante baptismũ. verũ etiã post amissam baptismi gratiam locum habet: quia D. Ioan. manifestius de baptizatis dudũ, atq. in nouã Dei offensam relapsis loquitur, quàm vt sit verbosius demonstrandũ. Sic D. Paulus suum illũ discipulum Corinthiũ ad pœnitentiã adegit. Sic D. Petrus Simonẽ Magũ auaritia & simonia à baptismi gratia in diaboli nassam relapsum ad pœnitentiã reuocauit. pœnitentiam, inquit, age, & ora Deũ, si fortè remittat tibi peccata tua. Hinc rectè admodũ nõ minus quàm scitè D. Hieron. pœnitentiam dixit naufragis esse alterã salutis tabulã, quæ fracta quasi perceptę dudum salutis carina, in tutũ securumq. iteratò recuperãdę gratię portum naufragos vectores reuehat. Præclarè igitur D. Ambro. ad virginẽ corruptã cap. 8. non aliud esse docet remediũ post baptismum constitutum, quàm pœnitentiæ solatium. Pœnitudo, inquit, necessaria est; sicut vulneratis necessaria sunt medicamenta. Et mox. Pœnitentia non solũ verbis agenda est: sed & actu. & iterũ sub finem cap. 8. Sed tu quæ iam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera, fortiter inhęre, tanquàm naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari!

1. Corinth. 5.

Act. 8.

Scitè admodũ pœnitentiam dictam esse alteram salutis tabulam. Hieronymus.

Ambros.

Ita & August. epistola. 23. ad Bonifacium, peccata post baptismum docet non regeneratione auferri: sed alia curatione sanari: quod planius concione. 2. in Psal. 101. edisserit ex Lazari resurrectione. Cùm audio hominẽ pœnitere peccatorum suorum, iam reuixit. Cùm audis hominẽ confitendo proferre conscientiam, iam de sepulchro eductus est. Rursus tractat. 22. in Ioan. Qui credit, surrexit: qui confitetur, processit: quia antequam confiteretur, occultus erat: cùm confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Tunc dicitur quod ad funus lazari dicebatur ministris, Soluite & sinite abire: quomodo dictum est Apostolis: Quæ solueritis super terram, soluta sunt in cælo. Similiter & aurea illa homil. quæ de pœnitentia est inscripta, exposuit docens: Pœnitenti esse ordinem Ecclesiæ in agenda sua pœnitentia obseruandum, videlicet, vt suo se ipse iudicio damnans à præpositis sacrorum suę satisfactionis modum accipiet: postquàm seria, legitimaque peccatorum Confessione se ipse accusarit, reumque professus fuerit. Tertullianus lapsos à baptismi

August. Confessione educitur occultus peccator de mortis sepulchro.

Tertullianus.

In pœnitentia sunt secunda salutis subsidia.

tissimi gratia hortatus ad resipiscentiam, cùm scias aduersus gehennam (inquit, lib. de Pœnitent.) post prima illa intinctionis Dominicæ momenta, esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi, quò scias mederi tibi? Et post quædam. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculere, rursus de sua Chelidonia. Peccator restituendo sibi institutá à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quę Babylonum Regem in regna restituit?

Sacramentum Pœnit. restituẽdo peccatori à Domino institutum. Tertull.

Hunc in modum vetus illa Catholica Dei Ecclesia pœnitentiam in Sacramẽtorum albo semper habuit connumeratá: quam, vti ait Tertull. restituendo peccatori Dominus instituit. Nam suis apud Ioan. cap. 20. Dixit, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vbi Apostolis diuinam largitur omnia ligandi soluẽdiúe peccata potestatem, cùm auté, tum post baptismum: quemadmodum Panopliæ lib. 4. cap. 61. ex D. Augustino alijsque Orthodoxis PP. est prolixius demonstratum.

CAP. XXXVI. De Sacramenti pœnitentię partibus Confessione & satisfactione.

QVARE fusiore labore supersedẽtes, quia nobis hîc & Confessio Augustana & Apologia suffragantur, nunc ad pœnitentiæ partes esset veniẽdum, quas loco iam iam indicato diffusè satis tres esse liquidis PP. veterum testimonijs, ac manifestissimis verbi Dei sententiis ostendimus. vbi & illud humanæ doctrinæ figmentum de istis duabus pœnitentiæ Euangelicæ partibus dolore peccati, & fide in filium Dei planissimè est ex Dei verbo, & PP. Orthodoxia refutatum: ideoque ad Confessionem accedendum, quam de Sacramentorum albo volunt deletam. Ita enim noui Confessionistarum delecti defensores post aliquot Scripturarum loca colligunt. Hinc manifestissimum fit (inquientes fol. 153.) Confessionem auricularem quæ fit Sacerdoti, non esse partẽ salutaris Pœnitentiæ. O argutos Sophos! duo sunt summa in scriptura doctrinę genera, alterũ lex, alterum euangelium. per legem agnitio peccati, per euangelium fides. Duę sunt ergo pœnitentiæ partes, agnitio peccati, & fides. Non ergo Confessio pars est. Argutum sanè, atque Chrysippeo planè dignum acumine Epichyrema, quod vel sudantes aliquot exerceat Philosophos.

Cur hic solum de sacramentali Confessione disputatum fusius.

Siquidem iſta duo fides, & agnitio peccati ad pœnitentiam diſponunt, non efficiunt; præparant, non abſoluunt pœnitentiam: Alia inſuper oportet adhibere ægrotis mentibus pharmaca. Neque enim eiſdem ſanandi ſunt medicamentis poſt baptiſmum lapſi: quibus dudum ante baptiſmi gratiam, quod & Paulus ſuo in Corinthio, & Petrus ſuo in Simone Mago luce meridiana clarius demonſtrarunt.

Loca igitur ſcripturarum quæ iſti Confeſſioniſtarum delecti Patroni adferunt, non magis Confeſſionem Sacramenti partem negant, quàm lachrymas, aut preces: quas tamen & Paulus à Corinthio, & Petrus à Simone mago ſeueriter admodum exigere non dubitarunt.

Confeſſionē ſacramentalē eſſe lapſis omnibus ad ſalutem neceſſariam.

Supereſt igitur paucis demonſtrare Confeſſionem, quam ſacerdoti factam maligna huius infeliciſſ. ſeculi inuidia vocitat auricularem, verè eſſe Sacramenti partem, diuinoque iure lapſis à baptiſmi gratia neceſſariam, vt abſolutione illa verè Euangelica fruatur, peccatorumque ſuorum omnium veniam conſequatur.

Quia peccata verè animo aliud non ſunt, quàm corpori morbus, aut potius ipſa mors, qui in ea poſt baptiſmum fuerit relapſus, niſi ſalutari à Chriſto Domino vtatur præſcripto remedio, ſalutem recuperare nequeat. Iam porrò extra controuerſiam eſt non minus in Dei legem nos mortaliter peccare, deumque mortaliter, id eſt, cum æternæ mortis culpa & reatu offendere occultis, aut clandeſtinis criminibus, quàm publicis, aut homini notis flagitijs. Vtraque autem iſta lethalia animi vulnera ſanandi facultatem Chriſtus Dominus ſingularis animorum medicus ſuis donauit Apoſtolis. Quorum inquiens, remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt: quod antea promiſerat, nunc præſtat. Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata in cælo; quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta & in cælis.

Origo Confeſſionis auricularis demonſtratur Euangelica, & à Chriſto Domino inſtituta, & ab Apoſtolis etiam exacta.

Diuino ergo iure cùm Apoſtoli habeant poteſtatem peccata aut ſoluendi aut ligandi, ea vti non poſſunt niſi inſpecto animi vulnere iudicent vtrum ille ſaucius ligandus ſit, an ſoluen-

dus: an ei peccata retinenda, an remittenda, cùm fieri poſſit vt non ex animo peccatorum pœniteat; neq. peccatum ſuum agnoſcat; neque in poſterum abſtinere velit.

Iſtud autem iudicium neque apoſtoli, neque eorum ſucceſſores Epiſcopi & presbyteri eodem Chriſti Domini priuilegio ornati exercere antea non valent, quàm latẽs illud animi vulnus inſpexerint, ac medica veluti manu putridos pertractarint ſinus: quod fieri nõ poteſt, niſi vltronea peccatoris agnitione; & pia quadam ſui animi proditione, veraque latentium crimi num ceu vulnerum Confeſſione, quam pius quiſq. videt illis Chriſti Domini verbis mãdatam atq. præceptam. Cùm enim dicat, quorum retinueritis peccata, manifeſtè oſtendit eſſe pec cata, quæ aliquando ſint retinenda; eſſe crimina, quæ non ſunt omnibus ſoluenda.

Porrò diuinum hoc mandatum, nullo pacto legitimè Apoſtoli exequi potuerunt, niſi qui hoc expetentes frui abſolutionis Euangelicę beneficio, antea diſertè Apoſtolis expoſuiſſent, quonam peccati genere Deum optimum offendiſſent: vt hac ratione ad recuperandam Dei optimi gratiam faciliorem & ſecuriorem, imò neceſſariam ingrederentur viam.

Hunc in modum teſtatur D. Lucas Epheſios, qui illo diaboli ſtratagemate, quo in Exorciſtas Scæuæ Iudęi archiſynagogi filios deſæuierat, territi ad Paulum acceſſerunt confitentes ſiue ἐξομολογοῦντες τὰς πράξεις, Confeſſionem facientes factorum ſuorum. Nam in hanc ſententiam Diuus Baſilius iſtam D. Lucæ Pericopen interpretatus docet Confeſſionem eſſe neceſſario faciendam, ijs qui diuinis myſteriis diſtribuendis ſunt præfecti. Rogatus enim an omnibus peccata ſint confitenda? reſpondet, quæſt. compendio explicat: 288. ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστωμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τά ἁμαρτήματα. neceſſarium eſt peccatorum exomologeſin ſiue Confeſſionem facere apud illos, quibus diuinorum myſteriorum diſpenſatio eſt credita. ad hunc enim modum leguntur, & olim feciſſe pœnitentes apud ſanctos. Ita & quæſt. diffuſè explicatis, quæſt. 26. δεῖ τῶν ὑποτεταγμένων ἕκαστον. &c. Oportet vnumquemque ſubdi-

Actor. 19. Apoſtolorum ætate confeſſio pœnitentium viſitata teſte D. Luca & Baſilio magno.

Occulta cordis neceſſarium eſt confiteri preſbyteris Baſilius.

subditorum nullum animæ motum reseruare occultum: sed occulta cordis denudare præpositis.

Similiter & Origenes de cõfessione Sacerdoti facienda locutus, cuiusuis generis peccata (inquit homil. 8. in Leuit.) pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ gerimus. Si quid in occulto, in sermone, etiam inter cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.

Origenes secreta cogitationũ docet cõfitẽda.

D. Cyprianus suos in Idololatriam, non facto, sed cogitatu solo lapsos hortatur ad Pœnitentiam. Ne sibi quo minus agãt Pœnitentiam, blandiantur (inquit Serm. de lapsis) qui etsi nefandis sacrificijs manus non contaminauerunt: libellis conscientiam polluerint. Et mox infra: Deniq. quando & fide maiore, & timore meliore sunt: qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore cõstricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt; hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesin cõscientię faciunt, animi sui pondus exponũt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt.

Cypr. peccata sola animi proposito cõmissa, docet cõfessione purganda.

Exomolegesin cõscientiæ dolenter facere solent pij ætate Cypriani.

D. Pacianus Barcinonen. cõtra Nouatianos disputans suos hortatur hunc in modum: Vos primũ appello fratres (inquit sua Parænesi) qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis. Vos, inquam, post impudentiam tumidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri. Et infra: Quid facies tu, qui decipis sacerdotem, qui aut ignorantem fallis: aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis. Rogo vos fratres, desinite vulneratam tegere conscientiam.

D. Pacianus ad luculentam & extricatam conscientiæ Confessionem hortatur.

Eandem Cõfessionis salutaris necessitatem D. Hieronymus demonstraturus, eum qui occulto peccati veneno à serpente diabolo percutitur, docet sanari nõ posse, nisi fratri suo & magistro vulnus suum confiteatur. Si erubescat ægrotus (inquit Com. in cap. 10. Ecclesiastæ) vulnus suum medico confiteri: quod ignorat medicina, non curat.

D. Hieron. necessariam docet occulti peccati confessionem.

Quanquam tam luculentis veterum PP. testimoniis iam sit confirmatum Cõfessionem non solùm esse salutaris pœnitentiæ partem; sed etiam necessariam post lapsum à gratia

Baptiſmi: audent tamen noui iſti Confeſſioniſtarum Patroni impudenter admodum affirmare illam non eſſe Pœnitentiæ partem, id quod etiam (inquiunt folio 153.) antiquiſſimorum Patrum ſcriptis comprobatur. Quod vt probaſſe imperitis videantur, obiter annotant aliquot loca, nullo recitato alio verbo. Quare nos contrarium ex Chryſoſtomo, Ambroſio, & Auguſtino, quos iſtud mentiendi libidine docere fingunt, demonſtrabimus.

Impudēs defenſorū mendaciū Patres antiquiſſimi negare Cōfeſſionem eſſe neceſſariam.

Quod igitur caput ex D. Ambroſio recitant de Pœnit. Diſt. 1. C. Petrus, hoc, inquā, D. Ambr. caput vel ſolùm meridiana luce clariùs demonſtrat iſtos delectos Confeſſioniſtarum defenſores, in primis verò Conſiliarios Politicos, qui ex Iure Cano. talia capitulorū fragmēta Theologis ſuggeſſerunt (vt vero eſt ſimile) mala prorſus fide rem geſſiſſe. qui inficiari nō poſſunt, ſi modò vel primis labris Gratianū, vnde iſtud recitant, deguſtarint; illud D. Ambr. ca. nō ex Gratiani ſentētia, nedum ex verò: ſed ſolùm argumentandi ac eruendę veritatis gratia eſſe propoſitum. Nam in partem contrariam pro Confeſſionis neceſſitate plurima ex eodem Ambroſio, aliiſque Patrib. orthodoxis adfert teſtimonia, quæ id liquidò conuincāt. „ vti quòd cap. Nemo. dicit Ambr. Sacerdotē eſſe iudicē, & eū „ peccata ligare & ſoluere per Ius & poteſtatem, quā Dominus „ tribuit. Non poteſt quiſquā à peccato iuſtificari, niſi peccatum ante fuerit confeſſus. Rurſus Cap. ſeq. Ecce nunc tempus acceptabile, id eſt, in quo Confeſſio animā à morte liberat. Confeſſio aperit paradiſum. Confeſſio ſpē ſaluādi tribuit. Et mox, Cap. Poteſt. Ergo euidētiſſimè, inquit Ambr. Domini prædicatione mandatum eſt etiā grauiſſimi criminis reis, ſi ex toto corde & manifeſta cōfeſſione peccati pœnitentiam agunt, ſacramenti cæleſtis gratiam profundēdam. Ideoq. poſt aliorum Patrum teſtimonia cōtritionem ſolam ſine Confeſſione non ſufficere demonſtrantia, diſertè Gratianus locū illum D. Ambroſ. C. Petrus: à Confeſſioniſtarum Patronis improbè allegatum diſſoluit. Poſtquā enim Grat. dixiſſet, his auctoritatib. „ inquit, aſſeritur, neminē ſine pœnitētia & Cōfeſſione propriæ vocis à peccatis poſſe mundari. mox ſubtexuit illū D. Ambr. locum aliter interpretandum, quàm ab aduerſariis exponitur.

Ambroſ. detorquent aduerſarij contra Confeſſionem.

Grat. mala fide ac peiore conſcientia recitatus à Conſiliariis proteſtantium, cū Amb. locum poſteà diſſoluat ipſe.

Cōfeſſio animā à peccato liberat. Ambroſ.

Cōfeſſionē eſſe iuris Diuini, & à Chriſto inſtitutam atq. mandatam ait Ambroſius.

Negationem

Negationem nanque Petri secuta est satisfactio lachrymarũ: & trina Confessio Dominicæ dilectionis, qua Petrus deleuit peccatũ trinæ negationis. Liquet ergo cõtra mentẽ D. Ambr. illa apud Gratianum verba esse à versipellibus Cõfessionistarum defensoribus suo à Germano sensu detorta: imò per calũniam contra piam peccatorum confessionem allegata, cũ Gratianus demonstrat aliis locis plurimis eundem Ambr. confessionem docere necessariam: imò Iure diuino ad peccatorũ remissionem à sacerdote Iudice impetrandam esse mandatam.

Gratian. ab aduersariis allegatus ipsos iugulat.

Illud autẽ Cap. Petrus, ne verbum quidẽ habet cõtra Confessionem, quæ nondũ erat necessaria, quia nondum instituta: sed negat Ambr. Petri satisfactionẽ se legere, non quæ est pœnitentiæ pars: Nam lachrymas eius ait se legere: sed quæ culpam excusaret, aut extenuaret. Adiecit enim Ambr. se ipse exponens, Sed quod defendi non potest, ablui potest. Nam superius dixerat Ambr. Petrum doluisse & fleuisse: quia errauit vt homo. Agnouit ergo Petrus peccatum, non excusauit, non defendit, non extenuauit. Porrò quod ex D. Augustini Cõfessionibus allegant lib. 10. cap. 3. nihil habet momenti contra Confessionem Sacramentalem, cùm non de hac loquatur, sed ea, quam illis 13. libris, id est, de statu vitæ suæ, potiss. ante gratiam Christi transactæ, sicuti hoc ipso Cap. 3. demõstrat. Nam Confessiones præteritorum malorum, quæ remisisti & texisti vt beares me in te, mutans animam meam fide & Sacramẽto tuo. Porrò D. Augustinum Confessionem peccatorũ habuisse pro Sacramenti à Christo instituti parte, ex iis pio lectori confidimus liquere, quæ dudum ex Epist. 23. & homil. 50. commemorauimus. Sed maioris est improbitatis, quòd ex D. Ioanne Chrysost. annotant loca, quibus (vti aiunt) docet Confessionẽ non esse partem pœnitentiæ salutaris: cùm ad ea ipsa satis, superque Gratianus (vnde hausta videntur) respondeat; non ita esse intelligenda, vt sine Confessione oris, peccata dicantur dimitti, & sine publica satisfactione. Secreta namque peccata (inquit Chrysostomus) secreta confessione, & occulta satisfactione purgantur. nec est necesse, vt quæ semel Sacerdoti confessi fuerimus, denuò confiteamur. Quod ex Homiliis eiusdem Chrysostomi in Epist. ad Hebræos ab

Responsio ad Cap. Petrus.

Satisfactio Petri siue defensio & excusatio negati Christi non legitur; sed satisfactio pœnitentialis pro negationis reatu, quia errauit vt homo; sed peccatum suũ dolẽs defleuit. Ambrosius.

Ad locũ D. August. respõsio.

Fide & Sacramento anima mutatur.

Ad D. Chrysost. fragmẽta hinc inde euulsa & euiscerata responsum.

Grat. ab aduersariis ad calumniandũ expilatus, quos argumentis instruxerat, nunc iugulat: quia ex Chrys. etiã statuit Confess. Sacramentalem esse necessariã.

aduerſariis dudum annotatis Gratianus pergit demonſtrare Verùm nequid ſuperſit ſcrupuli D. Chryſoſt. verè ſenſiſſe Cõfeſſionem eſſe non ſolùm ſalutaris pœnitentiæ partem, ſed etiã iure diuino inſtitutam. age nunc pauca eius loca delibemus.

D. Chryſ. confeſſioné docuiſſe ad ſalutem neceſſariã demõſtratur.

Cùm ſuos auditores exemplo Lamech occulta ſua facinora ſuis vxoribus prodentis hortaretur, vt ſe ipſi lancinante ſua cõſcientia, quaſi carnificina liberarent, remedium oſtenſurus, ad Confeſſioné, ceu certiſſimam animarum medicinam, deducit. Iam qui hæc fecit facinora (inquit homil. 20. in Geneſ.) ſi voluerit, vt decet, vti conſcientiæ adiumento, & ad Cõfeſſionem criminum feſtinare, & medico oſtendere hulcus, qui curet & non exprobret; atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit. Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt delictorum. Hinc homil. 29. & 30. in Geneſ. faciendam diligentem, inquit, & puram peccatorum Cõfeſſionem. Item per tempus Quadrageſimæ poſſumus de his, quæ ad noſtram ſalutẽ pertinent loqui, & peccata confiteri, & vulnera medico oſtẽdere, & ſanitatem conſequi. Porrò de Sacerdotali cõfeſſione Chryſoſtomum loqui, etſi illud ſatis conuincat, quod dudum dixit eſſe hulcus, & vulnera medico oſtendenda, qui curet, & ab eo remedia accipienda; tamen locus vnus addendus eſt ex lib. de Sacerdotio, qui piis omnibus luce clariùs oſtendat quantopere D. Chryſoſtomus Confeſſioné lapſis iudicarit, idq. iure diuino, neceſſariam. Vbi enim poteſtatem ſacerdotibus à Chriſto datam oſtendiſſet lib. 3. de Sacerd. cap. 5. maiorem eſſe, quàm quæ archangelis, aut huius ſeculi principibus data eſt, docet poteſtatem ligandi animas merè cæleſtem eſſe, & quæ animas attingat. Quorum remiſeritis, inquit, peccata, remiſſa ſunt. Quæ autem maior exiſtit poteſtas? omne iudicium Pater dedit Filio. Video autẽ hanc vniuerſam eis (ſacerdotibus) ab ipſo (filio) in manus traditam. Sic & lib. 2. cap. 2. & 7. Sed hæc fuſiùs in Panoplia ſumus perſecuti. Vnde qui deſideret, facilè petat.

Confeſſionem eſſe iure diuino lapſis neceſſariam docet Chryſoſt.

Demonſtrato igitur Cõfeſſionem peccatorum poſt baptiſma commiſſorum; non ſolùm eſſe ſalutaris Pœnitentię partẽ, ſed iure diuino etiam neceſſariam; quemadmodũ ex liquido

Dei

Dei verbo Ioan.20. Actorum 17. & perpetuo orthodoxorum PP. consensu planissimè conuicimus: nunc ad errores, quos Catholicis inpingunt hac in re, vti aiunt, hallucinantibus, est veniendum.

Itaque Antithesin Catholicorum oppositurí Confessionistæ nugãtur Catholicos mirum in modum, in hoc Christianæ doctrinæ articulo cæcutiisse: quorum errores quatuor faciũt, quibus quasi cornicum oculos, quod dicitur, configentes aiũt, gratissimã veritatis lucem ceu densissimis errorum & superstitionum tenebris obrutam iacuisse.

Quatuor errores Catholicorum annotans aduersarij, qui refutantur.

I Quorum aliquot præ cæteris (vti loquũtur fol. 153.) crassissimi sunt. Quòd oporteat cõtritionẽ esse sufficientẽ. Atqui dolorem pęnitentiũ, siue contritionẽ nõ quãlibet esse impetrandæ peccatorũ veniæ idoneã, ne ipsi quidem affirmare ausint. Quis enim tanto adulationis sit captus studio, vt adultero, raptori, grassatori, vsurario polliceatur delictorum veniam, nisi veteris eum vitæ pœniteat? nisi abstineat? nisi emendet? Seriã ergo & acrem, non fucatam, non simulatam, non denique Euangelio indignam, vti Ioãnes Phariseos monebat: sed pro delicti qualitate atque grauitate Deus postulat contritionẽ, siue pristinæ vitæ dolorem; quod Catholici sufficiente sua contritione efflagitãt. Quantam autem eam esse oporteat, audi, obsecro, ecquid D. Ambrosius suam virginem Susannam à virginitatis voto lapsam admoneat. Sed quanta (inquit lapsæ cap. 8.) putas & qualis necessaria Pœnitentia? quæ aut æquet crimina, vel certè excedat. Vide ergo si simplex hoc peccatũ adulterij est, an duplex, & secundum conscientiæ molem exhibenda est Pœnitentiæ magnitudo.

Non quamlibet contritionem aut peccati dolorem sufficere ad remissionẽ.

Audiãt apostatæ quanta ipsis Ambrosio arbitro agenda sit adulterij sui pœnitentia.

II Alterum enumeraturi errorem aiunt Catholicos docere, Contritionem mereri remissionẽ peccatorum. Hîc aliud non est respondendum, quàm quod Pelagianis D. Augustinus.

Mentiuntur, insidiantur, imò calumniantur. Vnum, quęso, proferte Doctorem vel Scriptorem, viceritis. Docemus contritione hominem ad culpæ remissionem præparari, ac veluti necessaria parasceue disponi ad eius veniam. Sed contritionem mereri remissionem culpæ, vetus est Lutheri calumnia,

Calumnia aduersariorum in Catholicos depulsa.

qua totum in Catholicos temere haud minus quàm sacrilegè concitauit orbem.

Vti olim Pelagianiſmus ſuis mẽdaciis Chriſti gratiã orbi magis cõmendauit: Ita nunc Lutheraniſmus doctrinã Chriſti Euangelicã magis ſuis calũniis & mẽdaciis illuſtrauit.

Verùm vti olim Pelagianiſmus ſimili mendacio, ſimiliq́ue calumnia, orbem quidẽ concitauit, Chriſtianos Doctores exagitauit, Eccleſiam Chriſti Catholicã vexauit, dilaniauit, perturbauit; ſed tandem Orthodoxam Dei doctrinam volẽs nolens illuſtrauit: ita & nunc Lutheraniſmus, magna certè labe, ruinaq́ue, ſed palearum & reproborum, exagitauit atq. vexauit ſuis calumniis, fictitiisq́ue mendaciis Catholicam Dei Eccleſiam, ſed mirum in modum Doctrinam Euangelicam minus illuſtrem atque vetuſtate quaſi rubigine apud pleroſq́ue (prò pudor & dolor) ſqualentem, reddidit illuſtriorem. Quod non ſua quidem effecit induſtria, aut noua & accuratiore doctrina, quæ abominandas inuexit priſcorum Hæreſiarcharum peſtes, deteſtandaq́ue anathemata: ſed alios excitando, qui ex veterum Patrum ſcriptis veterem excoluerunt, adeoq́ue priſtino ſplendori reſtituerunt doctrinam Chriſtianam, quẽ fructum omnibus ſemper temporibus & Eccleſiæ tempeſtatibus ex venenato hæreſeωn contagio prouenire ſolitum D. Auguſt. prudentiſſimè variis in locis obſeruauit.

Lib. de Religione.

III Tertium errorem à Catholicis hìc inuectum aiunt, quòd docemus neceſſariã eſſe omnium delictorum enumerationẽ, quæ fiat in aurem Sacerdoti. Ad hoc probandũ fruſtrà varios allegant delecti Cõfeſſioniſtarum patroni Canones, & Catholicos ſcriptores, qui iſtud aſſerunt. Hìc ſanè ipſis licuiſſet eſſe otioſis, ſi bene feriatis eſſe placuiſſet. Quis enim ſaluberrimã hanc Confeſſionis annuæ doctrinam apud Catholicos neſcit non ſolùm eſſe omnium opinione atque vet. Patrum teſtimoniis neceſſariam, ſed etiã omniũ piorum vſu obſeruatiſſimam? Itaque ſi bona fide rem tanti momenti agerent Religioſi iſti Confeſſioniſtarum delecti, non auctores debuiſſent commemorare, qui hoc ſeculo contra nouam Lutheri doctrinã docẽt Confeſſionẽ neceſſariã: ſed veterum PP. teſtimonia ab illis allegata recitare, atq. eiſdẽ aut doctè reſpondere, aut luculenter demõſtrare minus rectè allegata, nec verè ex illorũ PP. ſententia eſſe deprompta. Iam cùm videant in noſtra Panoplia lib. 4. ca. 20. liquidò eſſe verbi Dei ſentẽtiis, & perpetuo PP. orthodoxorum

Nodũ in ſcirpo quærunt aduerſarij multis verbis probantes, quod non eſt controuerſum.

Mala fide rem gerunt Anonymi proteſtantiũ patroni, qui ad Patrũ teſtimonia ipſis ex diametro cõtraria conniuẽt, callideq́ diſſimulãt, ſuo ſilẽtio piis demonſtrantes ſe ab illorũ doctrina diſceſſiſſe, nouamq́ue

doxorum consensu demonstratam Confessionẽ peccatorum post baptisma designatorum ad verã ipsorũ remissionẽ impetrandam esse necessariã, quidnã aliud hîc agunt anonymi Cõfess. Patroni, pios lectores ad illũ Panopliȩ, Ioachimi Perionij, Pighij, Alphonsi, aliorumq́. locũ remittẽtes, quàm vt ipsos videant iacere victos, plagaq. lethali iugulatos? cùm testimonia Patrum veterũ illic reperiant tam luculenta, tam euidentia, tam cõsentanea, vt nihil supersit dubiis, quin omnis vet. Patrũ Senatus sic semper Catholicis cõcorditer & senserit & docuerit. Quin imò illic liqueat tam esse perpetuũ orthodoxorum Patrum hac de doctrina consensum, vt hîc Confessionistarum patronis euenisse quilibet æquus iudex censeat, quod de Pharisȩis Ioan. Chrysost. tradit. Malitiam ipsorum à Christo vinci potuisse, emendari non potuisse.

Germaniæ inuexisse perfidiæ pestem,

Quod vt totus quoque perspicuè videat mundus, iam dudum copiosiùs quȩdam loca commemorauimus, quibus totus veterum Patrum chorus nobis consentaneus contestatur Cõfessionem peccatorum esse lapsis ad salutem necessariam, imò Diuino iure esse mandatã; si D. Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Basilius, Origenes, Tertullianus & Cyprianus, aliique PP. fidem merentur.

Orthodoxi omnes Patres concorditer Confessionẽ peccatorũ esse lapsis necessariã Catholicis docẽt.

IIII Cæterum ad quartum errorem nunc veniat oratio, quem Confess. delecti Catholicos in hanc de Pœnitẽtia doctrinam " aiunt contra Dei verbũ inuexisse: quem enumerantes asserũt " fol. 154. nos docere, satisfieri pœnis, & remitti culpam corã " Deo ieiuniis, eleemosynis, peregrinationib. & similibus operi- " bus. Quẽ errorẽ vti appellãt viri isti religiosi, quomagis omnibus piis execrabilẽ reddãt, suis exaggerationibus immani illũ amplificãt mẽdacio. Quis enim omniũ ô impudẽtissimi homines! docet apud Catholicos culpã remitti nostris ieiuniis, aut eleemosynis, aut peregrinationibus? Cur tã impiæ doctrinæ nullũ ex nostris (si quẽ habetis) auctorẽ allegatis, vt quod Thrasonicè affirmatis, re ipsa piis lectoribus demõstretis, quod quia facere nõ potuistis silẽtio nefariũ istud flagitiũ maluistis obruere, contenti generatim talis blasphemiȩ notã Catholicis viris per calumniam inussisse. Verùm longè aliud est peccatorum pœnam remitti ieiuniis, aut eleemosynis: aliud culpam.

Immane Confessionis Augustanæ Patronorum mendaciũ flagris digniss.

Illud

„ Illud nos Patrum vestigiis, verbisq. disertis inhærentes doce-
„ mus: istud anathematizamus. Porrò satis fieri pœnis per ie-
„ iunia & eleemosynas iam dudum est demonstratum Antithesi
„ quarta, vbi contestatum fecimus disertè D. Cyprianum docere Serm. ad lapsos. Deum esse nostris satisfactionibus placandum: & D. Ambrosius, grande scelus, grandem necessariam habere (inquit cap. 8. ad Susannam virginem lapsam) satisfactionem. Sic & Augustinus per eleemosynas (inquit cap. 70. Enchir.) de peccatis præteritis esse propitiandum Deum. Imò hortatur peccatores, homil. 50. de Pœnitent. vt veniãt ad Ecclesiæ antistites, & accipiant suæ, inquit, satisfactionis modũ. Rursus. Satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per contriti cordis sacrificium: cooperantibus eleemosynis.

Epilogus huius Antitheseos.

Liquet igitur hac in Antithesi, quòd ad principalem quæstionem de Pœnitentia, an sit Sacramentum attinet, nullum esse Cõfessionistis cum Catholicis dissidium: si suam ipsi velint agnoscere, sequi, tenere Cõfessionem, quam iactitãt, Augustanam, Carolo V. anno 30. oblatam, eiusque Apologiam ex Lutheri, Philippi Melancht. Brentij, aliorumque veterum Confessionistarum sententia, illam verè esse Sacramẽtum expressè affirmantem. Verè tria sunt Sacramenta (inquit Apologia) Baptismus, Cœna Domini, & Pœnitentia. Cui catalogo noui isti Confessionis defensores delecti, ad Caluinistarum castra defecturientes pœnitentiam detrahunt, nihil veriti sua professione non solùm Lutherum suum, & Melanchthonem perfidè deserêre; Brentium & alios arroganter cõculcare: sed ipsam quoque Cõfessionem Augustanam euertere funditus; atque si uerum dicere volumus prorsus abolere. Qui enim illã Pandoram vno Doctrinę capite violat, falsamq. ex Dei verbo demonstrat (quod isti Babylonici gigantes se fecisse iactitant) totam violat, totam falsam demonstrat. Porrò quantum ad S. Confessionis, quæ Sacerdoti fit, necessitatem, & pœnitẽtiales operum piorum satisfactiones attinet, perspicuum etiã est, non posse Confessionis Augustanæ professores Imperij ordines huius noui scripti auctores à Catholicis dissentire diutius, si modò suis stare pergunt verbis, fol. 400. expressis, omnem controuersiam esse definiendam ex verbo Dei, & perpetuò orthodoxo-

Concordia in hac doctrina non difficilis cum veris Cõfessionistis.

orthodoxorum PP. consensu: quem nunc liquidò demonstrauimus docere non solùm Confessionem delictorum esse necessariam, idque iure diuino: sed per nostras etiam satisfactiones, eleemosynas, ieiunia, lachrymas Deum opt. placari.

ANTITHESIS DECIMA NONA.

His istum in modum ita sese habentibus, nullius negotij fuerit illas nebulas, merasque nugas parum canoras discutere, atque veritatis lumine illustratas suos in fumos conuertere; quas Confessionistarum delecti XIX. *Antithesi ita exordiuntur.*

CAP. XXXVII. De modis expiandi peccata.

Vna est constans, perpetua, & consentiens vox Prophetarũ & Apostolorum de expiandis peccatis humani generis, seu remedijs tam mortalium, quàm venialium peccatorum, nimirum quòd preciosus sanguis filij Dei Domini nostri Iesu Christi emundet ac purificet credẽtes ab omnibus peccatis. I. *Ioan.* I. I. *ad Cor.* 6

RESPONSIO LINDANI.

OMNIVM quidem peccatorum emundationem, expiationem, adeoque salutem omnem vni preciosi sanguini agni illius immaculati Domini nostri Iesu Christi nos Catholici tribuimus. Nam aliud non esse sub cælo nomen constanter cũ D. Petro profitemur, in quo oporteat credentes saluos fieri. De hoc igitur omnis remissionis, siue expiationis peccatorum fonte nulla omnino inter nos est controuersia reliqua, si de modis tantum expiandi peccata illo ex fonte hauriendis conueniret. De quibus vt facilè conueniat, solidaq. ineatur concordia, bona sanè nos spes habet, si quæ huius Antitheseos illustrandæ causa in mediũ ex Dei verbo, ac perpetuo PP. consensu adferemus, candidè accipiantur, atq. non præfracto animo, sed pacis, imò veri studioso, placidè expendantur. Cùm igitur inter Catholicos atque Confessionistas summa sit consensio de expiationis, emundationis, siue remissionis peccatorum fonte, qui vtrisque vnicus est atque singularis, Preciosus D. N. Christi Iesu sanguis, de quibusdã expiandi peccata modis illinc petendis non potest inter nos capitalis stare dissensio. Siquidem aduersarij inficias ire nequeunt, peccata

Facillima concordię via, cùm de ipso fonte remissionis & expiationis inter diffidentes Ecclesias conueniat. Superest igitur de modo expiationis quæstiuncula.

Aduersarij varios expiationis peccatorũ modos admittunt, puta per fidem, per Sacraméta, per orationes: omnia tamen vno ex fonte Christo.
Actorum 10.
Ephes. 4.
Matt. 6.

expiari per fidem & per Sacramenta. Rursus per orationes ac preces. De his enim sunt manifestiores scripturæ diuinæ, quá vt negare audeant. Fide purificari corda Cornelio Petrus ait. Paulus testatur Ecclesiá mundari à Christo lauacro aquæ & verbo vitæ. Christus ipse docet oratione sua Dominica, nobis remitti peccata. Sicuti ergo in Christi sanguinem non est iniurium per fidem, per Baptisma, per orationem peccata expiari atq. remitti: ita nec per pœnitentiæ Sacramentum: ad quod omnes illi expiationum modi sunt referendi, quos Confessionistarum Patroni tanto studio enumerant de peccatorũ tam mortalium, quàm venialium per Indulgẽtias, per Quadragenas, & Carenas, &c. relaxatione.

Vt Baptismus est Christi Do. sanguinis canalis quidam: sic & Pœnitentiæ Sacramẽtũ.

Quemadmodũ autem vnicus ille omnis peccatorũ remissionis fons pretiosus Christi Iesu sanguis suos veluti per riuulos nobis miseris mortalibus salutariter primũ deriuatur per fidẽ & baptismum: sic lapsis à baptismi gratia iteratò, imò sæpius atq. sæpius non minus efficaciter per saluberrimum Pœnitentiæ Sacramentum eodem ex fonte ca nalis deducitur, qui sordes posteà contractas abluat, culpas admissas expiet, peccata denique omnia remittat, vereq; aboleat. Istud omnibus perspicuum est videre ex iis, quę dudum Antithesi 18. de Pœnitentiæ Sacramẽto diximus, demonstrantes, ex præclaris istorum degenerum Confess. magistris, Luthero, Melanchth. Brentio, aliisq;, verè peccata dimitti & expiari per Pœnitentiam fide Christi susceptam atque peractam.

Aduersarij magistrorum suorum prȩiudicio condemnati.

1. Ioan. 1.

Scribit D. Ioan. Apost. Christianis hominibus iampridem
" baptizatis, omniq; peccatorum antè commissorum reatu ex-
" piatis, Si dixerimus (inquit cap. 1.) quoniá societatem habea-
" mus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & verita-
" tem non facimus. Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Et rursus, Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis pec-
" cata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

Sanguinẽ Christi etiã in pœnitentiæ Sacramẽto nos emũdare à peccatis.
D. Hieronym.

Deinde & 2. cap. Filioli mei hæc scribo vobis, vt nõ pecce-
" tis: Sed si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrẽ Ie-
" sum Christũ iustũ. & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Non

Non minus ergo post lapsum à baptismo, Christus nos à peccatis emundat, quã antea, sicuti & D. Hieron. docet Dialogo 1. ad Pelag. Pœnitentia baptismatis gratiam imitatur, inquit, per ineffabilem clementiam Saluatoris. Rursus. sanguis Iesu Christi filij eius (inquit Dialog. 2.) mundat nos, quod tam in Confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum est.

Modi peccata expiandi, an veri & efficaces.

Sed nunc de modis expiandi peccata, quæ post Baptismũ quisque designauimus, agendum, an sint nec ne; an veri & efficaces; an inanes, vani, fictitij; an illi deniq. quos magis sibi illudendos, quàm refutandos putabant Confessionistarum delecti tam Theologi quàm Consiliarij politici per aspersionem aquæ benedictæ, per pectoris tunsionem, per Indulgentias, per Quadragenas, & Carenas.

Stoicum Lutheranismi paradoxum iam exoletum renouatur. Sed alij verecũdiores blãdo palliant stibio, vti Theologi Braunsvvic. in corpore doct.

Qui absurdum illud, vereq. Stoicum veteris, ac nunc propemodum putidi Lutheranismi tuẽtur dogma, peccata omnia Christianorum esse mortalia, à quo isti Anonymi Confessionistarum Patroni non videntur abhorrere, pro ridiculo habent illud peccatorum discrimen, quod passim veteri de more, venialium atque mortalium dicitur.

Discrimen peccatorum venialium & mortalium ex verbo Dei necessariò statuendũ.

Istud tamẽ esse necessariò cõstituendũ vel inde discas, quòd non ob quæuis peccata, lapsus, & offensiones, quis ab Ecclesia est eijciendus, excõmunicãdus, & Sathanæ ad exemplũ illius adulteri atq. incesti Corinthij, tradẽdus. Si enim quæuis delicta, omniaq. indiscriminatim peccata, vti Lutherus delirabat, sua natura sunt mortalia, Deiq. offensam merẽtur ęternã, igniq. sempiterno sunt digna, oẽs omnino Christiani semper fuerũt, sunt, eruntq. excõmunicationi tradẽdi, & à Deo separandi. oĩbus enim illa Christi Do. oratio præscripta docet orãdum, Dimitte nobis debita nostra: siue vt habet Marc. peccata nostra. Cùm igitur nõ omnes peccatores Corinthios Paulus excõmunicarit; sed illũ adulterũ vnũ, rectè inter peccatorũ merita distinguendũ esse Catholica docet Ecclesia. Sicuti autẽ quædã æternã merẽtur mortẽ, imò animę inducũt mortem, hoc est miserrimã à Deo vitę fonte separationẽ (vnde & mortalia sunt maioribus nostris verè iuxtà atq. eruditè dicta) ita non omnia erratorum, lapsuum, atque offensionũ genera,

Vide Bullam Leonis 10.

Nõ omnia peccata sunt mortalia, alioqui omnes vbique Christiani excõmunicandi.

Mortale peccatum quid: & vnde nomen sortiatur.

iſtam habent iræ Diuinæ atrocitatem coniunctam. Idcirco quia facilem recipiunt indulgentiam, veniamque Paternam, venialia ſunt verè appellata. Horum ergo diſcrimen, cùm tam ſit in aperto, vt veterum PP. teſtimoniis, qui fruſtrà corroborare ſtudeat, ſoli facem in meridie accendat; qui peccatorum alia faciunt crimina à regno Dei excludentia, alia minora, ſiue leuiora, paucis de peccatorū à Baptiſmate deſignatorum expiatione dicendum erit.

D. Auguſt. varijs in locis.

Aliter mortalia peccata per Chriſtum expiantur, aliter venialia per eundem.

Proinde cùm alia ſint mortalia, alia venialia, diuerſum quoque expiationis modum poſtulant: haud aliter atque vulnera leuia & lethalia.

D. Hierony. de obitu Bleſillæ. Itē Dialog. 1. & 2. aduerſus Pelagianos.

Quòd ergo ad mortalia attinet, ea niſi Sacramento pœnitentiæ ceu nouo baptiſmate quodam, quod ait Hieronymus, ac iterato veluti balneo ſanantur, laxantur, expiantur, quemadmodum dudum ſuo eſt loco demonſtratum.

Alia culpæ, alia pœnæ remiſſio.

Iam quia crimina illa grauia, quæ peccata dicuntur, vti & ſunt, verè mortalia, non ſolùm commerentur culpam, ſiue iræ Dei reatum: ſed etiam pœnam, diuinæque iuſtitiæ punitionem, alia eſt culpæ remiſſio ſiue expiatio, alia pœnæ. Quod vel ſolum Adæ peccatum omnibus nobis hæreditarium ſua, (eheu) quotidiana experiētia omniū miſerrima plus ſatis docet eſſe multò veriſſimum. Cùm enim iſtud baptizatis ſit verè, pleneque remiſſum, luenda tamen omnibus ad vnum mors eſt, quæ illius originalis lapſus eſt pœna, Diuina olim lege, ſi transgrederemur, præfixa & præſcripta. De quo ne quis ambigat, luculēta ſunt in verbo Dei exempla, quæ non ſolam diſtinctam docent à culpa pœnam: ſed Deum etiam remiſſa peccati culpa, ſibi in poſterum reſeruare pœnam luendam.

Dimiſſa culpa Deū ſæpiſſimè reſeruare pœnā luendam, & afflictionibus expiandam.

Numer. 14. Iſtud diſertè apud Moyſen teſtatur, Num. 14. vbi Dominus
„ roganti pro tumultuante populo reſpondet: Dimiſi iuxta ver-
„ bum tuum. Attamē omnes qui viderunt maieſtatem meam,
„ & ſigna quæ feci in Ægypto, non videbunt terram, pro qua
„ iuraui patribus eorum. Ita & Deus ipſis Moyſi & Aaron pro-
Numer. 20. pitius fuit peccatis eorum ignoſcens, Num. 20. vlciſcens ta-
Pſalm. 98. men, ait Dauid Pſalm. 98. in omnes adinuentiones eorum.
Iam quid fruſtrà præclarum illud Dauidis exemplum recitetur diffuſiùs, quod ipſi peccatum Prophetæ: imò Dei voce dimiſſum,

miſſum, tot grauibus, atrocibuſque luiſſe pœnis ſacra narrat Hiſtoria 2. Regum 12. de Vriæ homicidio.

2.Regum 12.

C A P. XXXVIII. De modis expiandæ pœnæ peccatis mortalibus debitæ.

Quare demonſtrato aliud eſſe peccatorum mortalium culpam, aliud pœnam; de illa quidem hîc nihil agẽdum, quæ ad Sacramentum Pęnitẽtiæ dudum pertractatum eſt relegãda: per quod verè illam expiari modò liquet. de hac verò locus poſtulat, vt nunc diſſeramus fuſiùs.

Origo Canonicæ pœnæ olim lapſis ad dei reconciliationẽ à PP. impoſitæ.

Qui peccati mortalis, criminiſque à regno Dei excludẽtis atrocitatem veramque, ita dixerim, tanti reatus infinitatem, ac immenſam iræ Diuinę in ſe concitatæ culpam atque meritum probè habet cognitum & perſpectum; videt non immeritò priſcos Patres orthodoxos grauiſſimas iuxtà ac acerbiſſimas luendas pro peccatis poſt Baptiſmũ patratis præſcripſiſſe pœnas, quas appellauerunt Canonicas. Tales pro peccatorum diſcrimine conſtituerunt varias; non quidem lapſis, miſeriſq. pœnitentibus in laqueum, aut animi carnificinam: ſed in certum piarum mentium ſolatium, ſolidumque euadendæ caſtigationis illius Diuinæ remedium ac tutum effugium. Cùm enim olim maiores noſtri diuinę iræ placãdæ ex animo ſoliciti (quia Diuinæ maieſtatis pio animo reuerentes, eiuſq. vindicẽ manum religioſè timentes) viderent Corinthium illum adulterum Pauli diſciplina perquàm ſeuera, planeq. rigida, ad duram, vereque auſteram adactum fuiſſe Pęnitẽtiam, meritò & ſibi ſimilem Diuinæ legis imitatis transgreſſionem, luendam pro peccatis pęnam intelligebant. Hanc ne infirmiores ſuſciperent aut immodicam, aut ardentiores immoderatam, certũ placuit agendæ olim pęnitentiæ ritum, modumque præſcribere. Hinc appellatæ Canonicæ pęnæ, ſiue pęnitentiæ, à forma per Canones piorum Patrum præſcripta.

Canonicæ pœnæ vnde ortæ, & cur olim à Patribus conſtitutæ, atq. Pœnitentibus ſalutariter præſcriptæ.

Duæ cauſæ cur olim certæ pręſcriptæ pœnitẽtiæ, cuiuſq. peccati propriæ.

Siue igitur hæc certa Pęnitentiæ agendæ forma ſit à maioribus præſcripta, vt infirmioribus conſuleretur, ne aſtutis Sathanæ inſidiis victi in deſperationem frangerentur, conſiderãtes immodicam & propè infinitam luendam ſibi pęnam: ſiue, quòd à vero alienum non videtur, vt temerariis aliquot Preſbyteris obuiam iretur; in præſentiarum haud magni intereſt. Quoſdam enim accepimus, quod D. Cyprianus haud rarò con-

Reatus criminis eſt infinitus; cui & pœnam iuſtã reſpondere oportet, quã mollioríb. piã

mater Ecclesia mitigat missa pro peccatis ætate. D.Cypr.

conqueritur, æquo properâtius & festinantius, quàm par erat, ante actam, inquit Epist. 15. libri tertij, Pœnitẽtiam, ante exomologesin grauissimi & extremi delicti factam; ante manum ab Episcopo & Clero impositã, pro pœnitẽtibus offerre, & Euchaństiã dare, id est, corpus Domini prophanare ausos fuisse. Alterutra igitur ex causa, siue vtraque, siue etiã alia, nimirum vt imperitioribus etiam Confessariis certa esset imponendæ Pœnitentibus pœnæ lex & ratio, fuerint illi Canones Pœnitentiales constituti (quorum extat fragmentum à D. Petro Taumaturgo, Ecclesiæ Neocæsarien. collecti. Item hodie passim apud Burchardum, apud Iuonem, & in Pœnitentiario Romano, Egmondensi, aliisque) eò vniuersi spectasse videntur, vt ex eorum præscripto ac veluti æstimatione agnoscerent lapsi suorum criminũ magnitudinem, ingentem sui reatus molem, atq. infinitũ quoddam suæ prophanæ audaciæ ac temeritatis nefariæ commeritum. Quis enim pro merito satis cognitum, & examussim æstimatũ ac veluti appensum habeat homicidij, violati voti, aut thori, idololatriæ, aliorumq. flagitiorũ, sacrilegiorũ, criminũ à regno Dei iuxta Pauli doctrinã excludẽtium cõmeritum atq. reatum, quo diuinam legẽ audax atq. superbus, temerare, violare, prophanare, atq. iram Dei in se æternam, post tam immensa pietatis paternæ dudum in baptismo percepta beneficia, non dubitauit sciens ac prudẽs prouocare. Verùm ne alicunde infirmis, aut æquo mollioribus filiis suis pia mater Catholica Christi Iesu Ecclesia, salutis ipsorũ admodũ solicitè anxia vllã relinqueret desperandi occasionẽ; hos etiam Canones, quos dudũ diximus Pœnitentiales arbitrio reliquit Presbyterorũ, vt ipsorũ veluti Trapezitarũ prudẽtia ęstimaret, quos quibus & quanta aut seueritate, aut indulgentia profuerit adhibuisse: vt hîc nõ tam consideranda veniat mensura tẽporis, quàm doloris. Sed quid Presbyterorũ dico? cùm ætate D. Cypr, adeoq. magistri sui Tertulliani Confessoribus laïcis, Christique nomen apud Decium A. rigidosq. eius, vti & AA. Seueri, Antoninorũ, aliorumq. tyrannidis administros professis ex more tunc solemni atq. publico licuerit Pœnitentibus pœnam illã Canonicam pro idololatriæ in primis crimine impositam, certoq. luendã minuere,

Scopus Canonum Pœnitentialium, vt peccator sui delicti quasi iustã nosset æstimationem.

Desperationis occasio sublata, dum Cano. Pœnitẽtiales Ecclesia Presbyterorum reliquit arbitrio, ne molliores aut ignaui terreantur à duriore quidẽ, sed salutari medicina.

Cano. Pœnitentiales etsi olim rigidi, nõ tamẽ præfracti & inflexibiles: quos piè aut Cõfessariorũ mitigabat indulgẽtia, aut Martyrum pro ipsis tollebat intercessio apud Ecclesiam.

minuere,præcidere,atq.decurtare. Nimirum vt in gratiã ipsorũ prius à ſtata, certaq. pœna ſecundũ Canones, moresq́. ſolemni luenda abſoluerentur,& ad S. menſæ communionẽ admitterentur, quã alioqui fuiſſent admittendi; ſiue ab Excommunicatione ſimul & pœna impoſita abſoluendi. Solẽt enim Martyres illis Excõmunicatis;certæq. pœnitentiæ peragendæ per Canones Pœnitẽtiales. ſiue Presbyteros pœnitentiarios addictis pacẽ reddere Eccleſiæ,id eſt,libello ad Eccleſię Præſides ſuis manibus de Cataſta miſſo ſcribere,pieq; mãdare,vt ad Cõmunionẽ reciperentur hi, aut illi in ſui gratiã. Quo autẽ id effecerint Pœnitentiũ fructu,atq. ſolida luendę ipſis pœnæ imminutione & abolitione, vnus D. Cyprianus abundè ſuo nobis perſuaſerit teſtimonio. Credo,inquit Epiſt. 18.lib.3.ad Presbyteros ſuos his de rebus ipſum in exilio agẽtem conſulentes data, vt qui libellũ à martyribus acceperũt, & auxilio eorũ adiuuari apud Do. in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint exomologeſi facta,& manu eis à vobis in pœnitentiam impoſita,cum pace à martyrib. ſibi promiſſa ad Do.remittãtur. Rurſus Ser.5. de lapſis. Pœnitẽti,operãti,rogãti,poteſt deus clemẽter ignoſcere(inquit ſub finẽ) poteſt acceptũ ferre, quicquid pro talibus & petierint martyres,& fecerint ſacerdotes. Nam paulò ſuperius ſe pro lapſis Deum orare dixerat,vt ipſorũ miſereretur.

Ita ſiquet in pœnitentiali Ro. Theodori Bedæ, Burch. & Iuonis.

Hinc illa olim vſitatiſſima loquendi formula Chriſtianis nota, Communicet ille cum ſuis. ſiue vti nũc, Cõmunicet N. cũ ſuis. Nam ex ill.notariorum imperitia fecit. N.

Vide Tertullianum ad martyres.

Cypr.li.3.Epiſt. 15.& 18.

Vide Panopliã, lib.4.cap.73.

Indulgentiæ Chriſtianis ſemper religioni habitę,nunc propter auarorum abuſum improbè ridentur.

Quibus ex D.Cypr. ſeueri admodũ Canonicæ Pœnitentiæ magiſtri, vindicisq́. rigidi verbis multò eſt liquidiſſimum adiuuari poſſe Pœnitẽtes in delictis ſuis (proculdubio minuendis, partimq; expiandis ſiue relaxandis) apud Dominũ ac pacẽ à martyribus ſibi promiſſam: id eſt,optatam cũ Eccleſia Dei reconciliationẽ, diuinorũq; myſteriorum communionẽ ſibi impetrare reſtituendam. Vnde neceſſariò conſectariũ eſt, fuiſſe illo D. Cypr.ſeculo relaxatam pœnitentibus Canonicã pœnam propter peccata mortalia dudum à Cõfeſſariis Preſbyteris,ſiue pœnitentiariis impoſitam.

Relaxabatur olim pœnitẽtia ſtata & certa,in gratiam interceſſorum apud presbyteros pro illis.

Qua in re cùm nõ pauci Presbyteri peccarent grauiter,atque temerariam pœnitentiũ feſtinationem irreligioſa quadã audacia, ſtultaque imò pernitioſa adulatione præcipitarent, atq. ad immaturam & præproperã ſacrorũ cõmunionem admitterent,

mitterent, grauissimè in eos inuectus exul Cyprianus pœnitẽtibus quidem ignoscit, quòd immoderanter atque festinanter ad accipiendam communionem vrgerent: sed Presbyteros obiurgat acerrimè, admonẽs, videant, ne qui Pastores esse debeant, lanij fiant. Ea enim cõcedere (inquit Epist.15. sui acerbi sanè dicti causam exponens) quæ in perniciem vertant, decipere est. Nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.

Pastores quidã D. Cypriano cur lanij. O vtinam & istud nostri aduertant clementissimi Pœnitentiarij!

Ætate igitur D. Cypriani, atq. Tertulliani, id est, mox post Apostolos sub annũ Domini 140. & 150. vides candide lector fuisse relaxatam & imminutam pœnitentibus suam Canonicam pœnam, quæ iuxta ritus antiqui formulam erat certo cũ modo, tum tempore luenda, & pendẽda, quam ne quis temerarius clamet ex hominum ortam doctrina, agedum videamus, an non & Apostolorum fuerit nixa, imò nata exemplo.

Indulgentiarũ origo Apostolicam sapit ętatẽ, quorũ exemplo pœnitentib. pœna certò luẽda fuit piè relaxata & indulta.

2. Corinth. 2.

Cùm incestus ille Corinthius Pauli discipulus Sathanæ ob violatam Nouercam, traditus aspera, duraque admodum sese affligeret, ac tantum non excruciaret pœnitẽtia, pij illi fratres Corinthij pro ipso ad communionẽ recipiendo apud D. Paulum suis intercedebant precibus atque lachrymis. Pro eodem & Titus & Timotheus D. Paulo supplicabant, vt horribili illa solutus excommunicationis sententia, pristino restitueretur loco, diuinæque mensæ vel tandem frueretur consortio, gauderetque contubernio. Cui cùm illi vlteriorem condonãdam censerent pœnitentiam, atque indulgendam esse flenti, gementi, lachrymanti. D. Paulus paternis visceribus in filium resipiscentem, ad commiserationem commotus, aliquid etiã donauit, & de luenda etiámnum pœna remisit atque relaxauit: non tam ipsius permotus lachrymis vberrimis, grauique animi dolore, quàm aliorum pro illo intercedentium atque precantium precibus & intercessione. Quod disertis quidem verbis Paulus ipse 2. Corint. 2. fatetur: & D. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, aliique PP. orthodoxi, doctissimis suis attestantur Commẽtariis. quos nunc restrictè commemorabimus: vt Indulgentiarum, siue veniarũ, siue relaxationum pœnæ Canonicæ origo, magis sit piis omnibus perspicua, & ab impiorum sannis defensa: qui Turcicè

Cur veniarum siue indulgentiarum origo accuratiùs eruẽda nunc ex omni piæ antiquitatis studio.

prorsus

prorſus atq. Iudaicè ritus vetuſtiſſimos ante annos 1200. imò Apoſtolorum ætate Solemnes non verentur ſacrilega temeritate reijcere, improbare, adeoque impietatis damnare.

D. Paulũ fuiſſe vſum veris indulgentiis veniisq. Papalibus in illũ Corinthiũ pœnitentem.

Igitur vbi iam diu pœnitentiá ſui egiſſet flagitij Corinthius ille doctor, ne abundantiori triſtitia, inquit Paulus, abſorbeatur, in gratiam iubet recipiendum: ſed non citra indulgentiá, iuſtæque adhuc pœnæ luendæ relaxationem & condonationem. Sic enim diſertè dicit Paulus, cui donaſtis aliquid, ait 2. cap. 2. & ego. Nam & ego, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti: vt non circumueniamur à Sathana. Relaxauit igitur D. Paulus illi excõmunicato Corinthio doctori, ſed ſeueram agenri pœnitentiam, quod fuit exinde luendum. Hoc enim ſuo verbo ſignificat κεχάρισμαι, inquit, donaui atq. gratiosè induliſi. Sed cauſam huius donationis, veniæ, gratiæ, ſiue indulgentiæ atque relaxationis D. Paulus non diſſimulauit. Propter vos, inquit, donaui. Nam pro illo nõ ſolum Corinthij, teſte D. Ambroſ. ſed & Titus & Timotheus, teſte D. Theodor. rogarant. Innuit autem hoc quod dicit: eos per beatos viros, ait Theodor. Titum & Timotheũ pro eo, qui peccarat, rogaſſe. Nam peccato illi tam ingenti nõdum pœnitentia ſufficiebat, neque pro merito reſpõdebat. Ideo enim ſuperius admonuerat, vt magis donetis ſiue condonetis. vbi remiſſionem delicti, ait Theodor. vocat χάριν, gratiam, oſtendens peccatum magis fuiſſe pœnitentia In quem locum & Theophyl. Pulchrè autẽ dixit, Cõdonate. Vt enim ille nõ exiſtimet ſibi remiſſam noxã, quia ſatis Confeſſus ſit, & ſufficienter pœnitentia ductus (ſiue idoneam ac iuſtam peregerit pœnitentiam,) oſtendit quòd non tantum ex pœnitentia ſua, quantum ex illorum gratia & & donatione dimiſſionem recipiat. Verum hic Theophylacti locus ſuo ex fonte, id eſt, aureo D. Chryſoſtomi Commentario eſt nonnihil dilucidior hauriendus. At vide, inquit, vt rurſus illum premit, ne indulgentia fiat deterior. Quanquam enim confeſſus erat facti pœnitens: tamen oſtendit, quòd non perinde ex pœnitentia, atque ex cõdonatione conſequatur remiſſionem, ſiue vti eſt apud Chryſoſtomum εἰ γὰρ καὶ ἐξομολογήσατο καὶ μετανόησε. Et ſi namq. tum Confeſſionem fecerit, tum pœnitentiam egerit, demonſtrat quòd non tam propter

Pœnam adhuc luendã pœnitenti Paulus laxat & indulget. quia alij pro eo rogabant.

Pœnitentiá nõdum expletam & inſufficientem condonat. Paulus per indulgentiã, ſiue gratiá & veniã.

Exomologeſis pro toto Pœnitentiæ Sacramẽto: ſicut & nũc latinis Cõfeſſio.

Corinthius ille nõ tã ex ſua Cõfeſſione & acta ſeueriter pœnitẽtia fuit Eccleſiæ recõciliatus & abſolutus: quã quòd alij pro ipſo gratiã & veniã rogarẽt lachrymasque funderẽt, ſatisfacerent pro ipſo.

pœnitentiã, quã propter gratiã, accipit remiſſionẽ. Non enim quòd dignus fuerit abſolutione & peccati remiſſione, fuit Eccleſiæ reconciliatus; neque, vt annotat Chryſoſtomus οὐδὲ ἐπειδὴ ἀρκοῦσαν μετάνοιαν ἐπεδείξατο, quòd ſufficientẽ, iuſtamq́. peregiſſet pœnitentiam: ſed quia imbecillis. quòd periculum eſſet, ne ipſum deſperatio peſſundaret.

Quibus ex verbis liquet pœnitentiam iuſtam fuiſſe gratioſè imminutam: ſiue, vti noſtro cũ ſeculo loquamur, indultam veniam, relaxationéq. factam propter alios. qui magiſter Paulus rogantibus (inquit Ambroſ.) diſcipulis donauit peccatum, atq. ei, pro quo Corinthij petierant, ignouit.

Habemus ergo ex Pauli doctrina pœnitentiam aliis luendam, poſſe in aliorum gratiam, id eſt, propter aliorum preces & interceſſiones minui atque relaxari: hoc eſt, vti nunc loquimur, indulgeri atque veniam fieri. Agedùm porrò inueſtigemus an propter aliorum pia facta aliis imputata ſiue communicata, idem quoque liceat?

Indulgentiam olim pœnitentibus nó modò propter aliorũ preces datam: ſed etiam aliorum bona, piaq́ue opera.

Licere quidem, iam dudum ex illis præclaris vetuſtiſſimæ, adeoq́. Apoſtolicæ Eccleſiæ exẽplis liquere ſatis arbitror, quæ dudum ex D. Cypriano, eiuſque magiſtro Tertulliano cõmemorauimus, quòd propter Martyrum merita pœnitentibus ſuis luenda pœna Canonica relaxabatur & indulgebatur.

vnde profluat illa mutua cõmunio bonorũ ſpiritualiũ, vt pro altero penæ partem luat.

Cùm enim Chriſtiani omnes nobis mutuò ſimus mẽbra tanquàm vnius corporis atque arboris rami, in nos mutuò item, quod aliis redundat, diffluit, dimanat, copioſeq́. diffunditur, atque participatur piorum factorum gratia. quicquid enim vni membro, ſiue dolori eſt, ſiue gaudio, toti etiam corpori dolori eſt & gaudio. Ideo D. Paulus apertè profitetur ſeſe adimplere, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, inquit, pro corpore ſuo quod eſt Eccleſia, ſiue vt grecè eſt ἀνταναπληρῶ τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ τὰ ὑστερήματα ſuppleo reliquias, ait Ambroſius & Auguſtinus quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea. Nam vti Chryſoſt. admonet, nondum omnia Chriſtus pro vobis paſſus eſt, inquit Paulus, etiam poſt mortem patitur: ſiquidem ad huc reliqua quædam manſerunt. Quæ enim illum oportebat pati, ego pro ipſo patior. Rurſus Corinthios ſuos ad rem, quam par erat, attentiores, exemplo

Coloſ. 1.

Ex corporis Eccleſiæ nexu, membrorumq́ue ſympathia oritur, manatq́. & membrorũ mutuũ quoddam inter ipſa auxilium ſiue commutatio.

plo Theſſalonicen. Hortaturus, vt egentibus in Iudæa fratribus liberalitate ſua opem ferrent, veſtra abundantia, inquit 2. Corinth. 8. iam illorum inopiam Suppleat, vt & illorum abundantia veſtram ſuppleat inopiam. Iubet ex ijs quæ ſuperabãt, impartirent, ait Theodoretus, & lucrum quod ex eo prouenit, oſtendit. Retributio enim erit maxima, & dantes quę ſunt minora, quę maiora ſunt accipietis. Laudandę namq́. tolerantiæ cum eis eritis participes. Clarius idem Theophylactus. Quo illi exuberant vobis communicant. Et iterũ. Quo indigetis, ab illis accipitis. Porro D. Ambroſius hunc Pauli locũ explanaturus docet Paulũ hortari Corinth. vt Sanctis, qui iuxta tempus inopiam patiuntur, ij qui credunt, quiq́. artibus, aut negotijs inſiſtant, aut certè facultates paternas habẽt, miniſtrent Sanctorum inopijs. Et iterum. Sancti illi, vbi diuites ſunt, & iſti inopes, communicent eis, quaſi vicẽ rependentes miniſterio illorũ, ſicut dicit Dominus, Quamdiu feciſtis vni ex minimis iſtis: mihi feciſtis, vt fiat æqualitas. Hęc eſt æqualitas ait Ambroſ. vt quia iſti in hoc tempore miniſtrant ſanctis, reddãt illis vices in futuro. Debitores enim ſibi faciũt Sanctos. Tunc enim æquabũtur illic. Deinde adiungit Ambroſ. vt ſicut beneficio horum, inopia Sanctorum ſuſtentatur: ita & beneficio ſanctorum diuites fiant hi in futuro ſeculo, in quo vidẽtur pauperes. Non enim totos ſe dederunt Deo, vt hîc pauperes, illic eſſent Diuites: ſed ex hac parte qua hîc diuites ſunt, illic pauperes, ſanctorum ſuffragio, qui hîc poſiti iam illic mente ſunt, ditabuntur. Non enim qualecunque meritum eſt de iuſtis laboribus miniſtrare Sanctis. Sic & D. Auguſt. illud Euangelij explanaturus, vobis amicos de mãmona iniquitatis, oſtendit quandam meritorum inter pios communicationem. Illi iudicabunt (inquit in Pſal. 121.) De quibus dictum eſt, vt fiant amici de mammona iniquitatis, vt & ipſi (inquit) recipant vos in æterna tabernacula. Sancti ſedebunt cum Domino, attendent qui fecerunt miſericordiam, & aſſument illos ſeparatos in dexteram, in regnum celorum: & ipſa eſt pax Ieruſalem. Quæ pax eſt Ieruſalem? Vt opera miſericordiæ corporalia iungantur operibus prædicationis

2. Corinth. 8.

Paulus docet aliorum pia opera quibuſdam cõmunicari, & ipſorũ implere inopiã ſi communicãtur.

Sancti opulentos huius ſeculi apud Deum faciunt diuites, alioqui pauperes. Ambroſius.

Communio meritorũ quibus expetenda & expectanda ex ſuffragio piorum pauperũ.

Eleëmoſynæ faciunt cõmunionem piorũ meritorum.

ſpiritualibus, & fiat pax dando & accipiendo. ait enim Apoſtolus, qui rationem dati & accepti dicit eſſe iſtas eleemoſynas.

Suffragio ſanctorũ quidã liberantur à peccatis, qui alioqui luerẽt pœnas. Auguſtinus

Similiter & libro 21.cap.27.de Ciuitate Dei, quoſdam docet recipiendos à ſanctis in tabernacula æterna, qui nõ ſunt his moribus, inquit, præditi, vt eis liberandis ſine ſuffragio ſanctorum, ſua poſſit vita ſufficere. Et mox infra diſertè profitetur quorundam vitam non tam eſſe bonam, vt ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint, miſericordiam conſequantur.

Merito ſanctorũ quidã miſericordiã à Deo conſequuntur. Auguſti.

Cæterùm ne quis ex hac D. Auguſt. Doctrina exiſtimet ſanctos ſuo (vti loquitur D. Ambroſ.) ſuffragio adiuturos fratres minus ſanctos, aut variorum adhuc reatuum reos, pænisque obnoxios in extremo tantùm iudicio: non in hac etiam vita ſuas diuitias, opesque ſpiritales communicare indigentibus, ipſorumq́. ſupplere, vti Paulus ait, indigentiam, ſiue ὑστέρημα, defectũ paucis nunc de nobili illo Eccleſiæ thezauro eſt agendum: quem Catholica Dei Eccleſia, ſuo ſponſo locupletiſſimo ſua membra omnibus ſpiritualibus beneficijs, virtutumq́. copijs benedicenti non ingrata magnificè gaudet prædicare.

De theſauro Eccleſiæ, vnde hauriũtur piis indulgentiæ ac veniæ Eccleſiaſticæ.

Quod vt intelligatur plenius D. Auguſt. locus in Pſal. 61. hac erit illuſtrandi cauſa attexendus. Debemus, inquit, hîc, & ſimilibus locis intelligere perſonam noſtram, perſonam Eccleſiæ noſtæ, perſonam Corporis Chriſti. Vnus enim homo cũ capite & corpore Ieſus Chriſtus: Saluator corporis & membrorum corporis: duo in carne vna, & in voce vna, & in paſſione vna: & quæ ſequuntur. Paſſiones itaque Chriſti, non in ſolo Chriſto: imò paſſiones Chriſti, non niſi in Chriſto. Si enim Chriſtum intelligas caput & corpus, paſſiones Chriſti, non niſi in Chriſto. & infra: Quiſquis in membris Chriſti es; quicquid pateris ab eis, qui non ſunt in membris Chriſti, deerat paſſionibus Chriſti. ideo additur, quia deerat, menſuram implens, non ſuperfundens. Tantum ergo pateris, quantũ ex paſſionibus ſuis inferendum erat vniuerſæ paſſioni Chriſti, qui paſſus eſt in capite noſtro: & patitur in membris: id eſt, in nobis ad communem hanc quaſi Rempublicam. Nam quiſque pro modulo noſtro exoluimus, quod debemus: & pro poſſe viriũ

Ex D. Paulo docet Auguſtinus colligi theſaurum paſſionũ: in quem ſuum quiſque inferre debet Canonẽ paſſionum.

no-

noſtrarum quaſi Canonem paſſionum inferimus, paratoria plenaria.

Vnde facilè eſt intelligere, omnia quæ pij omnes in Chriſto patiuntur, eſſe aliorum etiam membrorum communia, & ad mutuam inter ſe participationem atque communionem accõmodata, quod non ſolùm Dauid ſpiritu ſancto plenus profitetur, particeps ſum, inquit, omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua: ſed Diui etiam Apoſtoli ſuo Symbolo indicandum omnibus Chriſtianis cenſuerunt, adijcientes ne ſuæ pijs ignotæ eſſent opes, ſanctorũ communionẽ. Quod ſibi aliud non vult, quàm eam eſſe inter Chriſtianos fratres ſympathiam, mutuamq. bene agendi, atque fortiter pro Chriſto tolerandi rationẽ, vt alter alterius onera leuare, imò (vti D. Paulus docet) portare valeamus.

Quidnam ſibi velit illud ſymboli Apoſtolici, Sanctorum cõmunionem.

Iam cùm onus peragendæ pro patratis in Deũ Patrem clementiſſ. flagitiis Pœnitentiæ haud ſanè ſit leuiſſimũ, magnas in primis Caritas hìc partes obit in ſubleuandis afflictis, diſcruciatis, ac tantùm nõ oppreſsis fratribus. Cõſpicati enim fratres fratrẽ propter ſcelerata adeoq. ſacrilega ſua facinora, ſiue inobedientiam, impietatẽ, & nefariam in Deum rebellionẽ, ſeuera quidem, ſed iuſta Canonica Pœnitentia longum per tempus peragenda, duriterq. luenda mulctandum, viſceribus pietatis commmoti, non ſolùm ad pias pro eo fundendas apud Deum communem Patrem preces excitantur: ſed ad ieiunia, ardentesque lachrymas etiam accenduntur, quemadmodum Apoſtolicũ illud D. Ioan. Euangeliſtę docet exẽplum: qui teſte Cle. Alexandrino illum adoleſcentẽ Epheſium à baptiſmi gratia ad furta, flagitia, latrocinia deſignáda prolapſum, non modò ad ſeriam animi, geſtorumq. reuocauit pœnitentiam: ſed pro eo aſſiduis precibus rogauit, collachrymabatur, cõtinuiſq. ieiuniis decertabat, quò promiſſam illi à Deo impetraret flagitiorum remiſsionem, quam vbi longo poſt tempore addixiſſet, tandem Eccleſiæ reconciliauit, atque communioni reſtituit. Quòd ergo propter ſua etiam ieiunia & lachrymas remiſit atque indulſit D. Ioan. ſuo Epheſio; quod D. Paulus propter Titi ac Timothei ~~cũ~~ et Eccleſiæ Corinthianæ preces condonauit, ſiue (vti ait D. Ambroſ. in Cõment.) ignouit ſuo Corin-

D. Ioan. Euangeliſta pro pœnitentibus fleuit orauit, & ieiunauit.

thio; Quod Cyprianus suis pœnitentibus, ad Canonicam pœnitentiam ob sacrilega idololatriæ ac Traditionis ad rogos sacrorũ codicum crimina redactis propter Martyrum pro illis apud Ecclesiam intercedentium merita relaxauit, idem posterior est imitata Christi Ecclesia, dum quadragenas & septenas siue Carenas indulsit,atq. pro Indulgentia (vti nunc loquimur) imputauit, siue relaxauit & condonauit.

Illis siquidem nominibus aliud nihil, quàm certum Pœnitentiæ stato tẽpore ac ritu peragẽdę genus significatur: quemadmodũ ex vetustis pœnitentialibus Ro. Anglicano, Egmondensi, aliisque. Item Burchardo, Iuone, Gratiano, & similibus pœnitentialium Canonum rapsodiis est cognoscere.

Nam in gratiam aliorum fratrum fratribus aliquid remittitur & indulgetur, vt mutua fiat bonorum atq. meritorum cõmunicatio, quæ illo in thezauro Ecclesiæ abundantissimè est collocata: vnde pleno, vberrimoque copiæ cornu prudenter sit haurienda. Quẽ corporis Christi, siue Ecclesiæ atque Reipublicæ Christianæ thesaurum D. August. illo suo passionum Canone dudum subindicasse si quis dicat, à vero haud longè aberrasse videbitur. Nam quisque pro modulo nostro (inquit in Psal. 61.) exoluimus quod debemus: ad cõmunem, vti euestigio declarat, hanc Rempulicam, & pro posse virium nostrarum quasi Canonem passionum inferimus paratoria plenaria.

Cod. lib. 10. Tit. 23. & lib. 11 Tit. 22. His enim ex loquendi formulis Iuris periti facilè agnoscãt non aliter in Ecclesia Christi bonorum semper operũ fœcundissima prouenire vberrimam piorum & Spiritus sancti cooperatione meritorum messem, quàm in Republica bene constituta ex Canone frumentario ingentem frumenti vim in vsum publicum: aut ex Canone largitionaliũ titulorum magnam auri, argentíue, summam, fiscum publicum mirificè locupletantem. Vt enim hæc tributorũ à singulis præstatio publicum eximiè ditat ærarium, ita & ista passionum siue pressurarum Ecclesiæ, quasi tributorum & Canonũ spiritualium pensio atq. præstatio, quã ex D. Augustini doctrina, suo quisq. pro modulo exoluere debemus: dum veluti passionũ Canonẽ in Christi Domini horrea inferimus, illumq. Ecclesiæ Christi Thezaurum, certatim quisque locupletamus. Qui cũ sit om-

nium Christi mẽbrorum cõmunis, ex eo ceu diuite ~~pœna~~ pœnu prudentibus, frugiq́. Oeconomis, licet indigis, egenisq́. fratribus impartire, quod ex vsu sit, modò huius societatis, quæ viuis Christi mẽbris est indiuidua & indissolubilis, maneant participes. Nam ex mutuo inter nos nexu, spiritaliq́. copula, quæ caritas est, rectè à Paulo vinculum perfectionis siue τῆς τελειότητος integritatis appellata, etiã mutua fluit piorum factorum societas, liberalisq́. ceu communis peculij communio. Donec enim per caritatẽ, vnitatisq́. amorẽ, quis toti corpori Christi, quod Catholica est Ecclesia, indiuulsus hæret, atq. indiuisus copulatur, cohærẽsq́. alitur ac viuificatur, non solùm mutuis, quas toto orbe toto suo pro corpore atque commembris fundunt pij fratres, adiuuatur precibus: sed meritis etiam sociatur. quemadmodum D. August. disertè lib. 19. cap. 21. contra faustum Manichæum attestatur.

D. Augustinus ait Sanctorum meritis sociari pios. lib. 19. cap. 21.

Sanctorum ergo meritis, quæ Spiritu Christi in ipsis operante, proueniunt longè optima, Deo gratissima, simul & copiosissima, sociamur, quia verè participes efficimur. ita vt nobis imputetur, ac reipsa cõmunicetur, quod ipsorum est proprium: sed non ita proprium, quin fratrum omnium, imò totius corporis Christi, quod est Ecclesia, sit commune. Siquidem est Respub, cuius ærarij annua præstatione, canoneq́. frumẽtario ditissimi prouentus, egentioribus suis ciuibus venit impartiendus. Ierusalem enim, ait Spiritus sanctus, ædificatur vt ciuitas, cuius participatio est in idipsum: Hoc est, cuius Reipub. bona verè salutaria, pacemque illam iugem, hominibus impiis vt ignotam, ita mundo præstari nesciam, efficientia participantur, atque communicantur iis demum, qui & fide vnanimes in domo Dei habitant, & illi caritatis vinculo nexi, sibique coaptati, sese mutuo non minus, quàm illam cælestem concordiam diuinamque vnitatem diligunt, magnoque studio præ rebus aliis omnibus colunt. Porrò huius bonorum spiritalium communionis, siue meritorum à sanctis Spiritu Christi præstitorũ participationis dispẽsatio atq. distributio, etsi quorundam infidelitate & negligentia, siue profusa, imo prodiga improbitate, dissipetur potius quàm dispensetur: non idcirco pios decet rem vti longè antiquissimã; ita multò

Psal. 121.

Indulgentiarũ abusum ætate nostra ab auaris aliquot ærariscatoribus vsurpatum non debere fraudi esse vero vsui veniarũ: quas D. Cyprianus & August. alijque PP. prædicant ex vera Euangelij sententia.

 salu-

ſaluberrimam,piisq́. Patribus omnibus ſumma in veneratione ſemper habitam,contemnere,nedum eleuare,abiicere,aut damnare. Vt enim ex temeraria quorundam Presbyterorum Abſolutione tam apud proteſtantes,quàm Catholicos non detrahitur aliquid efficaciæ Sacramento Pœnitentię: ita nec ex liberali nimis,atque fortaſſis ſi nõ immodica, certè profuſa,ne dicam prodiga indulgẽtia, veniarũq; diſſipatione quis colligat rectum quoque ac verum,priſcis etiam Patribus non ignotum veniæ Pœnitentialis ſiue Indulgentiarũ vſum eſſe reijciendũ,

D.Cyprianus(vti dudum diximus) acriter in illos inuectus Presbyteros,qui lapſis non ſatis pœnitentia purgatis,neque fletu,atque ieiunio expiatis Euchariſtiam dare,id eſt,corpus Domini(inquit Epiſt.15. lib.3.) prophanare audebant, hortans vt ſolemnem morem obſeruent,ne qui paſtores eſſe debent, lanij fiant. Non improbat Sacramenta, ſed improbam illorum temeritatem. Idem & nunc prudentes docet ipſa rerum diſtinctio, legitimum vſum neceſſariò à rerum abuſu diſcernendum.

Proinde cùm ex dictis liqueat Indulgentias,ſiue pœnæ poſt peccata dimiſſa luendæ venias & relaxationes nõ eſſe pias fraudes fidelium,ſed veras luendi ſupplicij peccatis commeriti ac debiti remiſſiones, nullo nunc licebit negotio refutare, quæ aduerſarij ſua in Antitheſi Catholicis friuolè obiiciunt. Papiſtæ autẽ(inquiunt,folio. 155.)quia lucrum & quæſtus hic locum habuerunt, multiplices ac varias expiandi rationes tam mortalia, quàm venialia peccata incredibili negotio commenti ſunt. Quod ad quæſtũ attinet,nihil ad cauſam Germanici Schiſmatis,diſcordiæq́.tam ſacrilegæ facit:quem execrandæ auaritiæ prætextu quoſdam inuexiſſe in confeſſo eſt. Iſtam enim peſtem pij omnes execrantes vnà cum omni Simonia, Philargyria,ambitione,cæterisq́. Ro. Curiæ harpiis orco iamdudum deuouerũt.Cæterùm quod aiunt Catholicos eſſe iſtas expiandi, ſiue potius relaxandi peccata rationes commentos, longè à vero abeſt: quemadmodum ex ſpeciebus in Antitheſi commemoratis liquet,quas aduerſarijs hunc in modum recenſere placuit.Cuius generis ſunt, inquiũt, aſperſio aquæ benedictæ,Confeſſio generalis, Epiſcoporũ, ſacerdotum ac monialium

Refellũtur quæ Anonymi Confeſsioniſtarum Patroni contra Indulgentias nugantur.

Catholicos nõ eſſe commentos rationes peccata relaxandi: ſed eas in Dei verbo fundatas olim vſurpari.

nialium benedictio, deuotæ tunsionis pectoris: & eius generis similia.

De venialiũ remissione nulla inter doctos potest esse quæstio, quin facillimè dimittátur, quæ facillimè peccantur. Iam quia venialia iustam Dei offensionem non habent, neq. æternam, vti dudum diximus, merentur pœnam, leuissimis sanè modis indulgentur. Sicuti enim leui aliqua mentis auersione, socordia, negligentia, aut pietatis incuria committuntur: ita pietatis exercitio, aut externo non fictæ humilitatis signo expiantur. Cùm enim animus Christianus suæ non immemor fragilitatis Deum ex fide aut verbo, aut alio humiliati animi signo precatur, mox in Dei cultum assurgit. Nam, si D. Petrus Apostolus fidem meretur, corda Christianorum fide purgantur. Illa porrò vniuersa dudum ab aduersariis malignè arrosa, ex fide Christi fiunt. Nemo enim aquæ sacræ aspersionem, aut episcopi benedictionem suscipit: nisi animo fide Christi exculto, quæ Christum intuetur suo in ministro benedicentem, bonaq. imprecantem, aut in aqua sacra suæ meminit ablutionis pridem in baptismo factæ, qua per Christum ab omnibus fuit ablutus peccatis; quorum emundationem nunc dolet nouis sese næuulis aspersisse, ac non leuiter forte contaminasse.

Venialia quàm facilè peccátur, tam facilè condonantur.

Actor. 10.

Episcopi benedictio qua religione suscipienda.

Aqua sancta quo fidei motu aspergéda piis.

Iam cuius est impietatis Confessioné delictorum generalem, aut pectoris tunsionem, nugas facere? Si hæc ex Christi fide cum precibus fiant. An minus viris Euangelicis prosint, quàm illa Publicani Confessio, oratio, pectoris tunsio? Certè cùm eadem sit humiliati ex Christi fide animi causa; non potest non eadem quoque subsequi peccatorum remissio: quia idem est vtrobique contriti cordis & humiliati animi sacrificium, quod Deus, nisi Propheta fallit, non potest despicari.

Pectoris tunsionem à Christo laudatam religiosi isti Euangelici nugas dictitant.

Certè si nihil prodesset pia contriti pectoris tunsio humili maritata orationi, non eam frustrà Christus veritatis magister nobis commemorasset, vbi docet quonam ritu orandum in templo, vt verè cum illo Euangelico publicano iustificemur. Quemadmodum enim non frustra cæcis manum imposuit, oculos suo sputo & limo liniuit, atque tandem etiam aqua Siloë abluendos mandauit: ita nullus, nisi Lucianicus quis-

piam, aut Epicuri de grege porcus istas à Christo commendatas, & in exemplum traditas rideat, aut subsannet ceremonias.

CAP. XXXIX. Remedia expiãdis leuioribus peccatis idonea 12. demõstrantur.

Sed nũc expendamus an remedia peccatis leuioribus, quæ ex Petro Pal. 12. aduersarij colligunt, verè id præstét, nec ne.

1 Digna Communio.

Digna Communio. d. 2. Cùm omne. Cùm S. Eucharistia ad vitá cedat dignè sumentibus, an ne morbos sanet, ac infirmitates curet, quæ vitam adfert? Verè igitur Catholici D. Ambrosiũ imitati dicimus, Accipe quotidie, quod quotidie prosit.
» Rursus, Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est,
» quia sub peccato sumus: Medicina est cæleste & venerabile
» Sacramentum.

2 Aquæ sacræ aspersio.

Aquæ benedictæ aspersio. De Consecrat. dist. 3. Aqua, sale. De huius consecratione mox dicetur prolixius. Verùm cùm ex Christi fide, & oratione illa solemni, Asperges me Domine, aspergatur fidelibus, an Christianæ suæ fidei, qui meminerit, inficias iuerit aliquid vtilitatis pia ex oratione fidelibus prouenire?

3 Eleemosynarũ largitio.

Eleemosynarum largitio. De Pœnit. Dist. 15. §. Quamobrem. At Christi vox est, Date eleemosynã, & erunt vobis omnia munda. Est ergo Antichristi vox, Eleemosyna nõ mundari peccata. Scitè illud D. Ambr. Dominus, ait, facite eleemosynã (inquit, Com. ad Philipp. 4.) & ecce omnia munda vobis sunt.
» Quàm ergo gratum opus Deo, quod omnem animi maculá
» tollit, omnesq; sordes emundat: vnde paulò antea dixerat,
» eam apud Deum acceptam fieri, quasi placidum sacrificium.

Daniel. 4. Ecclesiast. 3. & 29.

An non Dei vox est, Peccata tua eleemosynis redime. Rursus, ignem ardentem extinguit aqua, ita eleemosyna resistit peccato: siue vt nunc Græca legunt ἐξιλάσεται expiabit peccata, & pacificationẽ, propitiationemq; cõciliabit peccatis. Et iterum, Reconde eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te exorabit ab omni malo. Sed hæc verbi Dei testimonia, isti Anonymi Confessionistarum patroni, qua sunt religione, pro nugis, si Christo placet, ducere audent. Certè mala fide, pudendaq; oscitantia ipsos hasce, quas blasphemi dicunt, nugas contexere, inde pio lectori fiat perspicuum, quòd hîc partim dissimulát, imò de industria perfidioso silentio nituntur ob-

Mala fide aduersarij veritatem agnitam dissimulant.

ruere

ruere aureum illud Caput Gratiani, Quamobrem. Vbi Hieron. illud Danielis, Peccata tua eleemosynis redime, allegat, vt quod nos docemus astruat. Ait enim, Eleemosynis ac misericordia Regis in pauperes sententiam Dei permutandam. An ergo istud expiandorum peccatorum remedium à Theologis rectè dicatur cõfictum? an ea amplius isti effrontes Confessionistarum Causidici audeant dictitare Scholasticos esse commentos? Atqui D. Hieron. ex verbo Dei hoc statuit.

Calumnia in Scholasticos proiecta depellitur.

Quod & illud Gratiani Cap. vel obiter inspectum persuasisset: si generosi isti fuissent ipsum fontem cõsulere dignati, aut saltẽ Gratiani rapsodias intueri. Certè inuenissent apud hunc, quod cæcum ipsorum curasset errorem. Nam eadem Distinct. præclara effulget D. Ambrosij sententia, quæ Scholasticis concorditer varia docet peccatorum delendorum remedia. Medicina misericordiæ (ait lib. de Helia & Ieiunio) tollit peccata magna. Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimimus. Pecuniá habes, redime peccatũ tuũ. Non venalis est Dominus: sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua, vtilis est pecunia: sed pretiosa est misericordia. Eleemosyna, inquit, à peccato liberat: crimina ergo eleemosynis redimuntur. Extat apud Gratianum & aliud verè aureum D. Chrysostomi capitulum, vbi de viribus & efficacia pœnitentiæ loquens, medicamentum fortius, inquit, quod maximè operatur in Pœnitentia, hoc est, nimirum Eleemosyna in pauperes. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum quidem herbas multas accipit, Vnam autem dominantissimam: sic & in Pœnitentia dominantior ista herba & potentior est, & vniuersum ipsa efficit. Audi enim quid dicit Scriptura diuina, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sed nunc & alios ab istis Confessionistarum religiosis patronis irrisos peccatorum delendorum modos perstringamus.

Grat. ex professo docet testimoniis PP. & Scripturarum sententiis plura delendorũ peccatorum remedia, certaque subsidia.

Pœnitẽtia instar medicinæ varia cõplectitur salutariũ herbarũ genera, & pharmacorũ doses.

Eleemosyna potiss. peccata emundat.

Iniuriarum remißio. Lucæ sexto. Euangelium docet esse remittendum, vt nobis remittat Pater. Si ergo remittimus; remittit & nobis peccata: nisi Deus fallere nescius, nos fallere sit dicendus. Sed qua pietate ista colligant aduersarij, hinc colligas: dum mox quintum modum adijciunt,

4 Iniuriarum remissio.

5 *Oratio*, inquiunt, *præſertim Dominica. de,Pœnitent.d.3.§. de quotidianis.* An aliquis pietatis verè Chriſtianæ iſtis Cõfeſſioniſtarum defenſoribus ſenſus ſit reliquus, qui tam manifeſto impietatis crimine ſe ipſi cõtaminant? Chriſtus docet orandum quotidie, vt nobis debita ſiue peccata quæuis dimittãtur. Iſti pro ridiculo, imò, vt ipſi aiunt, pro nugis ducunt remitti oratione hac peccata. Cæterùm, cùm ex Chriſti promiſſo indubia ſpes nobis ſit remittenda ſupplici hac prece peccata, etiã grauiora, an nõ multò maiorẽ ſpem pij cõcipiant de leuiorib. erratulis, & quotidianis lapſibus relaxandis? Sed iſtis Euangelicis ecquid D. Aug. reſpõdeat audi: Oratio dominica, inquit, de Ciuit. 21. cap. 27. delet quidem quotidiana peccata,
„ cùm quotidie dicitur, Dimitte nobis debita noſtra, quando
„ id quod ſequitur, non ſolùm dicitur: ſed etiam fit. Si & nos
„ dimittimus debitoribus noſtris.

Oratio Dominica.

O impietatem iſtorum nouorum Confeſſioniſtarum! Iudaica cæciorẽ, & Turcica prophaniorem, dũ negãt oratione Dominica remitti peccata.

Auguſt. teſtatur orationem Dominicam delere peccata.

6 *Confeßio generalis. Ibidem.* D. Iacobus hortatur, vt alter alteri peccata confiteamur. non ſolùm vt nos mutua confeſſione humiliemus, & peccata agnoſcentes, priſtinæque vitæ pœnitentes emendemus: ſed mutua etiam pro altero prece Deũ nobis placemus. Nam vti Spiritus ſanctus docet, Iuſtus initio accuſator eſt ſui. Qui ſi apud Deum confeſſus, magnam init gratiam, multò magis ſi fratri ſeſe humiliato animo declaret peccatorem, vt pro ſe oret. Nam hęc generalis Confeſſio non fit, niſi cum clauſula illa ſolemni, qua fratrem ſupplex orat, vt pro ſe orare non grauetur. Hinc pulchrè D. Auguſtinus ca. 8. de Pænit. monet iſta continua & aſſidua peccata, aſſidua lauanda confeſſione.

Confeſſio generalis.

7 *Epiſcopalis benedictio ac Sacerdotalis*, ac etiam *monialis*. 14. I. *multi. in fine.* Cùm hæc ſolemnis benedictio præter piam fidelium humiliationem, qua ſeſe peccatores, ſeq. aſſidua indigere diuini auxilij gratia profitentur; habeat etiam Præſulis Chriſtiani pro illis precationem, quis Chriſtianę pietatis non oblitus iſta citra impietatem ridere audeat, aut ſubſannare? Porrò quanta religione atque pietatis fructu olim Epiſcopalis benedictio fuerit expetita, Vnus D. Auguſtinus cum PP. Concilij Carthag. ſatis locuples teſtis fuerit Epiſt. 90. vbi docent non fruſtrà, nec incaſſum Epiſcopos cum benedictione populo

Benedictio Epiſcopalis quidnam pietatis habeat, aut fructus.

bene

bene precari. Origines D. Pauli benedictionem non minorem dicit habendam, quàm fuit benedictio Noë, Sem, & Iaphet, quæ per Spiritum impleta est erga eos, qui fuerunt benedicti. Com. ad Rom. 1. Rursus ibidem. In Spiritu ergo Dei scribit Apostolus, & in spiritu benedicit. Per ipsum ergo spiritum benedictiones capient hi qui benedicuntur ab Apostolo: si tamen digni inueniuntur, super quos veniat benedictio eius.

Deuota pectoris tunsio. De Pœnit. distinct. 3. §. Tres sunt actiones. An non ista mero ex furore sunt profecta, cùm isti externi ritus de pœnitentia interna tam liquidò testentur? Si enim non ficta, sed seria; nō hypocritica, sed piè deuota est pectoris tunsio; verum ostendit; imò accendit animi dolorem, qui non caret fructu veniæ. Cor enim contritum & humiliatum Deus despicere non potest. His nāque religiosis corporis gestibus, pia cordis affectio crescit. Augustinus de Cura, cap. 5. Hinc Origenes rectè docet Prophetas subinde cadere solitos in faciem suam, vt peccata per ruinam pleniùs purgarentur. 8

8 Deuota pectoris tunsio, non minus peccata purgat, quàm cadere in faciem more Prophetarum. Origenes.

Cordis contritio. Antonino parte 3. Tit. 10. cap. 1. §. Quanto. Atqui verbum Dei docet verum esse Deo sacrificium, Cor contritum & humiliatum. Cùm ergo Dei causa doleamus, an nō peccatorum labes eluimus? Certè D. Aug. sacrificio cōtriti cordis credētes testatur mundari. Sacrificium enim Deo Spiritus contribulatus, ac tristis cordis agnitione humiliatus. 9

9 Cordis contritio.

Extrema vnctio. De vnct. cap. vnico. Hanc Catholici ob eximiā remittendorū peccatorū facultatē iuxta Dei verbum ex antiqua maiorum traditione, tum Ecclesiarū obseruatione, tum Conciliorum vniuersalium definitione docemus esse Sacramentum, quod cum Ecclesiæ precibus administrat. Vnde nos Dei verbo fidem habentes credimus, quod D. Iacobus docet, Oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus, etsi in peccatis fuerit, remittentur ei. 10

10 Extrema vnctio.

Qui supersunt duo expiandorum leuiorum peccatorum modi, nimirum *Patientia flagellorum*, & *Quodlibet bonum opus*, prolixa non habent sui defensione opus: cùm Dei verbum doceat flagella Dei patienter ferenda, per quę veluti per ignē Aurum probatur, atq. expiatur, scoriaq. omni homo purgatur, 11

11 Tolerantia crucis & afflictionum diuinitus immissarum.

 tur,

Ecclef. 3. tur. omne quod tibi applicitum fuerit (ait Sapiens) accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.

Sic & D. Paulus contribules ſuos Iudæos ſpe mercedis, quam Deus ſua flagella patienter tolerantibus præparauit, excitans conſolatur. Omnis diſciplina, ſiue caſtigatio, ait, in pręſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet Iuſtitiæ: Quòd ſi fructum Iuſtitię Deus opt reddit flagellis paterna pietate inflictis, & diſciplina rigidiore exercitatis, an nō toleranter ea ſuſtinentibus, ſibiq. quaſi de paterna manu deſtinatis hoc nomine gratulantibus valeant ad minutila olim errata delenda & abolenda? Certè merces locum non habet, vbi venia non fuerit delictorum præcedanea.

12 Bona opera quia ex caritate orta etiā multitudinē operiūt, adeoq. abolent peccatorum.

Iam quodlibet bonum opus hac præditum eſſe prærogatiua, vt leuiora tollat delicta, ſatis ſuperque notum piis omnibus exiſtimo, qui tantam vim ex ſuperioribus piorum operum ſpeciebus vidēt, vt vel ſola eleemoſyna homines ab omni purget offenſa.

Date eleemoſynam (inquit ille veritatis Doctor) & ecce omnia vobis ſunt munda. Quòd ſi poteſt eleemoſyna, an non idem quadam ex parte omnia ad vnum bona opera, cùm ſacrificium ſalutare ſit diſcedere ab omni iniquitate. Certè D. Auguſtinus de Ciuitate Dei præclarè docet omne bonum opus eſſe ſacrificium, quod agitur vt Deo ſancta ſocietate inhæreamus. Quod fieri nequit, niſi quolibet opere bono magis in Dei caritate adoleſceremus, & cum eo ita dixerim, coaleſceremus: per quā caritatem omnia delentur peccata, cùm ea omnia delicta operiat, deleat, aboleat.

Eccleſiaſt. 35. Aug. de Ciuit. Dei. 10. c. 6.

Cyclopica barbariē expugnāt noui Confeſſ. patroni mortalium peccatorū expiationem.

Hunc in modum hoſtili ſua velitatione contra venalium peccatorum remiſſionem defuncti Cyclopici Confeſſioniſtarum patroni, iam ad mortalium expiationem ſubſannandam tranſeunt. Vbi cùm referunt ex Ioanne Keyſerbergio, tribus modis expiari mortalia per Quadragenas, Septenas & Carenas; quas ex Roſario non male explicatas recenſent: magnam ſuam produnt imperitiam, quòd non diſtinguunt inter

Culpa ſemper à pœna eſt diſcernenda in peccatorum explicatum.

inter peccatorum culpam, & pœnam, siue reatum & supplicium. quæ duo esse necessariò distinguenda non solùm res ipsa, & criminum natura, vel Philosophis, ac Iuris peritis Ethnicis perspecta docet: Sed scriptura etiam Diuina, exemplis dudum allegatis disertè tradit.

Peccati mortalis culpam per Sacramēta propriè remitti.

Iam cùm criminis ratio magis sit in culpa, id est, legis Diuinæ violatæ reatu sita, quàm in pœna transgressoribus statuta: nemo tam est apud Catholicos imperitus, qui existimet per Carenas, aut Quadragenas, nedum per Indulgētias, culpam peccati mortalis expiari: quod solùm fit per Sacramentum Pœnitentiæ digna mentis præparatione, contritione, iustoque animi dolore susceptum.

Varij peccatorū relaxandorum modi quidnam efficiant.

Carena.

Isti autem relaxandi peccata mortalia modi per Carenas, id est, quadraginta dierum in pane & aqua ieiunium: per Quadragenas, vel Carentenas, quæ erat austerior ab Ecclesiæ Communione segregatio. per Indulgentias Carenarum, siue stati temporis Pœnitentiam illam certo ritu agendi venias. Isti, inquam, modi peccata mortalia grauioraque crimina relaxandi solùm à pœna, siue à luendo propter Dei offensam supplicio expiant? non item à culpa, siue peccati reatu liberant: cùm ea sit solum, vti diximus, per animi dolorē fide Christi mediatoris; propter Dei offensam excitatam: & Sacramenti vsum remittenda. Adeò autē Indulgentiæ illarū Carenarū, aut aliarū pœnarum Canonicarū non attingunt, nedum abolent peccati mortalis culpam, vt ne venialē quidem culpam remittere doceant præclari aliquot Doctores. quorum opinio ad veritatem non paucis videtur propensior. Vnde & Pius V. suis in Bullis moderatiùs dixit, Citra culpam & pœnam: quod alij effuderant liberaliùs.

Indulgentiæ, aliaq. peccatorum remittendorū remedia, solū pœnas tollunt, nō culpā, ne venialium quidem.

Sic enim paulatim immoderata quorundā Ecclesiæ dispensatorum dissipatio, prodigaq. salutariū veniarū elargitio suū ad modum reuocata, semel ad viuum resecto sordidi quæstus scandalo, pristinā ipsis conciliabit dignitatē: quam ista Ecclesiasticæ Pœnitentiæ per Indulgentias nimis profusas dissolutio eneruauit, atq. iampridē pessum dedit. Verùm his querelis, illisq. disputationibus fortè argutioribus, quàm huic loco congruat, aliò relegatis, restrictè ostēdamus, liquidis vet. PP.

Bullæ indulgētiarū paulatim Romæ castigātur, ne saluberrima peccatorū venia eneruetur diutiùs.

Pœnitētiæ dissolutio vnde.

exem-

exemplis lapſos à percepta in Baptiſmo innocētia certum ad pœnitentiæ genus ſtato tempore concluſum atq. definitum fuiſſe iam olim adactos.

Accurata olim Patribus fuit Pœnitentium cura.

Accuratam admodum fuiſſe in primis lapſorum fratrum, atque ad Canonicam Pœnitentiam, ceu ad alteram naufragij tabulam confugientium habitam rationē, vt variam, quæ etiamnum extant veterum Commentariis teſtantur emblemata: ita hoc potiſſimum illâ pœnitentiū loca demonſtrant, quæ in Canonibus ſuis D. Petrus Taumaturgus (quod admiranda quædam effecerit) dictus Epiſcopus Neocæſarien. eſt complexus, puta Proclauſis, Acroaſis, Hypoptoſis, Syſtaſis, & Metaxis, quæ paucis hic erunt explicanda in ſtudioſorū gratiam, qui admirandam ſuſcipiunt, meritoque venerantur Sacrarum ceremoniarum & Canonum auctoritatem. Proclauſis igitur Pœnitentium fuit extra Oratorij portas, quas obſidebant Oſtiarij, vbi peccatorem à fidelibus ingredientibus flagitare oportet, vt pro ſe orent. Vbi ad quoddam tempus ſua in proclauſi egiſſent Pœnitentes, Iam ad Acroaſin, id eſt, in Auditorium admittebantur, in locum Oratorij, cui Nartheca, id eſt, ferula, quaſi à verberatione nomen fuit Deinde ita exercitatos, dura hypoptoſis excipiebat, quæ à conculcando, ſiue humiliando habet nomen. vbi cum Catechumenis ſtare ſolent. Vnde ad Syſtaſin, id eſt, ad Cœtum fidelium admiſſi, ne vnà cum Catechumenis eſſet tempore ſacrificij exeundum. Paulò poſt ad Metaxin accedebant: qui locus erat piorum à Sanctificatione, ſiue fortaſſis, vti hodie loquimur, à Communione nomenclaturam ſortitus.

Venerādæ olim ceremoniæ lapſis ſiue Canonicè pœnitentibus religiosè adhibitæ.

Quinque Canonicè Pœnitētiū loca ſiue gradus ad reconciliationem.

Vide Micropresbyticon folio 129. Canone 11.

1 Proclauſis.
2 Acroaſis.
3 Hypoptoſis.
4 Syſtaſis.
5 Metaxis.

Vt certa olim Canonicè pœnitentium loca: ita & ſtata eius agendę pœnitētiæ tempora.

Ex hoc pœnitentium diſcrimine piis lectoribus facilè fuerit intelligere, etiam loco cuilibet fuiſſe ſuum quoddam tempus definitum: quod tamen iuxta Epiſcopi arbitrium, vti ex Canone Concilij Nicæni liquet, pro pœnitentium aut languore fuit exigēdum, aut feruore humaniter decurtandum atque relaxandum, ſiue indulgendum. Sicuti enim fuit olim Pœnitentibus certa per illa Canonicæ pœnitētię loca ad priſtinum ſuæ dignitatis gradum aſcendendum: ita & certo annorū ſpacio fuit pœnitētia Canonica olim peragenda. quod eò accuratiùs nobis inueſtigandum ex Apoſtolorum ætate duximus,

Conc. Nicænū Canonicā probat & firmat pœnitentiam.

Origo Carenarum, & Quadragenarum eruitur ex antiquitate apoſtolica.

duximus, quò magis piis omnibus illa Carenarum & Septenarum, siue Quadragenarum origo liqueat perspicua.

Licinij persecutio anno Christi 320.

Licinij Tyranni ætate plurimi Christianorum ob fortunas abreptas, aliáue rerum familiarum pericula non item vitæ cũ discrimine, in sacrilegam lapsi fuêre perfidiam, atque Idololatriam. Hos etsi venia indignos censuerit Concilium illud verè Apostolicum Nicenum: tamen aliquid humanitatis (inquiunt PP. Nicæni, Cano. XI.) ostensuri, statuunt, qui ex animo pœnituerint, habendos triennium inter Audientes, & septem annis aliis inter Pœnitẽtes: duobus autem annis sine oblatione, in sola oratione populo communicare. Alij verò ad decennij pœnitentiam ibidem adiguntur. Hanc Canonicam lapsorum disciplinã Patres Nicæni iustissimis ex causis censuerunt exacuendam atque exasperandam: cùm ex Canone 4. Concilij Ancyrani ætate Marcellini, multò mitius ageretur cum ijs, qui in Idololatriam desciuissent; qua fortè ex causa, & pœna fuit moderatior atque leuior, propter grauiorem eiusdem criminis occasionem. vbi post triennij Pœnitẽtium ad Sacramentorum communionem atque reconciliationem recipiebantur. Hunc igitur in modum florente Christianismo, sub annum Domini 300. vigebat Canonica lapsorum disciplina certo agendæ Pœnitentiæ tempore, aut triennij, aut septennij, aut decennij definita. Vnde Septenas iam colligere licet, quæ Septennij tempore decurrebant. Cæterũ illa, quæ certo ritu fuit à D. Innocentio dudũ instituta, olim dicebatur Septena Innocentij: de qua non est hic fusiùs dicendi locus, vt nec de Palmata.

Varij temporis pœnitẽtia olim præscripta in Conc. Apostol. Niceno primo.

Patres Nicæni pœnitentiã lapsorum exasperarunt & grauarunt magis quã anteriores, & qua de causa.

Septenæ quid.

Septena Innoc.

Palmata vetus est prisci seculi pœnitẽtia, quæ XX. vnum diẽ ieiunij in pane & aqua redimebant.

Quod si pio lectori ad ipsum Apostolorum conscendere vnà nobiscum libeat seculum, haud obscura mihi equidem videre videor vestigiola, quæ indubiam huius Canonicæ Pœnitentiæ stato tempore indictæ atque luendæ arguant originem. Neque enim Apostolorum instituto, atque moribus alienum videri debet; certo statoque tempore Pœnitentes ad deflenda luendaque sua delicta post Baptismi innocentiam patrata fuisse adactos, quũ ex diserta Petri ad Simonem Magum oratione satis eluceat. Pœnitentiam age, inquit, & ora Dominũ. Rectè igitur D. Cyprianus pœnas peccantium esse

D. Petrus pœnitenti Mago imposuit, orationis pœnam.

animaduertendas ſuis mandauit: ne quem temerè ad ſacram reciperent communionem.

Apoſtolorum ætate fuit ſolẽnis certi tẽporis pœnitentia hebdomadaria & menſtrua.

Cæterùm & certi temporis pœnitentiam fuiſſe lapſis, etiã Apoſtolorum inſtituto præfigendam, imponemdamq́. vnus D. Clemens Apoſtolorum diſcipulus, luculenta exponit oratione lib. 2. διαταξῶν ſiue conſtitutionũ Apoſtolicarũ, cap. 15. vbi ita pœnitentiæ formula Epiſcopo præſcribitur. Poſtquàm in peccatum quis fuerit lapſus, eijciendum eſſe Eccleſia: ſed pro eo intercedere debere Diaconos; ad quorum preces Epi-
" ſcopus vbi diſcreuerit an vera ducatur commiſſorum pœni-
" tentia; dignuſq́ue ſit qui in Eccleſiam ſuſcipiatur, στιβώσας
" ἀυτον ἡμέραις νηστειῶν κατὰ τὸ ἁμάρτημα ἑβδομάδας δύο, καὶ τρεῖς,
" καὶ πέντε, καὶ ἑπτὰ, οὕτω αὐτὸν ἀπόλυσον. inueſtigatum diebus
" ieiuniorũ pro peccati merito hebdomadas duas, aut tres, aut quinque, aut ſeptem, ita demum abſolue, ei exponens, quæ peccatori ad reſipiſcentiam, & correctionem erant idonea, admonens vt maneat apud ſe, animo demiſſo ſe gerens deprecetur Dominum, vt ſui propitius miſereatur, dicens: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt.

Pſalmos pœnitentiales fuiſſe Apoſtolorum ætate præſcriptos pœnitentibus legendos: De profundis.

Certè quòd hîc Apoſtolorum voce S. Clemens refert eſſe Pœnitenti certum pœnitentię tempus hebdomadarium, aut menſtruum præſcribendum, haud multum abludit ab illa Septena pœnitẽtia, qua olim Deus Moyſis ſororem Mariam caſtris Iudaici populi propter obtrectationem Prophetæ Dei iniuriam ſimul & inuidam excluſit lepra percuſſam.

Deus Mariæ ſeptem dierũ imponit pœnitentiam.

Certum ergo agendæ pœnitentiæ Canonicæ, ſiue diſciplinæ Eccleſiaſticæ tempus pro peccatorum diſcrimine, cùm ſit & literis diuinis, & ſacris Canonibus præſcriptum; adeoq́; lapſis impoſitum, non diffuſiori opus habent defenſione ſolemnes illæ Canonum pœnitentiæ, lapſis præfinitæ, quam à temporum differentia, rituque vitæ auſterioris maiores noſtri prudentiſſimè appellarunt Carenas, Septenas, Quadragenas: quas cum Eccleſia Catholica pœnitentibus ſuas per Indulgentias imminuit, relaxat, aut indulget, veniamq́ue præbet; nihil ab Apoſtolorum exemplo diuerſum facit: modò diſciplina Eccleſiaſtica, nimia planeq́ue immodica nõ diſſol-

Indulgẽtiarum abuſus rem ſalutarem & apoſtolicã abolere non poteſt.

Nimia indulgẽtia etiã Cypriani ætate fiebãt deteriores.

uatur

uatur aut eneruetur indulgentia. Quam in partem etſi quidam peccarunt immodicè, nihil impius, ſordidusque abuſus rem multò ſaluberrimam corrumpere, nedum perdere poteſt. Quod enim irreprehenſibile eſt, inquiunt PP. Concil. Nicæni, Canone 19. defendit ἐκδικεῖ ac vindicat Catholica Dei Eccleſia, quæ horum Patrū veſtigiis inſiſtens cariſſimos ſuos filios ſalutaribus Pœnitentiæ Euangelicæ, aſperæ quidē hîc, ſed in poſterum ſaluberrimę ſanat, exercetq́ue remediis, meritò vitalibus à D. Cypriano Serm. de lapſ. v. dictis. quò ſui lapſus errata dignè lugentes, pœnamque luentes, priſtino reſtituantur dignitatis loco, vbi ſolitis fruantur cęleſtium myſteriorum deliciis: quibus ſatiati & terrena iſthęc omnia contemnere & immortalia illa æterna, vereq́. beata bona queant ſitire, ardere, poſſidere.

Canones veterū PP. paulatim in vſum vindicādi.

Remedia pœnitentibus præſcripta D. Cyprianus vocat vitalia.

Verùm de pœnitentialium Canonum moderatione, vix eſt vllus iam dicendi locus, cùm diſciplina propè omnis Eccleſiæ iaceat eneruata: potius de ipſorum inſtauratione cogitandum foret. Quibus enim pietas, ac religionis integritas cordi eſt, rigida fortè illa veterū diſciplina diſplicere poteſt, quia his moribus minus congrua: omnino tamen diſplicere non poteſt, cùm ſuperſtitionū malitia, vel prophanitatis confidentia (vti vir doctiſſimus Ioachimus Camerarius, paciſque Germaniæ ſtudioſiſſimus Chronologia in Nicephor. fol. 101. ingenuè agnoſcit) præcipuam exquiſitæ adminiſtrationis ſolicitudinem poſtulet. Rigida igitur veterum diſciplina, lapſis olim præſcripta, ſi à noſtra diſſolutione aliquando in medium, pręcipuè in publica flagitia, notaque omnibus ſcelera reuocetur: maximam ſanè concordiæ inter diſſidentes ſarciendę ſpem afferat: ſi tamen antea ſemel ad viuum reſecta fuerint omnis turpis quæſtus carcinomata.

Inſtaurandi Canones pœnitentiales, nō pecunia diutius redimēdi. potiſſ. in Clericos.

Eccleſiaſticā diſciplinam, Canonicāq́. pœnitentiam ſuadet reuocandā Ioach. Camerarius.

Concordiæ ſarciendę ratio facillima, ſi tollatur abuſus auaritia quorundā harpiarum inuectus.

Sed hæc miſſa facientes ad primariam diſſidij Eccleſiaſtici cauſam de vtriuſque ſpeciei communione pertractandam nunc accingamur, Chriſtum obſecrati, vt quod ſuæ caritatis diuinæ, vnitatis, Euangelicæq́; concordiæ cauſa nobis Chriſtianis fratribus ad vnum omnibus teſtamenti loco reliquit, non diutiùs noxium patiatur eſſe diſcordiæ diabolicæ ſeminarium. AMEN.

Tranſitio ad ſequentē Antith.

ANTITHESIS VIGESIMA.

Cap. xl. Antithesis xx. De cõmunione vtriusq; speciei.

POSTEAQVAM *pios illos relaxandorum atque remittẽdorum peccatorum modos per Eleemosynas, iniuriarum obliuionem & condonationem per orationem aliaque bona opera ex Dei verbo approbatos, imò Christi voce præscriptos derisissent, ac Lucianicè subsannassent, potius quàm refutassent illi delecti Confeßionis Augustanæ defensores, tandem suæ ingenitæ memores grauitatis ad grauißimam ferè omnium controuersiarum delabuntur Antithesin, quam faciunt de Communione Cœnæ Domini sub vtraque specie.*

Callidè attẽperant sua verba noui Confess. quò faciliùs ipsis cũ Caluinistis conueniat.

Verùm ita vafrè sua moderantur, callidéque attemperãt verba, quibus corpus Domini in Cœna accipi subindicant, vt nihil dubitandum sit, quin Caluinistæ sibi magnopere gratulantur istos politicos Consiliarios fuisse adhibitos, qui commodiorem aliquid componendi inter Euangelicos Theologos de Cœna dißidij, alioqui hactenus implacabilis, inuenirent rationem.

Noui Confess. suntLutherani: sed degeneres, in dies ad Caluinũ defecturientes.

Dissidiũ quãtũ inter Lutheranos veros & Sacramentarios.

Vt enim nunc reconciliatio Sacramentariorum siue Caluinistarum cũ Lutheranis isthoc nouorum Confeßionistarum scripto facta est de Sacramentorum numero; vbi inter ipsos factionum magistros fuit capitalis dissensio; ita verba ista de modo præsentiæ corporis Domini in Cœna, si prudenter æstimes, videas nullam superesse de Cœna Domini inter Lutheranos istos, & Svinglianos controuersiam, quæ tamen ira inter Lutherum & Svinglium tanta exarserat, vt alter alterum damnarit hæreticum; neque Lutherus, neque Melanchthon Svinglium, licet obsecrantem, pro fratre sustinuerit in Colloquio Marburgẽ. anno 29. agnoscere. Hanc autem cum Lutheranis concordiam Sacramentarij magna sanè semper astutia captarunt, ac ita Confeßionem Augustanam callidis consilijs immutari impetrarunt, vt in Colloquio VVormatiẽ. anno 57. nihil dubitarint profiteri, imò protestari sese quoque esse eiusdẽ Confeßionis Augustanæ professores: quòd vel Melanchthone iudice procul dubio contra Seueriores Lutheranismi vindices Sneppium, Erasmum Sarcerium, aliosque impetrassent. Istam verò fraudulentam Sacramentariorum stropham, fallendique imperitos conatum improbum Confeßio Mansueldẽ. vbi deprehendisset, meritò verbis plurimis studuit detegere. Causas enim varias reddit fol. 120. cur meritò suspectam habeat doctrinam Sacramentariorum, qui vim faciunt veritati, cùm prædicant, inquit fol. 121. suam de Sacramento doctrinam Confes-

Caluinistæ iactant se Cõfess. Augustanæ, atque eius apologiæ consentire. Vide Ioan. à Lasco.

sioni & Apologiæ Augustanæ consentaneam. Sed hæc prædicatio, inquiunt, tantùm est iactabunda deceptio ad illaqueandos homines excogitata.

Deinde vbi ostendit veteres Sacramentarios Svinglianos & nouos Caluinistas execrabili fallacia ex duobus in speciem aduersarijs dogmatibus vnam farraginem efficere, fraudem nouorum Sacramentariorum detegens, Confitentur, inquit fol. 122. verum corpus, & verum sanguinem Christi in Cœna verè, & essentialiter adesse: sed tamen figurati, spiritualiter & Sacramentaliter, ita vt corpus Christi semper maneat in cœlo ad dexteram patris sedens. Hoc est verbis præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna confirmare, & re ipsa negare.

Execrabilis Caluinistarum fallacia, qua sese iactant Lutheranis cõsentire.

Cùm igitur Caluinistæ execrabili fallendi studio eadem cum Lutheranis loquendi vtuntur formula, scilicet corpus Christi verum adesse in Cœna, verè, & essentialiter, vt aliqua saltem videatur inter ipsos concordia, ecquid monstri latere hîc æstimandum, vbi tam frigidè, tam ambiguè, nulla adiecta discriminis nota, docent corpus Christi cum pane & vino in Cœna exhiberi?

Equidem nihil ambigo si à Germanis Lutheri discipulis nihil ad Caluinismum inclinantibus fuisset hæc doctrinæ formula concepta, quin aliter suam ab aduersaria, quam suo cum magistro Luthero pro hæretica execrantur, distinxisset. Vt vt istud sese habeat, age nos præsentem persequamur excutere Antithesin. Ostensuri ergo vigesimam suæ doctrinæ contra Catholicos Antithesin, Cœnam Domini institutam esse à Christo, aiunt, vt ipsius corpus cum pane, & sanguis cum vino, vniuersæ Ecclesiæ & singulis Christianis, etiam qui non sunt sacerdotes, ad Communionem accedentibus integrè exhibeat, manifestissimis S. Scripturæ testimoniis constat. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

RESPONSIO LINDANI.

HIS apertissimis S. Scripturæ locis tradi quidẽ doctrinã de sacrosancto Eucharistiæ, siue Synaxeos sacramẽto est tam apud Catholicos, quàm Confessionistas indubitatissimum: verùm vt Lutherani ex verbo Dei affirmant cœnam institui, vt & corpus Do. sub pane, & sanguis eius sub vino sumatur, & vt ab oĩbus sumatur: ita Caluinistæ ex verbo Dei istud demonstrari peruicaciter negant. Cæterũ nos, illo posito, quòd

Catholici orthodoxæ Vet.PP. doctrinæ concorditer ſentiũt, neq. panem,neq. vinum ſubſiſtere poſt diuiná Spiritus S.virtute conſecrationem,atq. elementorum commutationẽ (de quo prolixè v. Antitheſi diſputatum eſt) ad præſentem xx. Antitheſin excutiendam eſt veniendum.

Sumunt igitur ſibi Confeſſioniſtæ hîc à Chriſto Domino Cœnam inſtitutam, vt omnibus, etiam non ſacerdotibus, vtraque ſub ſpecie diſtribuatur ſiue exhibeatur: ſed qua id ſibi facilitate ſumunt, eadem nos facilitate negamus. Illi patrum aliquot adducunt teſtimonia: ſed quæ ad inſtitutum nihil faciunt. Quæ namque ex Auguſtino, Hieronymo, Cypriano (de Gelaſio autem pòſt veniet dicendum) adferunt, morem quidem communionis Euchariſtiæ ſuo illo ſeculo vſitatum teſtantur: ſed ita Chriſtum mandaſſe, ſiue inſtituiſſe non affirmant. Aliud ſiquidem eſt illa ætate Apoſtolica factum, aliud ex Chriſti mandato ſic factum. Baptizabant Apoſtoli in nomine Domini Ieſu, circumcidebant Apoſtoli quoſdam baptizatos, radebant ſibi ritu Iudaico caput, immolabant in templo Salomonico hoſtias Moſaicas Apoſtoli: ſed non ex mandato Chriſti. Quemadmodum igitur his ex Apoſtolorum exemplis ineptè quis non minus quàm imperitè colligat, eadem & nunc facienda: ita longè ineptiſſimè iuxtà ac imperitiſſimè concludunt arguti Confeſſioniſtarum patroni, illo ritu nunc eſſe neceſſariò, & quaſi ex Chriſti Domini mandato S. Euchariſtiam populo Chriſtiano diſtribuendam, quo ab Apoſtolis fuit exhibita populo atque diſtributa.

Chriſtum non mádaſſe vt ſub vtraq.ſpecie accipiatur S. Euchariſtia.

Verùm priuſquam de vario huius S. Euchariſtiæ populo diſtribuendæ ritu agamus fuſius, paucis eſt demonſtrandum, non eſſe à Chriſto Domino mandatum, vt vtraq. ſub ſpecie à populis ſumatur: ſiue Cœnam non eſſe à Domino inſtitutam vt populis ſub panis viniq́ue ſpecie exhibeatur. Etenim ſi omnibus omnino Chriſtianis Chriſtus Dominus mandaſſet S. Euchariſtiam vtraque ſub ſpecie diſtribuendá, non licuiſſet vnquam vlli alteram tantùm exhibere. Atqui non ſolùm ægrotus vbique gentium vna tantùm ſub ſpecie

fuit

fuit exhibitum, vti in Panoplia luculentis Serapionis & Simeonis illius Stilitæ viri admodum pij exemplis commonſtrauimus: ſed ipſo etiam Chriſti Domini facto; qui teſtibus Chryſoſtomo, Auguſtino, Beda, Theophylacto, & Euthimio ſuis in Emaunte diſcipulis; Rurſus, vti D. Hieronym. in Catalogo aſſerit, D. Iacobo Apoſtolo vna ſub panis ſpecie ſuum ſacroſanctum exhibuit corpus. quorum teſtimonia ſi quis deſiderat, Panopliam conſulat lib. quart. capit. 56.

A Chriſti Do. exemplo.

Hoc præclarum Chriſti Domini factum, quò verborum eius, quibus illam cœnam inſtituit, nullus contingat interpres certior aut illuſtrior, D. Paulus imitatus ſuis Corinthiis ſcribens, perſpicuè docet, nihil ſeſe hac de re (id eſt vtrum ſub vna, an vtraque ſpecie corpus Domini populo ſit ſumendum) definijſſet. diſertè namque ait, Quotiescunque manducabitis panem hunc, vel calicem Domini bibetis. Cùm hîc diſiunctiua vtatur, planum eſt licuiſſe vel panem edere, vel calicem bibere. Verùm hunc diſpenſandæ S. Euchariſtiæ modum ſuo videtur ſeruaſſe aduentui: quando & alia eiuſdem Sacramenti myſteria erat ordinaturus. quemadmodum D. Auguſtinus Epiſtola 118. colligendum docet.

A D. Pauli monitis.

Cæterùm ſub vna panis ſpecie Apoſtolicis illis diſcipulis ſubinde communicatam fuiſſe S. Euchariſtiam D. Lucas haud obſcurè ſignificat. Erant, inquit, communicantes in fractione panis. Hunc ritum fuiſſe & in Antiochena Eccleſia aliquando obſeruatum D. Ignatius videtur Epiſtola ad Epheſios indicare.

Ab Apoſtolicorum virorum moribus.
Anno 100.
Anno 160.
Anno 200.
Anno 260.
Anno 300.

Ad hæc D. Auguſtini & Hieronymi, adeoq́ue Cypriani & Cle. Alexandrini ætate licebat paſſim per Africam & Italiam corpus Domini in Eccleſia acceptum domum deferre, & certum in tempus ſeruare ſumendum: quemadmodum exempla pij viri Satyri, & aliorum clariſſimè conuincunt, qui nauigaturi in naufragij periculum de more tunc publico ſibi de vitæ æternæ proſpicere ſolent viatico. Teſtatur enim diuus Ambroſius Oratione Funebri

Vide D. Hiero. cõtra Iouinianum & Epiſt. ad Theophilũ.

fratrem

fratrem suum Satyrum nondum nostris perfectioribus mysteriis initiatum naue scopuloso vado illisa ab his, quos initiatos cognouerat, diuinum illud poposcisse Sacramentum, vt fidei suæ consequeretur auxilium. Quod vbi orario ceruicibus innodato inuoluisset, sese in mare deiecit præcipitem. Solent igitur Christiani mare traiecturi sese hoc cælesti munire viatico, quod non vtraque, sed panis tantū specie licuit commodè, tam longo itinere transuehere. Ita & D. Bernardum suis religiosis corpus Domini vnà sub panis specie communicasse testatur Abbas Wilhelmus in eius vita lib. 1. cap. 12. quemadmodum & per Angliam Beda morem fuisse ante annos circiter 1000. refert lib. 2. cap. 5. Et Constantinopoli ætate D. Ioan. Chrysost. ex Nicephoro & Zozom. ita subinde factum fuisse illa matrona suo facto demonstrat, quæ Macedoniani dogmatis fermento imbuta, ne suo à marito Catholico repudiaretur, Catholicam sumpsit communionem: sed cùm loco panis sacri de altari accepti suum prophanum, quem domo attulerat panem vellet edere, hunc in lapidem sensit conuersum. Non ergo de calice biberunt omnes laici: quum illa Macedonij discipula nō potuisset hic communionem simulare. Ad hæc ne quis hanc sub vna communicandi speciem consuetudinem nouitiam reputet, videre est in antiquissimis Ecclesiis, vbi ex Apostolorum ætate ritus sub vtraque specie communicandi etiamnum obtinet, sub vna tantum specie ex Apostolorum traditione baptizatis dari S. Eucharistiam: quando à fonte S. ad altare accedunt, quemadmodum apud Æthiopas vel hodie obseruari testatur Sebast. Munsterus Cosmographia de Presto Ioanne. His aliisque testimoniis liquidò demonstratur non esse à Christo Domino mandatum S. Eucharistiam omnibus vtraque sub specie exhibendam. Nemo enim (vti D. Augustinus Epistola 118. ad Ianuarium ait) hunc morem variasset, si Christus Dominus hoc metuisset, aut disertè sub vtraque specie sumendum instituisset. Quod vt negare diutiùs Confessionistæ non valeatis, agite vestri nunc magistri Lutheri verbis vos conuincamus. Scribit is in libro quem vos Confessionistarum patroni in primis pro Euangelico ni fallor, veneramini, cui titulum

Panis in lapidē conuersus.

[Margin: Nō oēs semper in Oriētē atque Æthiopia vtuntur vtraq. specie ex Apostolorū traditione.]

[Margin: Lutherus fatetur Christum non mandasse omnibus vtrāque speciem sumendam.]

lum

lum superbissimè fecit de Capti. Babylonica; verba Christi Domini apud Ioannem, Nisi manducaueritis & biberitis, ne syllabam quidem vnam de Sacramento Eucharistiæ habere. Rursus libro ad Bohemos scripto, Quoniam pulchrum quidem esset vtraque specie vti, inquit, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præceperit, prętaret pacem & vnitatem (quæ vtique præcepit) sectari, quàm de speciebus contendere. Idem planè docet in declaratione S. Eucharistiæ, nō esse porrigendam vtrāque speciem, nisi in Concilio generali ita mandaretur.

O vtinam Lutherani hîc sui magistri verissimam vel tandē audiant morigeri vocem!

Philippus Melanchthon adeò persuasum nō habuit mandatam esse Dei verbo vtriusq. speciei communionem, vt inter adiaphora, siue inter res medias censuerit, vti vel vna, vel vtraque specie. Sicuti edere suillam (inquit, loquens de Eucharistia, in Hypotyposibus suis Theologicis; quas posteà recognitas, varieque recoctas locos appellauit communes) aut abstinere à suilla: sic altera Signi parte vti, medium est. In hác sententiam non paucis viris doctis persæpe hac de re grauiss. interpellatus vtriusque speciei communionē inter adiaphora esse censendam respondit.

Philip. Melāch. negat vtriusque speciei communionem necessariam: sed adiaphorā ideoq. non mādatam.

Ita & Colloquutores in Colloquio Ratisponensi, Bucerus & socij consenserunt receptam illam vnius speciei communionem esse porrò retinendam, ita tamen vt liberum faceret Ecclesia Eucharistiam vna vel vtraque specie sumendi.

Bucerus & Colloquutores Ratispon. negant necessariam vtriusq. speciei cōmunionem.

Cùm igitur vel magistri vestri ô noui Confessionistarum patroni, imò vti iactatis Apostoli vestri Lutheri testimonio Christus non mandauerit, neque præceperit esse S. Eucharistiam vtraque sub specie accipiendam, non mirum est variū fuisse S. Communionis vsum. Nam si Christus Dominus ita fieri præcepisset, vt vtraque sub specie ab omnibus acciperetur, nullus fuisset tam temerarius, & vti D. August. ad Ia. epistola 118. in re simili ait, audax qui hunc agendi modum aut omisisset, aut immutasset.

Verùm quia Christus sui Sacramenti & sumendi vsum, & distribuendi ordinem totum suis Ecclesiæ suæ seruis præpositis præscribendum commisit, quibus & totam suam Ecclesiam credidit; hinc factum vt vario ritu passim fuerit populo

exhibitum: nunc vtraque, nunc altera; ſicuti & aliquádo ieiunis, aliquando cœnatis: rurſum aliquando licuerit omnibus & vtramque, & alterá ſumere: Econtrario aliquando nó licuerit alteram ſumere, ſed vtramque oportebat ex cauſa ad tempus ſumere. D. Hieron. & Auguſt. ætate omni vacabat reprehenſione, qui aut vtramque accipiebat, aut alteram: vti vel vnum Satyri Romani, D. Ambroſ. fratris exemplú euincat. Paulò poſt, D. Leonis atque Gelaſij ſeculo ſacrilegium fuit habitum alteram tantùm accipere propter nouam D. Leonis atque Gelaſij legem, qua cótra ſacrilegas Manichæorum abominationes ſeueriter admodum fuit cautú, ne quis ſub vna tantum panis ſpecie Sacroſanctum auderet accipere corpus Dominicum: quod & lex illa Gelaſij ab aduerſariis recitatá confirmat. C. Comperimus. diſt.3.

Quod ergo ante Manichæorum hæreſim, quæ à Calice Domini propter apertam naturæ humanæ, veriq́ue ſanguinis (quæ iſti miſeri in Chriſto negabant) teſtificationem, licebat Chriſtiano populo: nimirum vt vel vtraque, vel altera ſpecie S. Euchariſtiam acciperent, vigente eadem hæreſi per leges paſtoris Eccleſię cùm Leonis, tum Gelaſij non licuit. Ex obita autem eadem hæreſi, populo ſuam priſtinam ad libertatem redire licuit.

Vnde factum eſt, vt & per Germanias, Galliaſq́ue in annum vſque Chriſti 1200. vtraque ſub ſpecie paſſim corpus Domini à populo acciperetur. Verùm intereà & paſſim plurimi vna fuêre S. panis ſpecie contenti; alteram aut non requirentes, aut certa ex cauſa, non quidem ſuperſtitioſa, ſed legitima à Calicis vſu abſtinentes, quemadmodum ex D. Bernardi vita & Anglorum hiſtoria dudum indicauimus.

Apud Græcos, Armenos & Moſcouitas etiá vnius ſpeciei cómunio ſubinde locum habuit.

Neque verò eſt, cur hîc Confeſſioniſtarú defenſores tantopere vrgeant Græcæ Eccleſiæ vſum, in qua vtraque ſpecies ſumitur, vti ex Gloſa probare videntur: cùm & in Arabia, & Armenia idem vigeat mos, ipſaq́ue, heu nimium vicina, Moſcouia atque Lithuania.

Sed & apud iſtos, vti dicere cœpimus, hoc eſt in Occidentali Eccleſia, haud raró vnius ſpeciei Communio locum iam pridem

pridem habuit, adeò vt & à Noruegiis fuerit ab Innocentio 8. concessum, vt Calicem Domini in mysteriis sine vino (quod Volateranus ait lib. 7. Geograph.) sacrificarent. Ob immensa frigora, inquit, vinum in eam regionem importatum acescit: cuius rei causa legatio missa. In tanta autem vini & raritate, & caritate non omnes vtraque specie fuêre vsi.

Apud Noordtvvegos fiebat cùm sacrificium tam cōmunio sine vini specie.

Donec igitur funestus Berengarij error Galliam, vicinasque prouincias suo inficeret contagio, populis liberum fuit aliquando vtramque, aliquando alteram sumere. Qui ritus vna sub S. Panis specie communicandi tam diu fuit citrà cōtrouersiam toleratus, atque in laude positus, donec apud Bohemos quidam illum, ceu mandato diuino contrarium, temerè audebant damnare; quorum sacrilegam temeritatem Sacrosanctum Constantieñ. Consilium retudit atque profligauit.

Quando controuersia vtriusque speciei orta.

A vero etiam longè abesse videtur, quod imperitè admodum quidam nugatores inuidiæ suos in Pastores conflandæ causa tunicato popello persuadere conantur, prohibitū fuisse Concilij Constantieñ. decreto vtramque speciem laïcis communicandum: sed tantùm declarauit S. Synodus non esse omnibus necessariam; quod apud Pragenses pastor Iacobellus Saxo omnium primus obscurissimi iuxtà ac leuissimi hominis Petri Dresdeñ. argutiis illusus orbi proponere non dubitauit.

Proinde Confeßionistarum Antithesis hac de doctrina Catholicis opposita vtrùm maiore laboret inscitia, an maleuolentia, seu potius calumnia, haud facilè discernas. Papistæ hanc Euangelij maiestatem, inquiunt, impiè & petulanter violantes alteram Sacramenti huius partem, sanguinem videlicet Domini, crudeliter subtraxerunt.

Cap. XLI. An prohibita laicis vtriusque speciei communio per Conc. Constantieñ.

Responsio Lindani.

Mvlta his pauculis in verbis, vos nouelli Confessionistarū patroni, si verū citra offensionem dicere licet, peccatis, manifestæq. conuicti tenemini vanitatis. Neq. enim vlla lege, vllóue mandato laicis cōmunio calicis est prohibita, nedū,

quod inuidiæ cauſa, pacis odio perciti, exaggeratis immodicè, crudeliter ſubtracta. An non & hodie per Orientem & Aquilonem noſtrum apud Moſſchos, vicinoſque Barbaros licet vtraq. S. Panis & Sanguinis ſpecie populo vti Chriſtiano? An vllus mortalium vnquam Græcos, aut Armenos accuſauit impietatis, aut Schiſmatis, quòd vtramque S. Euchariſtiæ ſpeciem ſuo veteri ex more ſumere pergerent? Qua igitur fronte, quonam ore, adeò manifeſtarium, adeò impudẽs euomere audetis mendacium? Quænam, obſecro, crudelitas, vti „ tragicè fingitis tragœdiæ iſtius Choragi infeliciſſimi, intentata vnquam aut Italis, aut Siculis, quòd vtraq. ſub ſpecie S. „ acciperent Euchariſtiam, etiam poſt Concilij Conſtantienſis Canones editos, atque vbique gentium promulgatos?

Nō fuit prohibita vtriuſque ſpeciei communio Conc. Conſtantieñ decret.

Manifeſtis calumniis nos oppugnant aduerſarij.

Quod namque ſuperioribus verbis ſubtexitis, non minus fœda, quàm factioſa contaminatum eſt calumnia, cùm dicitis, Catholicos contra manifeſtam Chriſti inſtitutionẽ (quod dudum eſt refutatum) contra diuina ac humana iura (quod falſum eſt demonſtratum) conſtituiſſe, vt vna tantùm Sacramenti pars admittatur laicis, non integer vſus.

Iſtud enim pernegamus, imò contrarium viuis docemus, adeoque euincimus exemplis, per Orientem, & Aquilonem quotidie citra vllius reprehenſionem in oculos incurrẽtibus.

A vero enim alieniſſimum eſt, quod improbè confingitis, conſtitutum eſſe à Catholicis, vnam tantùm Sacramenti partem eſſe laicis admittendam, non integrum vſum: cùm in hunc vſque diem laici plurimi vtramque partem Sacramenti, ſiue vtramque ſpeciem irreprehenſibiliter laudabili ſuorũ maiorum conſuetudine percipiant. Imò in ipſa adeò vrbe Roma de Martini V. manu poſt Concilij Conſtantien. decreta pij laici vtramq. Sacramenti ſpeciem acceperunt, quẽadmodum R. D. Henricus Raltiſeñ. Archiepiſcopus Nidroſien. oratione contra Bohemos in Concilio Baſilienſi habita conteſtatur. Neque id piis omnibus difficilè fuit ex Conc. Trident. actis intelligere, non tam agi de ſpecie vtraque, vel altera: quàm ex quanam opinione vtramque nunc poſtulent Germani: puta an omnibus ex Chriſti mandato vtraq. ſpecie ſit vtendum. Verùm vt ſuum ſtabiliant iſti Confeſſioni-

ſtarum

ſtarum delecti defenſores mendacium, quod vnum propè atque ſingulare tanquam pomum illud Eridis, iſtas exitiales Germaniæ heu miſeræ dedit tragœdias, verba Concilij Conſtantieñ. adferre non puduit. Subtexentes namque ſuperioribus, Sic enim decretum fuit, aiunt folio 162. in Conſtāt. Concilio, Seſſ. 13. licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis & vini hoc Ven. Sacramentum: tamen hoc non obſtante, Sacrorum Canonum auctoritas, & quæ ſequuntur. Si tam fuiſſet iſti Conſiliarij Politici atque Theologi huic ſcripto Cæſareo concinnando delecti pacis Euangelicæ, publicæque tranquillitatis ſtudioſi, quàm vanæ contentionis, nullo ſanè negotio acerbiſſima iſthæc diſſidia licuiſſet componere, atque ſemel conſopire. Si enim Principibus Sacriq. Imperij Ordinibus candidè exponere viſum illis fuiſſet, quiſnam fuerit iſtius cõtrouerſiæ in Concilio Conſtantieñ. ſtatus; & quid hac de re in Concil. Tridentino definitum, perfacilè fuiſſet nõ modò verum germanumque decreti Conſtãtieñ. de communione ſub vna ſpecie ſenſum aſſequi; quod nihil habet aut Euangelio aduerſum, aut piæ maiorum conſuetudini contrarium: ſed ſolidam optatæ omnibus cõcordiæ etiam inuenire rationem. Nos igitur hęc eò perſequemur fuſiùs, quò veritate liquidò expoſita perſpicuum candidis lectoribus, paciſq. Euangelicæ amatoribus fiat, per Catholicos minimè ſtare, quò minus quàm primũ pax coëat, beataq. omnibus redeat animorum vna in Chriſti fide concordia, & pia Eccleſiarum ſacrilego ſchiſmate diuulſarum cõciliatio, veraq; in vero Chriſti Ieſu Euangelio conſenſio.

Quàm facillima Eccleſiarum conciliatio in hac cõtrouerſia

Cùm publica ex conſuetudine Eccleſiæ Catholicæ, ſanctiſque maiorum moribus introducta paſſim per Europam ante annos circiter 150. populo Chriſtiano ieiuno S. Euchariſtia diſtribueretur vna ſub panis ſpecie, quidnam in Bohemia nouandi vetera libidine concitati, ac præcipiti temeritate inſtigati non ſolùm noua forma, inuſitataque Calicis communione eandem populo diſtribuere: ſed etiam cœnato, aut probe ientato impartiri audebant, priſtinam illam, publicãq. populi conſuetudinẽ improbantes, atq. ceu illicitam, adeoq.

Status controuerſiæ de Communione S. Euchariſtiæ temporibus Conc. Conſtantieñ.

ſacrilegam damnantes. His nouis opinionibus, temerariisq́. nouatorum aliquot auſibus Conc. Conſtá. occurrere ſatagés, definit illam conſuetudiné, quæ tunc legis vim apud eos, vbi iam pridem inualuerat, obtinuiſſet, non eſſe improbandam, nedum ſacrilegam; neq. priuata quorundam temeritate ſiue Eccleſiæ auctoritate pro libito mutandam.

Iſtum con tro uerſiæ tunc tranquillum orbem Chriſtianũ potiſſ. concitantis, atq. procellæ in modũ horribiliter quaſſantis, ſtatum veriſſimũ agnoſcet, quiſquis illud Conſtant. Conc. decretum candido animi nulla anticipata opinione occupati iudicio expendere non grauabitur.

Non ergo generatim conſtitutum fuit, non debere populum Chriſtianũ vtraq. ſub ſpecie S. accipere Euchariſtiam: ſed tantùm non eſſe ſacrilegam conſuetudiné, vti nouatores illi Bohemi aliquot ſuo cũ Huſſio gratilabant atq. garriebant, ſi vna tantùm panis ſpecie populus ex maiorum cõſuetudine S. Euchariſtiam, quę verum Domini & corpus & ſanguinem cõtinet, acciperet. Hoc cum decreto nihil igitur pugnat laudatus Græcanicæ, aut Armenicæ, aut Moſcouiticæ Eccleſiæ mos, qui in hunc vſque diem populo Chriſtiano vtraque ſub ſpecie S. adminiſtrat Euchariſtiam; neque illi quicquam eſt derogatum aut detractum: adeò vt ne Romæ quidem laicis vel poſt huius Conc. decreta fuerit Communio vtriuſq. ſpeciei negata, vti dudum luculentiſſimo R. D. Archiepiſcopi Nidroſienſis teſtimonio eſt demonſtratum.

Laudatur igitur illo aureo Conſtant. Concilij decreto vetus mos maiorum conſuetudine per Germaniam, Galliam, Bohemiam, Hungariam, aliaſque Europæ prouincias iam pridem receptus, publicoque exemplo paſſim obſeruatus: qué nouatores Bohemi ceu illegitimum atque adeò ſacrilegum temerè damnabant.

Proinde falſi crimine non vacat, quod iſti anonymi Confeſſioniſtarum defenſores affirmant, Catholicos illo in Conc. conſtituiſſe vt vna tantùm ſacramenti pars admittatur laicis, non integer (inquiunt fol. 162.) eius vſus.

Nam de integro Sacramenti Euchariſtię vſu non tam agebatur, quia alibi etiam tunc, vti & hodie, obtinebat; quàm de neceſſi-

neceſſitate,diuiniq; mandati obligatione vtriuſq. ſpeciei ſumendæ, quando Sacrum accipitur Euchariſtiæ Sacramentũ.

Siquidẽ in nonnullis mundi partibus(ait Conc. Conſtant. decretum 13. ſeſſ. indicans ſeſe non damnare vtramque ſpe- "
ciem laicis dari, vbi veteri ex more fiebat, nedum laicis hoc "
decreto auferre) quidam temerariè aſſerere præſumebãt po- "
pulum Chriſtianum debere Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie panis & vini ſumere : quod ipſo facto paſſim priuata ſua auctoritate contra publicam conſuetudinem legis vim obtinentem,citra legitimam Eccleſiæ auctoritatẽ illi factitabant. De hac ergo neceſſitate ſub vtraque ſpecie laicis Euchariſtiam communicandi Concilium Conſtantieñ. agit, oſtendens poſſe quidem , & legitimè poſſe , laicis vtraque ſub ſpecie Sacram communicare Euchariſtiam , non quidem priuata quorundam nouandi temeritate, ſed ex Eccleſiæ auctoritate: quam illi audaculi nouatores contemnentes,ſibiq; plus nimio ſumentes atq.ſuperbè arrogantes,populo contra receptam,vetuſtam, laudatamque conſuetudinem Sacramentum Euchariſtiæ diſtribuebant tanta cum opinionis neceſſitate,vt qui vtraq. ſub ſpecie nõ acciperent,ſed tantùm ſub altera,illicitè,adeoq; ſacrilegè agere audaces pronũciarent. Iſtorũ verè ſacrilegã audaciam retundit SS. Concilij uniuerſalis auctoritas, populũ Chriſtianum priſca ex conſuetudine S. Euchariſtiam vna ſub panis ſpecie accipere ſolitum conſolans atq. confirmans, ne improborum vocibus perſuadeatur illicitum,aut ſacrilegum eſſe vna contentũ Sacramẽti ſpecie Sacroſanctam accipere Euchariſtã: firmiſſimè credendum,inquiens,nullatenus dubitãdum integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis,quàm ſub ſpecie ſanguinis veraciter contineri.

Quod indubitatiſſimũ Chriſtianæ,veræq; Euãgelicæ fidei dogma,qui firmiter fide tenet Chriſtiana,non anxius de alterutra rixabitur ſpecie. quando integram Euchariſtiam, id eſt ipſum vitæ, gratiarumque vniuerſarum fontem viuum totũ Chriſtum, tam corpus, quàm eius ſanguinem, alterutra ſeſe ſpecie accipere habet perſuaſum. Iam an vtraque, an altera tantùm : rurſus an tantùm panis, an tantùm vini ſpecie ſit

ſumen-

ſumendum,pius quiſq. ſui memor loci ſuis relinquit Paſtoribus conſtituendum,quos Chriſtus Do. ſuæ menſæ communicandæ,filiisq. familias diſtribuendę voluit relinquere arbitros, ſicuti & totius ſuæ Eccleſiæ gubernandæ præficere adminiſtros.

Quò igitur maioré illorũ nouatoré venerandi PP. Conc. Cõſtantieñ. orbi demõſtrarent improbitaté, audacemq; nimiam temeritaté, qui vnius ſpeciei cõmunioné damnabant ceu ſacrilegam,aut illicitam, definiunt nouam iſtam opinionem,pertinacemq; eius aſſertionem verè eſſe hæreticã,quòd vetuſto Chriſtianorum dogmati, liquidoque totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſui tam longo vſu diutiſſimè cõfirmato aduerſaretur,atque contraria deprehenderetur.

Damnatur ergo Conc. Conſtantieñ.decreto illa temeraria nouatorum aliquot doctrina,quòd neceſſe eſſet populum Chriſtianũ vtramq; S. Euchariſtiæ ſpeciem ſumere,non verò definitum eſt laicis vnã tantùm Sacramenti partem eſſe admittendam;cùm & laicis poſteà,ſicut pridem ſemper licuerit vtramq; accipere,vbi priſtina ex conſuetudine fuit vſitatum. vti per Orientem fit hodie,& apud Gręcos,adeoq; Romæ factum legimus poſt Conc. huius Conſtantieñ. definitionem. Imò diſertis verbis PP. Conſtantieñ.Concilij definiunt licere laicis, etiã vbi abolita fuit maiorum more vtriuſq. ſpeciei Communio,vtramque accipere,non quidem priuata,ſed publica Catholicæ Eccleſiæ auctoritate. quod & Concil.Oecumenicum Trident. apertioribus verbis Seſſ. 22. decret. ſuper Conceſſione calicis definiuit, quàm vt homo ſanus addubitare queat.

Concilium Trident.definiuit poſſe Calicis vſum concedi à Rom Pontif. laicis: quemadmodum & nũc fieri aiunt per Auſtriam & alibi.

Totum namq. negotium Rom.Pont. ſtatuit deferẽdum, qui pro ſua ſingulari prudentia hac in re efficiat, quod vtile Reipubl. Chriſtianæ & ſalutare petentibus vſum calicis fore iudicauerit. Quod iam nunc quidam per Germaniam atque Auſtriam dicuntur impetraſſe.

Proinde cùm in hac Antitheſi de neceſſaria omnibus vtriuſque ſpeciei communione noui iſti Confeſſioniſtarum defenſores non ſolùm perpetuò PP. conſenſui, omniumque ætatum & locorum exẽplis: ſed ſuis etiã magiſtris Luthero, Philippo,

Philippo, Bucero, aliisq. Colloquij Ratiſpoñ. Collocutoribus deprehendatur aduerſari, atque ſine ratione iuſta, ſine expreſſo Dei verbo toti orbi reſiſtere, perſpicuum eſt non eſſe hanc iuſtam diſſidij cauſam, ſed meram calumniam hac Antitheſi propoſitam, Catholicos crudeliter laicis alteram ſpeciem contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem ſubſtraxiſſe. cùm non conſtituerint vti calumniantur, laicis alteram tantùm partem Sacramenti admittendã, non integrum vſum. Siquidem & veteri more vtuntur laici non ſolùm Græci, Armeni, Aethiopes; & dudum Romæ, poſt Concil. Conſtantieñ. decretum vtraq. ſpecie: ſed etiã Lithuani, Moſchi, & Bohemi, adeoq. Germani per Auſtriam, Colonieñ. Moguntineñ. aliaſque diœceſes: quibus ex Concilij Tridentini præſcripto Ro. Pontifex permiſit pacis cauſa vtriusque ſpeciei communionem. Quam nulli negabit nationi, modò non ex errore, neq. pręposterа ex cauſa illam efflagitarit.

Sed hęc nunc miſſa faciẽtes, ad alias, quę ſuper ſunt antitheſes tranſeamus: quæ propterea nobis perſequẽda fuêre fuſius, quòd in huius Antitheſeos Epilogo nomen noſtrum traducere non dubitarint iſti Confeſſioniſtarum delecti, quaſi nos ſingulariter ſacroſanctam Euangelij Dei maieſtatem impiè & petulanter violare, decretumq. Conc. Conſtantieñ. de vtraque Sacramenti ſpecie non neceſſaria propugnare audeamus. Hoc decretũ (inquiunt) prolixè defendere conatur Wilhel. Lindanus, & aſſerit Patres iuſtiſſima de cauſa vnius ſpecie communionem ſeruandam definijſſe. An verò iſtud fruſtrà ſumus conati illo Panopliæ tractatu lib. 4. cap. 56. iudicet modò æquus bonus arbiter, qui non vanis iſtorum clamoribus, futilibuſque coniecturis, ſed ſolidis venerandæ antiquitatis exemplis, indubitatiſque vet. Patrum teſtimoniis fidem exiſtimat habendam.

CAP. XLII.

ANTITHESIS VIGESIMA PRIMA.

Ordinatio ministrorum Ecclesiæ.

QVOD Catholici Ordinationē ministrorum Ecclesiæ in Sacramentorum numerum iuxta piam maiorum nostrorum doctrinam referimus, Anonymi Confeßionistarum Patroni ex verbo Dei putabant reprehendēdum, ideoq́. Antithesi sua 21. ministerium docendi Euangelij & Sacramenta administrandi appellant: quod fatentur locis aliquot scripturæ allegatis ab ipso Christo institutum. De hoc autem nulla est controuersia: vnde quod nos docemus de Ecclesiæ ministris, suis ipsorum verbis iam habemus approbatum.

Cæterùm in Antithesi quod asserunt aduersarij, impias sanè haud minus quàm atroces crepat calumnias: quas vt pius lector plenius cognoscat, & dijudicet, ipsa Confeßionistarum subijcimus verba. Papistæ autem (inquiunt. fol. 163.) contemnentes hoc ministerium certas quasdam & peculiares personas sacerdotijs præficiunt, non quidem vt doceant populum, & Sacramenta administrent: sed vt Missas decantent, &c.

RESPONSIO LINDANI.

Calumnia inuidiæ plenißima.

At cuius obsecro frontis est dicere Catholicos hoc docendi Euangelij, Sacramentaq́. administrādi officium contemnere? An non assiduè apud nos & docetur, & Sacramenta administrantur? Quòd si quidam sunt ignauiores, quidam segniores, suoq́ue genio dulci fortuna ebrij indulgētiores, suo illi Domino stant aut cadunt. viderit qui tales aut præficit, aut præfectos tolerat. Atqui illiberale admodum est, ex quorundam fucorum ignauia totius Ecclesiæ ostendere velle ignauiam atque desidiam. Sunt Confessionistæ, sunt apud Catholicos, & Episcopi & Sacerdotes, qui suo ad vnguem respondere satagunt officio, nulli parcentes nec labori, nec studio. Quæ res solis luce clarior cùm sit. ecquid opus est faces illustrando soli frustrà accendere? Porrò quod aiunt certas quasdam personas Sacerdotiis præfici, non ad docendum & Sacramenta administrandum, dubites candide lector, maioríne sit coniunctum cum inscitia an malitia.

Nullus enim ordinatur Sacerdos, nisi in adiutorium Episcopi sui, ad exemplum 70. Seniorum, quos Moyses Dei iussu sibi

ex

ex populo allegerat Senatores. quemadmodum diſertè Ordinandos commonet ante conſecrationem Epiſcopus, non ad otium, non ad luxum, non ad faſtum, ſed ad laborem docēdi, onuſque Presbyterij eſſe aſſumēdos. Archidiaconus enim delectos Diaconos Epiſcopo pręſentat ad onus, inquiens, Presbyterij Ordinandos.

Presbyterorum partes apud Catholicos admodū graues: qui non ſunt titulares hypocritæ.

Epiſcopus igitur Ordinandos ad ſuum adiutorium electos hortatus, vt in moribus ſeruent caſtæ, & ſanctæ vitæ integritatem, addit, imitamini, inquiens, quod tractatis, vt mortis dominicæ myſterium celebrantes mortificare membra veſtra à vitiis & concupiſcentiis omnibus procuretis. Sit doctrina veſtra populo Dei ſpiritalis medicina, ſit odor vitæ veſtræ delectamentum Eccleſiæ Chriſti, vt prædicatione atque exemplo ædificetis domum & familiam Dei.

Ad docendi labores aſſumuntur ſacerdotes, teſte elogio Archidiaconi, eos, vt initientur, offerentis Epiſcopo.

Deinde antequàm manus imponat Epiſcopus multa præfatus Deum optimum orat, vt virtutibus illis à D. Paulo in abſolutiſsimum Presbyterij Chriſtiani typum Tito atque Timotheo præſcriptis ornati, largiterq. dotati legē Dei die ac nocte meditantes quod legerint, credāt; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur, exemplisq. faciendum præbeant. Ad hæc lecto Euangelio, ſacriſq. rite peractis antequàm dimittantur Ordinati, formulam fidei, quam prædicaturi ſunt, profitentur. Ea autem eſt Symbolum Apoſtolorum. Diſceſſuris deniq. presbyteris iuxta pōtificale Ro. Epiſcopus ſuum exponit officium, admonens ipſos eſſe Epiſcopo adiutores, vt rudes populos inſtruant, baptizando vnitati Eccleſiæ incorporent, & omnia Sacramenta vſque ad manus impoſitionē populo Dei adminiſtrent. Quæ ſi quis prudenter cogitarit videbit & nunc locum in primis habere aureū illum D. Auguſtini threnū, qui extat epiſtola. 148. Nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tēpore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atq. adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deū miſerius, aut triſtius & dānabilius. Itē nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tēpore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.

Docendi partes omnibus preſbyteris impoſitæ quando ordinantur.

Sacerdotes creātur populorum doctores & Epiſcoporum adiutores.

Auguſt. ad Valerium nihil eſſe officio Clericorum difficilius, laborioſius, periculoſius.

Presbyterorū atq. Diaconorum in Dei negotiis cura & periculum, ni officiū faciant.

Hæc diffusius à nobis repetita sunt, vt impudens istorum Apologeticorum redarguatur asseueratio, aut maligna potius retundatur cauillatio. Cùm enim, quod temerè affirmarant, ex Pontificali probandum sibi duxissent, sacerdotes non ad docendum, sed ad Missas celebrandas Sacerdotiis præfici, allegant verba, quibus Sacerdoti potestas datur offerendi atq. sacrificandi. Quæ verba cùm ex alijs Pontificalis ordinationis formulis studiosè delegerint, veteratorieque decerpserint, mirum sanè quonam ausint ore affirmare, certas quasdam personas Sacerdotijs præfici, non vt doceant, aut Sacramenta administrent? cùm nullum illic legerint sacerdotem consecrari, qui non in auxiliũ assumatur Episcopi: hoc est, vti præfatur, sæpiusque admonet Episcopus ad docendum, & donum Dei verbo doctrinæ atq. Sacramentorum communione ædificandum, vt eorum doctrina Dei populo sit spiritualis medicina. Rursus vt rudes populos instruant, baptizando vnitati Ecclesiæ incorporent. Quæ omnia cùm aduersarij legerint in suo, quod recitant pontificali, videt lector candidus qua fide bona noui isti Confessionis Augustanæ defensores suorum Principum agant negotium.

Calumnia aduersariorum in odiũ Ecclesiastici ordinis conficta.

Delectorũ Confessionis Augustanæ defensorum mala fides liquidò demõstrata: quòd vanisſ. nebulis veritatẽ obscurare, piãq. concordiã perturbare gaudent.

Quòd si ex istorum numero quidã sacerdotiis pręficiuntur qui non docent, id nihil ipsorum officit instituto; omnes quod sacerdotes ad docendum creatos dudum admonuit: sed id priuati alicuius ignaui fuci fit arbitrio, aut publica ventricolarum corruptela. Neque enim Canonici, potiss. Cathedrales, vlla putent sese ratione apud Deum, in primis verò per Germaniam, excusari, qui ad docendum, Episcopoq. suo seruiendum præcipuè sunt à Carolo Magno instituti, quemadmodum tabulæ fundationum ipsis in certam (nisi officium melius præstiterint) condemnationem sonant: quas si cui videre est volupè, consulat Albertum Crantzium & suæ quisque Ecclesiæ Archiua.

Canonicorum Cathedralium per Germaniã officium quale, & quàm arduum quod ô vtinam vel tandem agnoscãt cæci cæcorum duces.

Ridiculum autem, quod aiunt lepidi Confessionistarum patroni quosdam creari sacerdotes vt horas Canonicas stentoria voce psallant in tẽplis: nullus enim sacerdos vel ad horas Canonicas, vti garriunt, demurmurandas, vel stentoria voce cantandas, ordinatur. Ista sunt infimorum Ordinum officia, & sacerdotibus

Ridicula imperitaq. Apologeticorum in Ecclesiasticos cauillatio.

dotibus, meo quidem iudicio indigna, cùm ad longè maiora ſint vocati, atque nominatim Epiſcopi iuſſu obligati, vt die noctuq. legem Domini meditātes, quam crediderint, doceāt. Cantare autem & pſallere in Eccleſiis, tam longè abeſſe deberet (ſi ad officium ſuum quiſquè Clericorum præſtandum rediremus) à ſacerdotibus, vt equidem reuocandum ſub anathemate arbitrer illum D. Gregorij Canonem, quo Diaconis prohibetur ſub anathematis, ne nō ſolum modulationi vocis: ſed ne cātui quidē Eccleſiaſtico inſeruiant. Verba Synodi Ro. cui D. Gregorius præſedit, ſic habent: in ſancta Ro. Eccleſia (inquit lib. 4. Epiſt. 88.) cui diuina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſuetudo eſt valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat. Vnde fit plerumque vt ad ſacrum miniſterium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cùm populum vocibus delectat. Qua in re pręſenti Decreto conſtituto, vt in ſede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolumque lectionis Euangelicæ officium inter Miſſarum ſolemnia exoluant: pſalmos verò ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit, & omnes reſponderunt anathema ſit.

Cantare horas an ſit Sacerdotū

Tranſeundum nunc foret ad reliquas Antitheſes, niſi illud obiter admonuiſſe magnū in primis adferret operæpretium, Confeſſioniſtas admodum inconſultò propter hoc doctrinæ caput affirmare ſeſe à Catholica diſceſſiſſe Eccleſia, cùm hinc, dum nos reprehendunt quòd Ordinationem ſacrum facimus Sacramentum, ſuos quoque coguntur & reprehendere Magiſtros, & refutare adeoque deſerere populares non infimi ſanè nominis Proteſtantes Ordines atque non ignobiles Principes. qui conſtanter Ordinationem Eccleſię miniſtrorum pro Sacramento retinent. Quòd autem Philippus Melanchthon Ordinationem Clericorum, ſine miniſtrorum Eccleſiæ pro vero habeat Sacramento verbis ſuis locorum commu-

Nouæ apologiæ Confeſſionis Auguſtanæ auctores magna imprudētia ſeſe iugulare hac in controuerſia: quia plerique Proteſtantium ordinationē Eccleſiæ miniſtrorū habent & obtinēt pro Sacramēto.

nium anno 54. diſertè declarat, dum dicit. Mihi maximè "placet etiam addi (puta tribus Sacramentis, quæ mox enu- "merarat, verboque Dei confirmarat baptiſmum, Cœnam, & "Abſolutioné) Ordinationé, id eſt, vocationé ad Miniſteriũ Euá "gelij, & publicá eius vocationis approbationé: quia hæc omnia "mádato Euágelij pręcipiũtur. Vt ad Titũ, cõſtitue Presbyteros, vt iuſſi: Et eſt addita promiſſio omniũ maxima, & digniſſima co gnitione, quę teſtatur Deũ verè efficacẽ eſſe per miniſteriũ eorum qui voce Eccleſiæ ſunt electi, Ioan. 18. & 20. Eph. 4. Luc. 4. 1. Cor. 5. Deus poſuit in nobis verbũ reconciliationis. pro Chriſto igitur legatione fungũtur, Et mandatum Eccleſiæ datũ eſt vt eligantur miniſtri ſeu Legati tales ad Tit. 1. Eia verè Philippe! iſtá tibi gratulor mentẽ bonam, qua tandẽ cum ætate ſapere diſcis melius, quàm annis ſuperioribus, quũ pullulãte iſto funeſto Lutheraniſmo tantũ duo ſacramenta docebas ex Dei verbo cõſtituẽda. Sic enim locis illis tuis Cõmu. Ann. 21. & 22. nõ editis, ſed per aborſum in lucẽ proiectis garriebas. Duo ſunt autẽ ſigna à Chriſto in Euágelio inſtituta, inquiebas fol. o. 4b. Quo magis miramur quid venerit in mẽtem Sophiſtis, pręſertim cùm ſignis Iuſtificationem tribuerent, inter Sacramenta referre ea, quorum ne verbo quidem ſcriptura meminiſſet. Nam vnde confictus Ordo eſt?

Philippus Melanchthon ex verbo Dei docet Ordinationem Clericorũ eſſe Sacramentum, quod gratiá Dei promiſſam habet coniunctam, ſicuti Baptiſmus & alia duo.

Ex locis Commun. anno. 22. Argentinæ, & anno 23. apud Heruagium.

Duo tantũ ſigna ſiue Sacramenta Chriſtũ inſtituiſſe adoleſcẽs pridẽ docuit Philippus: cuius nũc Palinodiã canit cũ ætate factus doctior.

Iſtum in modũ magiſtrali grauitate adoleſcens tunc temporis Euangelizabas, ſcilicet Carolſtadio tuo tunc non parum ſuffragatus. Quod ergo magiſtellus ignorabas, vnde nunc tandem obſecro didiciſti? Duobus illis tuis ſignis vnde nũc tandẽ quæſo te, & alia duo adieciſti? Ex verbo Dei, inquies, bene habet quòd te cum tempore ſapuiſſe agnoſcas. Si Dei verbum non ex tuo cerebro maluiſſes intelligere, quàm ex cõmuni Catholicæ Dei Eccleſiæ ſententia, procul dubio & reliqua obtinuiſſes, ſiue recepiſſes Sacramenta, nũc impiè abs te abrogata, irriſa, conculcata. Quid ita? quod de ijs etiam nunc deſineres quærere, quod de duobus illis Sacramentis poſtliminio abs te ſuo tandem ordini redditis, vndenam confictus eſt Ordo? inquiebas adoleſcens doctor.

Duobus ſuis ſacramẽtis Philippus nunc & alia duo abortiens peperit: quæ pridẽ garriebat ne verbo quidem in ſcripturis commemorata.

» Et mox, non poſſe vocari ſigna ſacramẽtalia, niſi ea quæ di- » uinis promiſſionibus addita ſunt. Certè ſi verbum Dei nõ tuo

ſenſu,

ſenſu, priuataq. tua intelligentia fuiſſes aggreſſus intelligere, quod omnium hæreticorum eſt propriũ, mihi quidem dubiũ non ſit, quin eadẽ auctoritate ſeptẽ Catholicæ Eccleſię Chriſti Sacramenta obtinuiſſes, qua initio erroris duo, & poſteà quatuor. Qua doctrinæ inconſtantia tantũ non ſeſe orbi prodit tuus ſpiritus minimè Euãgelicus; piis declarãs te nõ Dei verbũ habere tuæ doctrinæ regulã: ſed tuã ipſius prudẽtiam, quæ carnalis D. Paulo eſt dicta. Vnde fit vt doctrina tua non aliud ſit, quã hominũ doctrina: quos Apoſtolus vocat φρενοπάθας Impoſtores ſiue Præſtigiatores atq. τὸν νόυν κατεφθαρμένυς mente corruptos, mala mẽte, malo animo deprauatos. Sanè hoc boni nobis peperit præclara iſta tuæ doctrinæ, ſcilicet Euãgelicę, inconſtãtia, quòd Chriſti oues tuis plus ſatis illuſæ doctrinę varię ludibriis, imò prophanis, vereq. fanaticis præſtigijs maiorẽ faciant ſui ſanandi ſpẽ: quòd nunc, quã initio ad recipiendã Dei veritatẽ accedant paulatim propius, à qua iamdudũ aberrarãt longius. Per Saxoniã enim non pauci iã quatuor (Chriſto Do. gratia) agnoſcũt Sacramẽta: quibus cũ facilè de tribus reliquis conueniat: cũ de maiore Sacramentorũ parte iam ſit facta cõciliatio. Sic enim Luneburgeñ Ordinatio Eccleſiaſtica ſuis ſuperintẽdentibus alijsq. verbi miniſtris ad verbũ præſcripſit.

Vnde Philippo tanta ſui noui Euangelij inconſtantia.

Carnalis ſapientia ſophiſtas omnes & hæreticos infatuat facitq. inconſtantes, & lunę inſtar mutari.

1. Timoth. 6.
2. Timoth. 3.

Magnæ inconſtantiæ fructus quòd paulatim ad ſanitatẽ fiat acceſsio errantium Chriſti ouicularum.

Per Saxoniam paſsim quatuor recipiũt Sacramẽta. vnde magna oritur concordiæ facilioris fiducia.

Poſtquàm ſuperintẽdens ordinandũ ad Eccleſiæ miniſteriũ " officij admonuit, ſolemniq. ſtipulatione obligauit ex formula " Lutheri illìc præſcripta, fol. B. 4. b. Ordinãdi capiti ſuperinten- " dens vnà cum alijs verbi miniſtris manus vnà cùm ſolẽnibus " precibus imponunt dicentes: Oremus. Pater noſter qui es in " cęlis &c. Miſericors Deus Pater cęleſtis, &c. oramus ex animo, " vt huic tuo miniſtro Spiritũ tuũ ſanctũ largiri velis, vt magno " numero tui ſimus Euangeliſtæ, fideles atq. conſtãtes &c. Abi " nunc igitur & paſce gregẽ Chriſti. Deinde adiecta ſolẽni benedictione quæ ſic habet, benedicat vobis dominus vt faciatis fructum multũ. Amen. Sicquidem & Melanchthon & Agẽdę Eccleſiaſticæ per Saxoniam ſiue Lunẽburgeñ. prouinciam auctores de Ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ docent atque ex Lutheri præſcripto faciunt.

Ordinandis verbi miniſtris Lutherani manus imponunt, orant & ſolemniter benedicũt cum S. Crucis ſigno.

Illud penè ſcribẽtis animũ & calamũ effugerat hac Lutheri Ordinationis formula etiamnũ vti Eccleſiã Wittenbergñ.

VVittẽbergeñ. Eccleſia ordinãdo poſt manus impoſitionem

cum ſigno † S. Crucis benedicit.

quæ poſt illam publ. orationem, manuumq. impoſitionem ordinando cum S. ✠ Crucis ſigno benedicit. quemadmodũ videre eſt apud Sebaſt. Froſſcheliũ lib. de ſacerdotio fol. aa. 4.

Ordinationem miniſtrorũ Eccleſiæ veri nominis eſſe ſacramentũ demonſtratur ex verbo Dei. 2. Timoth. 1. Vide Panopliã lib. 4. cap. 76.

Porrò eſſe veri nominis Sacramentũ clericorũ ordinationẽ nũc paucis eſt demonſtrandũ. D. Paulus Timotheũ admonet vt reſuſcitet gratiam Dei, & Donum, quod in te eſt, inquit 2. Timoth. 1. per impoſitionem manuum mearum: quod anteà dixerat, cum impoſitione manuum Presbyterij, hoc eſt, totius Sacerdotum collegij: quo ex loco D. Auguſt. lib. quæſt. vet. & noui teſtam. cap. 93. colligit S. Ordinem eſſe veri nominis Sacramentum. Illum enim locum Ioan. 20. Inſufflauit in eos, pertractans, inſpiratio hæc inquit, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apoſtolus ad Timoth. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuũ Preſbyterij. Idem & locis dudum allegatis affirmat Auguſt. Sacramentum Ordinationis non eſſe iterandum, non magis, quàm baptiſmum, vtrumque enim Sacramentum eſt (inquit lib. 2. cap. 13 aduerſus Parmenia. D. Chryſoſt. hanc gratiã Timotheo per impoſitionem manum presbyterij collatam exponens, vt excitet gratiã Dei, inquit, hoc eſt gratiam Spiritus, quam accepiſti ad Eccleſiæ inſtitutionem, ad perpetranda miracula, ad omne religionis obſequium. Ita & Theophyl. Vide autem horrendum, quantum poſſit impoſitio manuum ſacerdotalium! Similiter & Oecumenius in Com.

Auguſtinus Ordinationẽ pro vero habet Sacramento.

Chryſoſtomus.

Theophylactus

Oecumenius.

Paulus ei manus impoſuit, cùm ipſum Epiſcopum ordinaret ſuper ipſum venit ad ſigna patranda, ad doctrinam, ad Ecſiæ prefecturã. Theodoretus illam manuum impoſitionẽ diſertè exponit Pauli ordinationem. Vt excites gratiam, inquit, quam accepiſti per meam ordinationẽ. Sic & D. Leo epiſt. 79. ad Dionyſ. Alexandri. ſacros ordines ieiuniis docet eſſe dandos & accipiendos ex Apoſtolica traditione, ne tantæ benedictionis Sacramentum, inquit, negligenter videatur impletũ. Ita & D. Cyprianus ſerm. de ablut. pedum, aliique PP. Catholici dudum cõmemorati S. Ordines inter Chriſti Sacramẽta enumerant: quibus ſingularis atque eximia quædam Spiritus ſancti conferantur dona ad populi Dei ſalutem profutura.

Theodoretus.

Leo Magnus.

D. Cyprianus.

Hiſce igitur orthodoxorum Patrũ teſtimoniis verbo Dei nixis liquidum videre eſt piè iuxtà ac verè Catholicos ſentire de Clericorum Ordinatione, quòd veri nominis eſt Sacramẽtum: De quo tam manifeſta extant dudum commemorata verbi Dei oracula, vt vel Melanchthon ipſe, alijque non infimi nec loci nec nominis Proteſtantes tandem hanc miniſtrorum Eccleſiæ ordinationem inter Euãgelica Sacramenta recipiendam atque recenſendam cenſuerint: quam vt Wittenbergenſes Superintendentes, alijque non pauci vnà cum Sacræ Crucis ſigno atque ſolemni benedictione ſuis conferre non deſinunt. Quibus veris germaniſque, vti putant, Lutheri diſcipulis ſi alij omnes conſentirent, & inter nos facillima fieret hoc de dogmate diſſidiorum Conciliatio. Epilogus.

ANTITHESIS VIGESIMA SECVNDA.

De *Coniugio ſuam Antitheſin Confeſsioniſtarum Apologetici aggreſſuri, Coniugium, aiunt, diuinitus inſtitutum ad propagationẽ humani generis, & vitandas libidines vagas, & vt deſignet myſterium arcani fœderis, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam non vno in loco ſcripturam teſtari.* CAP. XLIII De Cõiugio, an Sacramentum.

RESPONSIO LINDANI.

Ista extra controuerſiam ſunt poſita, ideoque fruſtrà ex Scripturis & Patribus varia allegant loca, quibus conteſtatũ faciunt, quod nulli ſit dubium. Si enim ex vero placuiſſet generoſis Confeſſioniſtarum patronis nobiſcum agere, nulla ipſis fuiſſet diſſentiendi, aut Antitheſin iſtam nobis opponendi occaſio. Quàm immaniter enim ſupra omnem fidem hîc Anonymi iſti Confeſſioniſtarum delecti defenſores mentiantur, vix mihi vnquam anteà perſuaſiſſem. quod vt ſolis luce omnibus liqueat clariùs, hac pro virili demonſtrare ſatagemus. Sic igitur ore ſacrilego ſuam in nos audebant virulẽtam orationis maleſanę ſaniem expuere. At Papatus hoc ſanctiſſimum vitæ genus (inquiunt fol. 167.) non tantùm impiis legibus ſurſum ac deorſum iactauit: verùm etiam vt impiorum, Incredibile Anonymorum Cõfeſſionis Auguſtanæ patronorum, mentiẽdi ſtudium hac in Antitheſi ſeſe prodit ſingulariter.

„ & pietati Christianæ inimicum traduxit: imò abiurandum „ docuit: idq́. hoc prætextu, quòd matrimonium pietati sit im„pedimento, & res carnalis, prophana, ac Deo minimum pla„cens. Inuicem autem in eius locum substituit impios Monachorum & Monialium ordines. O impudentiam incredibilem! O diram mentiendi libidinem! O Sathanicā calumniandi improbitatem! Isthac profectò mentiendi arte efficitis vos religiosi Cófessionistarum delecti, vt codex Pio Augusto Ferdinando oblatus non sit liber onerum Germaniæ; sed liber mendaciorum. Octo enim illis verbis, octo inquam, eaq́. non parum insignia in nos falsissimè confingitis mendacia, quæ idcirco sunt illustrius euoluenda, quò piis lectoribus semel sit perspicuũ, quàm miseris & illiberalibus artibus indignisq́. modis suos dominos fallant, fraudulentissimeq́. imponant isti Consiliarij Politici, siue Confessionistarum Theologi delecti. Vt autem probandi onere defungantur aduersarij, nihil prorsus in suæ nó minus maledicentissimæ quàm mendacissimæ Antitheseωs adferunt cōfirmationem. Loca enim aliquot scriptorum Catholicorum allegasse contenti, ne verbum quidem promunt, quod nefaria ipsorum statuat Para„doxa. Qua de re videatur, inquiunt, post exagitatum sanctis„simum piorum monachorum atque sacrarum Christi virgi„num institutum, Albertus Pighius, Alphonsus, & cæt. Neq. enim in locum Coniugij Vota religiosorum substituunt, aut in coniugatorum locum Ordines Monachorũ, monialiúmue instituuntur: sed suum cuique relinquens Ecclesia viuendi genus liberum, vtrumque docet esse sanctum, honorabile, atque immaculatum. quemadmodum ex isto mendaciorum catalogo vel cæcis fiet perspicuum, si accuratius fuerit ad veritatis trutinam appensus.

Octo insignia mēdacia in vna Confess. Antithesi turpissimè deprehensa.

Aiunt enim Anonymi Confessionistarum Apologetici Catholicos sanctissimum vitæ Coniugalis genus impiis legibus sursum ac deorsum iactasse.

Primum Confessionistarum de S. Coniugio mendacium.

Responsio Lindani.

Quasnám hîc obsecro impias dicunt leges? An illas, quibus Ecclesia statuit non licere post votum viduis, aut virgi-

nibus

nibus nubere? Has isti Euangelici vt suo patrocinentur facinori (nam inter pastores ipsorum magna est monachorum apostatarum natio, vt non dicam, & inter ipsos istos delectos, aut primarios saltem Confessionistarum propugnatores esse Sacerdotes pristino continentiæ atque castitatis obstrictos voto) vt suo, inquam, patrocinentur facinori, parum sanè Euangelico, has leges vocãt impias. Sed quàm istud rectè ac verè, nunc expendamus.

Leges non esse impias, quibus post votum nõ licet nubere.

Hîc locũ habet illud adagij, Religio nõ habet hostes, nisi apostatas.

Non enim Ecclesiæ legibus Coniugium damnatum est: sed improba tantùm improborum adulteria, Monachorumque incestus nefarij, atq. flagitiosæ monialiũ libidines: quarũ specioso prætexentes nomine culpam Coniugiũ vocant. Verùm hac de re inferius dicendum erit copiosius.

Quod deinde aiunt, Coniugiũ esse à Catholicis traductum vt impurũ, manifesta calũnia est: cùm quotidianis & concionibus & exemplis doceant esse apud castos coniuges thorum immaculatum, adeoq. Sacramenti efficacia expiatum atque expurgatũ. Nam quod extra cõiugij vinculũ fieri nequeat citra Dei offensam multò grauissimã, inter cõiugatos prolis excitandæ causa fit longè sanctissimè, ac citra omnem criminis labem: quemadmodũ D. August. sequuta orthodoxa docet Ecclesia. Deus masculũ & feminã propagandi generis causa nuptiali castitate cõiunxit, & secundas nuptias, quæ in vtroq. testamento permittuntur, licitas esse mõstrauit. Sic enim ad verbũ Aug. lib.2.cap.11. contra aduersarium legis & Proph. Rectè igitur hîc nouis istis Confess. defensoribus Catholici respõdeamus, quod suis Calumniatoribus D. Hieronymus. Aperiant quæso aures (inquit in Apolog. contra Iouinianũ) obtrectatores mei, & videãt me secundas & tertias in domino concessisse. Qui secundas & tertias nuptias nõ damnaui, qui primum potui damnare Matrimonium?

II. De S. Cõiugio Confess. mendacium.

Catholicos casti Matrimonij puritatẽ & sanctitatem adeò prædicare.

31.q.1.Cap. Aperiant.Ca. Deus.

Porrò quod Confessionistæ adtexunt Catholicos Coniugium, vt pietati Christianæ inimicum traducere, non caret malignæ calumniæ crimine. Sicut Christus Dominus adolescentem illum opulẽtum hortatus, vt relictis omnibus nudus nudũ Christũ sequatur: ostendens paupertatẽ expeditius habere iter ad regnum Dei, quàm aut delitiæ, aut diuitiæ:

III. Calũnia aduersariorum

non tamen diuitias traducit, vt pietati Christianæ inimicas: Ita cùm Ecclesia Dei Catholica D. Paulum, imò ipsum Christum Dominum imitata docet melius esse virginem aut viduam permanere, quàm matrimonio sese tradere, nõ traducit coniugium, quasi pietati inimicum: sed vtrum vitæ genus ad pietatem Christianam perfectius præstandam atque integrius obtinendam plus valeat aut conducat, ostendit. Illud verò omnem ingenuum pudorem superat mẽdacium, quòd Confessionistarum Apologetici fingunt, Catholicos Coniugium docere abiurandum. At quanam, obsecro vos, delecti Confessionistarum patroni, istud docebitis ratione vel in speciem probabili tam impudens mendacium? Quis vnquam doctorum, aut scriptorum Catholicorum vel per somnium dixit Coniugium esse abiurandum? An si quis cogatur ab errore iam resipiscens abiurare non esse Coniugium inter matrem & filium, idcirco dicendus est abiurasse Coniugium? Sic dum quidam à fanaticis resipiscentes erroribus abiurare coguntur Paulinæ doctrinæ conformiter sese credere, nõ esse verum, aut legitimum matrimonium inter eos, quorũ vterque siue alteruter primam fidem Deo pridem datam sacrilego ausu violare, irritamque facere non veretur. Quemadmodum ergo calumniæ affinis conuincatur, qui Nazaræos abiurasse omne poculentum dicat, quia vino, aut sicera abstinebant: ita Confessionistę hîc apertissimæ proculdubio tenentur conuicti calumniæ, dum Catholicos mẽdaciter aiunt abiurandum Coniugium docuisse: quia incestas damnãt Monachorum & monialium nuptias. cùm alioqui legitimum Coniugium etiam Sacramenti verè Christiani nomine dignentur, & solemni benedictione, precibusq; diuinis exornatius dare haud infrequenter studeant.

1. Corinth. 7.

IIII. Impudentissimum Confessionistarum mendacium.

Cæterùm quod pro causa superiorum calumniarum attexunt, iam venit exponẽdum, an verè doceant Catholici, nec ne. Deinde an ex eo consequantur illæ in Coniugiũ blasphemiæ, quas maiore stoliditate, an imperitia colligant lepidi isti Confessionistarum delecti, merito dubites. Hoc prætextu (inquiunt folio 167.) Catholici illa blasphema docuerunt, quòd Matrimo-

Matrimonium pietati ſit impedimento,& res prorſus carnalis, prophana, ac Deo minimum placens. "

Quatuor afferunt cauſas,quibus quod Catholicis falſò affingunt,ſtatuant: quarum tres poſteriores manifeſta ſunt cũ calumnia coniunctæ, vti perſpicuum faciemus, vbi primam pertractauerimus.

V. Præpoſtera in Catholicos accuſatio.

Accuſant nos aduerſarij quòd doceamus Matrimonium pietati eſſe impedimento: quod an verũ ſit, nec ne. D.Paulũ audiamus,ſi placet,huius controuerſiæ arbitrum.

Coniugij vſum impedire orationes, à quo D. Paulus admonet pios ſubinde abſtinendum.

D. Paulus Corinthiis de Matrimonij vſu ſcribens admonet, ne ſeſe mutua coniugij beneuolentia fraudent,niſi orandi; & ieiunandi cauſa ad quoddam tempus: idque ex cõſenſu. Hanc tamen admonitionem diſertè addit non ſeſe adhibuiſſe ex imperio; ſed ex indulgẽtia. Probat ergo mutuam Coniugatorum beneuolentiam, ſed ita, vt magis indulgeat, quàm imperet. Sic autem indulget, vt apertis verbis doceat, Coniugatos rectè abſtinere à cõcubitu,orandi atque ieiunandi cauſa. Quòd ſi orandi & ieiunandi cauſa à Coniugij vſu coniuges rectè, adeoq; cùm piè,tum ſanctè, imò Euangelicè, iuxta Pauli doctrinam abſtinent,an non rectè quoque colligatur Coniugium, ſiue eius vſum pietati eſſe impedimento?

Si à concubitu piis abſtinendũ ſuadet Paulus orandi cauſa, certè cõcubitus pietati eſt impedimento.

Non tamen ita Coniugij vſum eſſe impedimento quis ruſticanus exiſtimet, quaſi ſalutem impediat,ſed quòd pietatis, maioriſque perfectionis augmentum tollat,quia orandi & ieiunandi ſtudium, quod Chriſtus monet vt nobis ſit aſſiduũ, impedit, dum animum carnalibus voluptatibus deditum, imò immerſum, ne dicam abſorptũ non patitur cæleſtia meditari, neque ea mentis tranquillitate ſanctimonia ac puritate immortalia contemplari, in cælis conuerſari, toto pectore illa æterna cogitare, quam Chriſtiani hominis vocatio atque profeſſio fortaſſis poſtulat. Quanto autem diſcrimine Dei cultor virgo & maritus Deo ſeruiant, D.Paulus variis modis oſtendit, affirmans Coniugatum non eſſe ſine ſolicitudine mundi,aut vxori placendi ſtudio. ideoque diuiſum eſſe, variiſque curis diſtractum. Contrà, Dei cultorem virginem ſolicitum eſſe, quæ ſunt Dei, quonam modo placeat Deo, vtq; ſit ſanctus & corpore & ſpiritu.

Quo ſenſu coniugij vſus verè ſit impedimẽto pietati ſiue perfectiori vitæ.

1. Corinth. 7.

Quanta porrò sit in Coniugatorum vita mentis distractio, animi dissipatio, cogitationũ disturbatio ex rei familiaris cura, prolium educatione, rei domesticæ procuratione, rei vxoriæ studio, aliisque plus satis notis non est hîc dicendi locus. Piis omnibus sufficit quod D. Paulus testatur, Cóiugatos carnis tribulationem habituros, quam nullus melius declaret, quàm ipsi Coniugati. Certè tradunt Philosophi tantam esse concubitus vim, vt humana mens ad tempus suæ oblita rationis, sui nõ sit compos. Hinc medicorum pueri ex Hypocratis placitis συνουσίαν dixêre esse apoplexiæ horrendæ speciem. Quod an verùm sit, & quatenus, optimè omnium dixerint qui experti sunt.

Coniugatos variis distrahi curis seculi, quæ augédæ pietati sunt remoræ.

Et quidem D. Paulus disertè docet abstinentiá à concubitu, siue Cælibatum, hoc est, vitæ genus cõiugij expers, facultatem præbere sine impedimento dominum obsecrandi, siue dominũ obseruandi. Quod nunc est in vulgatis Græcis paulò aliter. Sed quia hîc vnus locus magnum queat volumen sua mole implere, illud in præsentiarum satisfecerit adnotasse, variam admodum esse huius loci & apud Gręcos lectionem, & apud Latinos versionem. Noster pro ἀπερισπαστῶς videtur, fortassis legisse ἀνεμποδιστῶς. Vtvt legerit, illud extra controuersiam est, Coniugij vsum, iuraque illa maleblanda maritalis officij non exiguum meditandis, parandisque cælestibus gaudiis obijcere impedimentum. quemadmodum D. Ambrosius sub finem cap. 1. Corinth. 7. adnotatum reliquit. Apostolus his loquitur, qui mira, inquit, deuotione obsequi desiderant cælestibus præceptis, ostendens & docens quo cõpendio citius itur ad Deum, quia qui propter Deum promerendum virgo manere vult, sciens quale præmium possit accipere, qui à licito temperat, vt melior fiat, simul omnia impedimenta carnis spernit, non nescius hæc esse, quæ gressum currentis velut oneribus compedum detinent. Audis hîc candide lector carnis impedimenta, audis onerum compedes, audis Paulum docere quónam compendio, nimirum Cælibatu, hoc est, ignorato, nec delibato coniugalis vitæ, maritalisque officij vsu, ad Deum nos citius ire. An igitur qui docent Matrimonium, id est, coniugalis vitæ statum, &

D. Ambr. Matrimonij vsum compedibus & oneribus comparat currétiũ.

Coniugiũ impedimenta carnis piis obiicit Ambros. teste.

maleblanda maritalis officij iura esse remoræ aut impedimento pietati, alienum à vero docent? Non hîc disputatio est de coniugato Abrahamo, & virgine Ioanne Baptista; non de virgine Maria, & coniugata Elizabetha: sed ipsum vitæ genus in disquisitionem vocatur, vtrum altero sit magis idoneum, aptiusque ad perfectiorem Christianæ doctrinæ pietatem, re ipsa præstandam siue obtinendam. De coniugatorum autem quorundam perfectione præ Clericorum, aut Monachorum plurimorum intemperantia, horrendaque dissolutione, qua tantum non diffluũt, aut etiam in virtutis stadio decurrendo ignauia, stupidaque oscitantia, nihil in præsentiarum dicendum arbitror. Certè esse & hodie corpore virgines, non est ambigendum, quibus quod D. Ambrosius de stultis sui seculi dixit virginibus, quòd virginitas non solùm non imputabitur, sed & pœnæ subijcientur, magnoperè equidem metuendum vereor.

Nõ comparantur hîc coniugati virginibus, aut Clericis Cælibibus: sed vitę genera inter se conferuntur.

Quamquàm igitur maritalis vitæ genus impedimẽta præbeat perficiendæ, absoluendæque pietati Euangelicæ: non tamen ideo sanctum & mundum esse negari debet. Nam quod aduersarij criminantur Catholicos docere matrimonium esse rem prorsus carnalem, prophanam, ac Deo minimum placentem, calumnia est trigemina. Non enim carnalem prorsus rem esse Coniugium docemus Catholici, qui sanctum & immaculatum vitæ genus affirmamus, adeoque diuina benedictione sanctificamus. Etsi enim meliora vitæ genera D. Paulum imitati esse & virginitatem, & Cælibatum docemus: non tamen ideo Coniugium esse carnale nos docere rectè colligitur. A licitis enim abstinere, vti ait Ambrosius, melius est, quàm concessis frui: quod nemo negarit, qui vel ieiunij, vel Cælibatus nomẽ probè perspectum habet. Quamuis namque munda sint coniugia, inquit Ambr. 1. Cor. 7. tamen etiam à licitis abstinendum est, vt facilius ad effectum deducatur oratio. Nam & in lege sanctificari volentes intẽr cætera etiã ab vuis passis iussu Domini temperabant, vt fierẽt sanctiores. Cùm enim quis etiam concessa nõ contingit, ostendit se velle, quod precatur, accipere. Proinde

VI. Aduersariorum mẽdacium trigemina est calumnia.

Vuis passis abstinebãt olim, nõ solũ cõiugij vsu, qui sanctiores atq. puriores Deo seruire studebant.

Proinde si Coniugati sancto ac mundo Matrimonio copulati, sanctiores ac mundiores fiunt coniugij maritalisq; officij non vsu, sed abstinentia; sicuti Mosayci illi olim Sacerdotes sacrificaturi, cur non sanctius est vitæ genus in virginitate, aut Cœlibatu agere, quàm Matrimonij vinculis astringi, aut genialibus thalamis volutari, mutuisue complexibus non citra Euangelicæ perfectionis iniuriam intricari? Licet igitur Matrimonium mentem à cælestibus ad tempus auellat, diuinarum rerum teporem, pietatis languorem, orationis fastidium plerumque semper adducat: non tamen ideo rem esse prorsus carnalem consequitur; sed quosdam inijcere compedes, quibus intricati, aut saltem implicati, si non interpediti coniuges minus expeditè, quæ Domini sunt curent, aut minus æquò satagere studeát. Qua de causa & Græculi Sacerdotes, qui vinculis Matrimonij se intricarunt (quod tamé omnibus nó licet) vt puriores Deo suas liturgias & Missas pro viuis & mortuis offerant, à coniugij delitiis ad tempus quoddam feruntur abstinere.

VII. Confessionistarum calumnia apertissima.

Quod deinde aduersarij aiunt nos docere Matrimonium rem esse prophanam, manifestior est calumnia, quàm vt vllum mereatur responsum: cùm rem sacram, adeoque Sacramentum esse Sacrosanctũ apud Catholicos semper habitũ nullus tam est oris impudentis qui inficiari queat.

VIII. Impudétissima in Catholicos calumnia.

Porrò quod attexunt præclari isti Confessionistarum delecti, Catholicos docere Matrimonium rem esse Deo minimè placentem, impudentissimæ calumniæ non caret crimine. Nam Matrimonium docet Ecclesia rem esse à Deo non solùm institutam: sed & à Deo ipso sanctificatam, ideoq. gratam admodum. Quò enim vagas cohiberet libidines, fœdasque comprimeret voluptates legitimum iam olim instituit, adeoque sanctificauit viri ac feminæ coniugium: quod Catholici in Sacramentorum ordinem dicimus translatum, vt hoc vitæ genus Christianis hominibus fieret non solùm commendatius, sed maiori etiam colerent fide ac reuerentia.

Quod Deus sanctificat, Catholici docent esse Deo gratissimum, ac verè Sacramentum.

Quo sacramento qui non vtuntur, non hoc eius contemptu faciunt, non odio abstinent quasi misanthropi; haud magis, quàm qui vini, aut carnis vsu propter continentiam facilius conse-

Causa vera cur Clerici abstinét à Coniugio.

consequendam, aut edomandam carnis mentisq. superbiam abstinét: sed quò illud vitæ melioris, teste Paulo, cõpendium ingressi, quod pedicis, compedibusq. illi mutuo conuictui & cõcubitui necessariò adiunctis est liberũ, citius ad Deũ perueniant, vti dudũ ex D. Ambr. his eisdẽ verbis est demonstratũ.

Proinde à vero alienum est, quod aduersarij affirmant in locũ Matrimonij Catholicos substituisse impios monachorum & monialium ordines, sacrificulos infinitos, missificatores mœchos, concubinarios, &c. Non enim monasticæ, aut Sacerdotalis vitæ genus in locum Matrimonij est substitutũ, sed ab eo distinctum: non quidem ab annis 100. aut 1000. sed ab ipsis vsque Apostolis, ipsoque Christo Iesu Domino nostro.

CAP. XLIIII. Vanissimum apologeticorũ figmentum. De Cælibatu Ecclesiasticorũ atque piorum Religiosorum.

Ita verò distincta sunt hæc vitæ genera, non vt vnũ alterum impietatis, aut culpę damnet, nedũ aboleat: sed vt vnum altero excellat; non quidẽ sanctimoniã alteri negando, sed perfectionẽ pleniorẽ alteri præstando. Cùm enim D. Paulus affirmet melius facere, qui virginẽ suã matrimonio nõ elocat, quã qui elocat, licet & hic, & ille recte faciat, plus ad illud citius ad Deũ perueniendi compendiũ valet Cælibatus, quàm maritalis vitæ vsus. Laudatũ igitur à D. Paulo præ matrimonio vitæ genus cùm pij Monachi atq. Sacerdotes sectentur, ceu melius atq. perfectius, quòd facultatẽ præbeat, si rectè colatur, Dominũ sine impedimẽto obsecrãdi, indiuulseq. adhærendi. immeritò hîc traducuntur Catholici quasi mœchos & concubinarios probent, aut foueant. Vt enim adulteria laicorum quotidiana (prò dolor) sanctũ non polluũt Coniugium: ita impura quorundã Clericorum acolastorũ meronum, Tricongiorum aut bibulorũ Monachorum vita sanctiorem non polluit Cælibatum. Sunt enim quibus aqua potus, sol focus, antra locus.

Catholici inertes aut ganeones nõ probant neq. fouent: sed vbi viget disciplina aliqua puniunt, nec leges dormiunt.

Nam quod aduersarij Catholicis exprobrant esse institutos sacrificulos mœchos atq. concubinarios, qui impuro Cælibatu & votis ementitæ castitatis, paupertate spontanea, & eleemosynis Deum placarent ac salutẽ promererentur, lõgè atrocissima est calumnia. Neq. enim impurum Ecclesia laudat cælibatum, imò damnat, adeoque seueris punit legibus,

Calũnia profligatur plus quã Iudaica.

d vbi

vbi aliqua viget Ecclesiastica disciplina; quæ, prò dolor, nimis passim elanguit, quod vel ipsi Confessionistarum patroni, & fortè non pauci ex ipsis delectis suo queant confirmare testimonio: cùm lippis & tonsoribus notum sit plurimos monachorum & apostatarum ad germanissima suis moribus impurissimi Lutheri aut Caluini castra defecisse, quòd ob vitæ impuritatem, adulteria, sacrilegia, aliaque flagitia iustas sui pastoris metuebant pœnas, quas luere oportuisset, nisi fuga sibi consuluissent, atque nefario periurio, imò sacrilegio superiora crimina cumulassent. Sed quid profuerit aut Buceri, P. Vergerij, Illyrici, Serueti, Ochini, aut Bezæ, aliorúmue istorum euangelicorum columinum facinora commemorare? illustriaque nobilissimorum istorum ardelionum elogia prædicare.

Sathanica aduersariorũ blasphemia in sanctissimũ Cælibatum.

Quòd autem impurum vocant Cælibatum, impuro ipsorum ore dignum est maledictum. An non virgo suum colens legitimè Cælibatum sancta est, vti ait Paulus, corpore & spiritu? Vnde ergo, impurus sit Cælibatus, qui puros, sanctósque efficit Dei cultores? Quòd si impurum appellare placuit Cælibatum, quia cælibatum professi, impura sua vita suum attaminant sanctæ vitæ propositum, an non imperitissimus, planeque improbissimus nebulo habendus, qui castum Matrimonium appellat incestũ, aut adulterium, quia Coniugati sese aut adulterio polluunt, aut incestu nefario sese incestant. Pari iure & cælibatus culpari non debet, neque impurus appellari; quia eius professores quidam impuram ducunt vitam: cùm id eius naturæ sit aduersarium. Ex se namque Cælibatus Dei amore, regniique cælestis, vti ait Christus, desiderio susceptus animum castum, purum, sanctũ, vereque suo pro nomine cælestem efficit, ita planè purum vt nec sanctas Matrimonii ambiat nuptias, neque illicitas admittat, vel vltroneas voluptates.

Impuri quorũdam Clericorũ mores nõ magis Cælibatum faciunt impurum, quã Coniugium adulteri faciant impurum, aut incesti incestuosum.

Esse verò & hoc seculo, licet delitiis deditissimo, ac voluptatibus tantùm non submerso, tales virgines, tales cælibes, tales denique & corpore & spiritu sanctos, vel ipsa testatur Germania, vbi mulierculæ per Sueuiam, & alibi non paucæ

Deo

Deo sacræ magno virorum pudore illibatum suum seruabant, & in hanc vsque horam (Deo opt. gloria) seruant cælibatum; licet oblatis à principe seculi sponsis non malè formosis, neque parum opulentis. Nam & hodie (Deo opt. max. gratia immortalis) gloriari licet Catholicę Ecclesię Dei, quòd D. Ambrosius de suæ ætatis scribit virginibus, esse inter suos filios, etsi raros, esse tamen qui dum spe cælestium, coniugij & filiorum solicitudinem non suscipiunt, de Domino cogitant, quomodo propositum Deo (ait Ambrosius) deuotum custodiát, si tamen in corpore mundo animus terrena abijciens, cælestibus studeat. Cuius sententiæ rationem subtexens Ambrosius, Animus est enim, inquit, qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus mundũ habere, & animam pollutam, cùm merito animæ aut honoratur corpus, aut damnatur?

Quo scopo colendus Clericis Cælibatus.

Ambr. Cõmẽt. 1. Corinth. 7.

Animæ rebus cælestibus studentis merito corpus sanctificatur Ambrosio.

Quæ aurea vereq́ue nectaria D. Ambrosij verba si isti sanctuli mariti Confessionis Augustanæ defensores ea, qua dignum est, admittunt auctoritatis reuerentia, sese vident manifestæ conuictos teneri impietatis, dum in eadem Antithesi addunt blasphemantes, Vota ementitæ castitatis. Cur obsecro ementitæ? an quia vobis videtur Castitas cuiquam impossibilis?

Blasphemia Apologeticorum dum vota dicunt ementitæ castitatis.

Sic quidem sapientibus huius seculi videtur: sed quod impossibile est apud homines, apud Deum nequaquam est impossibile. omnia namque possibilia credenti.

Porrò minimè esse impossibilem castitatem, luce meridiana clarius docet Paulus, qui sua ætate Votum, siue, vti ait Ambrosius, Propositum castitatis, Deo fuisse deuotum disertis verbis attestatur, dum viduas quasdam docet ideo damnationem sibi consciscere, quòd primam fidem irritam fecerunt. Hîc autem D. Paulum de vero castitatis Euangelicæ Voto esse locutum, nunc ex perpetuo Patrum orthodoxorum consensu venit demonstrandũ: quò semel orbi fiat perspicuum, istos præclaros Confessionis Augustanæ patronos manifestæ repugnare veritati, dum vota castitatis & paupertatis, eorumq́ue merita impio ore non pudet irridere.

Vota castitatis esse Euangelica vereq́. Apostolica.

Origines votorum Ecclesiasticorum esse apostolicas.

Nam hæc vota ante annos mille fuisse apud Christianam Ecclesiam laudatissima simul & vsitatissima, quid opus est multis verbis, Patrúmue testimoniis confirmare: cùm hæc res piis lectoribus, qui vel à limine Orthodoxos PP. salutarint, sit notior, quàm vt citra fastidium commemorari queat?

Vt tamen instituto nostro fiat satis, paucis aliquot perstringemus luculentiora testimonia.

August. negat post votú, licitas nuptias.

Illis qui se non continēt (inquit August. de Adult. Coniugiis ad Pol. 1. ca. 15.) vtique expedit nubere. Quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.

Epiph. testatur virgines ex Apostolorū doctrina vouisse castitatem, post quod nō licuit nubere.

D. Epiphanius Apostolicos illos hæreticos refellens, qui nuptias damnabant, ex D. Paulo cùm ostēdisset non peccare virgines quæ nubunt, mox adiecit, nunquid Apostolus eam, quæ semel virginitatem Deo seruare decreuit, à proprio „ cursu detrahere volens hæc præcepit? Non enim de his ser- „ mo est. & mox infra: Tradiderunt SS. Apostoli peccatum esse post decretam virginitatem, ad nuptias conuerti: & scripsit Apostolus: Si nupserit virgo, non peccauit. Quomodo igitur hoc cum illo cōcordat? Imò illam virginem dicit, quæ non est dicata Deo.

D. Hieron. Virgines post votū lapsas, dicit nō tam adulteras, quàm incestas.

D. Hieronymus, Virgines quæ post consecrationem nupserint, lib. contra Iouinianum docet nō tam adulteras, quàm incestas, quia primam fidem irritam fecerint. dixerat enim illam virginem peccare si nubat, quæ se Dei cultui dedicarit. Ita & Comment. Thren. 3. Hanc speciē conuersionis, inquit, boni hæremitæ & monachi, qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt.

D. Ambrosius.

D. Ambrosius Virginem lapsam Susannam ad resipiscentiam reuocaturus: Te nec pater, nec mater coëgit vt virginitatem profitereris, quā vltrò & propria voluntate professa es. Ad virginem lapsam, cap. 4.

D. Hilarius.

D. Hilarius suæ ætatis morem Com. in illud Psal. 64. Tibi reddetur votum in Ierusalem, exponens: Vota enim tantùm Ecclesiasticæ religionis vtilia sunt, quæ cum dignis Deo cautionibus, & propositæ in Ecclesia obseruātiæ studio probātur.

D. Basilius.

Ita & D. Basilius lib. de virginitate deplorans quarundam inconstantiam, Virginitatē, inquit, Domino professæ, deinde à car-

à carnis voluptatibus concitatæ ſcortationis peccatum nuptiarum nomine velare volunt. Hinc D. Theodoretus tyrannidem Georgij Alexandrini Epiſcopi depingẽs, Sebaſtianum ducem ait (lib. 2. cap. 14. Hiſt. Eccle.) coëgiſſe τὰς διὰ βίȣ τὴν παρθενίαν ὑποσχημένας, quæ perpetuam (vertit Ioachimus Camer.) profeſſæ fuerant virginitatem, nõ ſolùm Athanaſij abnegare ſocietatem, ſed Patrum etiam fidem. D. Theodoret.

Cæterùm hanc votorum toto orbe ante annos 1000. celeberrimorum conſuetudinem ex Apoſtolorum fluxiſſe doctrina, ſupereſt vt paucis demonſtremus. D. Paulus quaſdã viduas damnationem habere pronũciat, quia primam fidem, inquit, irritam fecerunt. In quem locum D. Auguſt. nõ quia ipſæ nuptiæ vel talium damnandæ iudicantur (inquit cap. 9. de bono Vid.) ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur nõ ſuſceptio à bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore. Poſtremo damnantur tales non quia coniugalem fidem poſterius inierunt; ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Rurſus: Quæ ſe non continẽt, nubant (inquit cap 8. de Vid.) antequam Continentiam profiteantur, antequam Deo voueant, quod ſi non reddant, iure damnantur, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, quam prius vouerant, quod perſeuerantia implere noluerunt. Ita & Conc. 4. Carthagiñ. Canon. 104. Si quæ viduæ ſe Domino deuouerunt, & veſte laicali abiecta, poſteà ad nuptias ſeculares tranſierunt ſecundum Apoſtolum damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerũt, irritam facere auſæ ſunt.

Vota continentiæ Apoſtolicæ eſſe doctrinæ.

Primam fidem irritam facere, accipiendũ eſſe de voto continentiæ.

Auguſtinus.

Conc. 4. Carthaginenſe.

Huius fidei ſponſo Chriſto datæ admonet D. Ambroſius Suſannam ſuam virginẽ lapſam. Aſpice ergo (inquit cap. 4.) " quantus ad ſponſi tui, & Domini nuptias conuenerit popu- " lus (puta illo die Dominico, quando diuino te altari obtuli- " ſti velandam) Seruare te oportuit fidem, quam ſub tantis teſtibus pollicita es. Semper cogitare, cui virginitatem ſpoponderis. & paulò infrà. Dicit aliquis, Melius eſt nubere, quàm vri; hoc dictum, inquit, ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. D. Ambroſius.

Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto,& ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro: etiamſi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Rurſus, Comment. in Epiſt. 1. Timoth. 5. illud Pauli exponens, Iuniores autem viduas deuita; Prohibet adoleſcentulas viduas, ait, in hac ſuſcipi profeſſione,quia dicit temerarium eſſeprofiteri,quod adhuc iuuenili ætate credi non debeat. Damnationi enim fit obnoxius, qui ab hoc declinat, quod rectè fecerat. Hunc eundem locum D. Pauli & Hieron. de hac votorum profeſſione eſt interpretatus. Illud enim Ezechielis cap. 44. feminalia linea erunt in lumbis eorum. Quicunq. aliquit vouerit,inquit, voti eſt reus. Vnde & de Viduis dicitur, Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt. & contra Iouinianum. Illud Pauli, Si nupſerit virgo non peccauit, exponens, Non illa, inquit, virgo, quæ ſemet Dei cultui dedicauit. Harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Et Chryſoſtomus in eundem D. Pauli locum ὅταν ὀνομάςωσιν ἀντῷ. Cùm illi ſe deuouerint, inquit, nubere volunt, habentes damnationem, quia primá fidem irritam fecerunt. πίςιν τὴν συνθήκην λέγει fidem dicit pactum & fœdus. Contra veritatem mentitæ ſunt, ipſum irritauerunt & fœdera violauerunt. Sic & D. Theodoretus, Cur iſtæ impudicæ Viduæ damnationis ſint reæ exponens, Cùm Chriſto profeſſæ ſint, inquit) in viduitate caſtè viuere, ſecunda Matrimonia contrahunt. Oecumenius ſimiliter, Primam fidem dicit,quam cum Chriſto inierant,pactæ quippe Chriſti copulam, hanc abiiciunt, hominis coniugium adeuntes. Eundem locum & D. Epiphanius contra Apoſtolicos docet de conſecrationis fide, ſiue voto accipiendum. Nam oſtéſurus Apoſtolos docuiſſe peccatum eſſe ad nuptias poſt decretam virginitatem conuerti, attexuit, id nos docet Apoſtolus, Iuniores viduas reijce, & cæt. Si itaque & ea, quæ poſt mundi experientiam vidua fuit, atque Deo dicata, & poſtea nupſit, iudicium & condemnationem habebit, quia primam fidem reiecit: quantò magis quæ citra mundi

D. Hieronym.

Chryſoſtomus.

Theodoretus.

Oecumenius.

D. Epiphanius.

mundi experientiam Deo dicata virgo fuit, & nupſit, contra Chriſtum laſciuit, & maiorem fidem reiecit, & iudicium habebit velut quæ proprium erga Deum propoſitum relaxauit.

Apoſtolorum igitur ætate fuiſſe virginitatis & continentiæ vota, nemo tam eſt perfrictæ frontis, qui amplius inficias ire audeat. Verùm hæc vota ex Apoſtolorum moribus fluxiſſe, paucis oſtendere fuerit operæpretium.

D. Virginem Mariam Virginitatis voto fuiſſe aſtrictam illa apud D. Lucam verba, Quoniam virum non cognoſco, indicare videntur. Quod profectò non diceret, vti eſt apud Auguſtinum, lib. de Sancta Virg. cap. 4. niſi Deo virginem ſe antè vouiſſet. D. Ambroſius de Inſtitutione Virginis, Egregia igitur Maria (inquit Cap. 5.) quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto vexillum leuauit. Et tamen cùm omnes ad cultum virginitatis S. Mariæ aduocentur exemplo, fuerunt, qui eam negarent virginem perſeueraſſe. *Vouit D. Maria virginitatem. Auguſtinus. Ambroſius.*

Ita & lib. 3. de Virg. cùm docuiſſet etiam florentioris ætatis virgines velandas, modò ſit verecundiæ maturitas, grauitatis canicies, morum ſenecta, addidit, Non ergo reijcitur ætas florentior, ſed animus examinatur.

Et certè Teclam non ſenectus, ſed virtus probauit. Rurſus, Nec mirere in adoleſcentulis profeſſionem, cùm legeris in paruulis paſſionem. Vtut ſeſe illud D. Mariæ, vel Teclę votum habeat,, illud negare nullus audeat, Apoſtolos paupertatis voto ſeſe Chriſto obſtrinxiſſe. Nam D. Auguſtinus lib. 17. de Ciuitate Dei, admirandam oſtendens Chriſtianæ Eccleſiæ ex miſellis & pauperculis originem, dixerant enim potentes illi Apoſtoli (inquit cap. 4.) ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te. hoc votum potentiſſimi vouerunt. Sed vnde hoc eis, niſi ab illo, de quo hîc continuò dictum eſt, dans votum vouenti? Non enim quiſquam ratum voueret, niſi qui ab illo acciperet, quod voueret. *S. Tecla. Vouerunt Apoſtoli votũ paupertatis.*

Similiter & Ananiam cum Saphyra vxore Deo opt. ſua vouiſſe bona, teſtatur D. Hiero. epiſt. ad Demetr. Ananias & Saphyra, *Ananias & Saphyra vouerũt ſua bona Deo.*

phyra, inquit, dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideò condemnati, quia post votũ contulerunt quasi sua, & nõ eius, cui semel ea vouerãt, partemq; sibi alienæ substãtiæ reseruarũt. Proinde cùm iam ex Dei verbo atque perpetuo PP. orthodoxorum consensu sit demonstratũ, Vota continentiæ, virginitatis atque paupertatis rectè Domino Deo fieri; ac quasdam viduas ex Pauli sententia ideò damnationem incurrisse, quæ votum suæ continentiæ Deo oblatũ violassent, datamque fidem fregissent, facilè fuerit illa veterum PP. testimonia contra hanc de votis continentiæ atque castitatis Euangelicæ doctrinam adducta, imò obtorto collo ab aduersariis protracta suo germano reddere sensui, vnde liqueat nihil ea Catholicæ aduersari doctrinæ.

Dissolutio testimoniorum ex PP. obtorto collo cõtrà vota protractorũ.

Ostensuri enim delecti Confessionistarum patroni pium Catholicæ Dei Ecclesiæ de Coniugio post vota non adeundo dogma pugnare cum Vet. PP. testimoniis, locum allegant ex libro de bono Coniugali, vbi Augustinus, inquiunt, scribit, Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: Ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. Initio responderi potest, hæc verba non tam esse Augustini, quàm Gratiani, qui sententiam potius maluit referre, quàm ipsissima D. Augustini verba repręsentare: cùm loco allegato non reperiantur. Sed vt donemus Augustini esse, Qui totum illud cap. 10. cum seq. accuratè expenderit, magis videbit D. Augustinum de nomine talium nuptiarum esse solicitum, id est, an adulterium sint appellandæ, quàm de lapsus reatu, an sit peccatum. ait enim cap. seq. Planè non dubitari dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vouetur Deo adulteriis esse peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito, quantò grauiùs cùm illi ipsi nõ seruatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Ex quibus verbis fortè non absurdum videatur, si Augustinus de voto intelligatur locutus, quod Simplex & non solemne vocauit antiquitas. Nam illarum nuptias, quæ post votum solemne sunt contractæ, re vera esse adulteria, Conc. 4. Carthag. Cano. 104. declarat, cui & D. Augustinus interfuit.

Ad Augustinũ.

interfuit. Sic enim habet Canon: Nam si adulteræ coniuges reatu sunt viris suis obnoxiæ, quanto magis Viduæ, quæ religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem (quam prius vocarant fidem castitatis) quam Deo sponte non coactè obtulerunt libidinosa corruperint voluptate, atque ad secundas nuptias transitum fecerint. Huic Synodo D. Augustinus & interfuit, & nominatim, quantum apparet, tanquàm Numidiæ legatus subscripsit.

Deinde ad Cyprianum transfugiunt. Si virgines (inquit epistola 11. lib. 1. perseuerare nolunt vel non possunt, postquá decreuerunt, melius est vt nubát, quàm vt in ignem delitiis cadant. Certè nullum scandalum fratribus aut sororibus faciant. Ad Cypriani fragmentum.

Hîc D. Cypriani locus si totus perlegatur, deprehendetur vetitis, imò incestis quarundam virginum Matrimoniis nihil patrocinari. Neque enim Ecclesia omnium virginum post votum nuptias damnat, aut pro incestis habet: sed tantum illarum, quæ solemniter vouerunt, vti nunc loquuntur, siue quæ sacrum velum de manu Episcopi, aut eius Vicarij vouẽtes atq. professæ Deoq. dicatæ susceperunt. Quamquàm igitur D. Cyprianus illas Virgines, quibus permittit nuptias, vocet Christo dicatas, earumque concubitus incestos, easque non mariti, sed Christi adulteras: Non tamen videntur fuisse sacro velo in Christi spósas velatæ, siue solemni voto Deo dicatæ. alioqui enim non esset in earum arbitrio nolle perseuerare: quod tamen D. Cyprianus disertè, illis permittit. Atqui velatæ illæ virgines, ait Ambrosius, etiam si voluerint nubere adulterium perpetrant, ancillæ mortis efficiuntur libro 4. ad virginem lapsam.

Iam quod ex Ambrosio adferunt, mirabitur pius lector quanam fronte ausint cõmemorare. Qui sine crimine est, inquit Ambrosius, vnius vxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotij suscipiendi. Sed quid obsecro vos, argùti Confessionistarum Patroni, locus hic aduersus vota, aut castitatem facit sacerdotalem? Certè & hodie licet castos, atque vitæ integros maritos ad sacerdotium assumere: quod meo quidem iudicio rectius, sanctiusq. fortè fieret per aliquot Germaniarum prouincias, quá impurissimos aliquot præficere aut etiam diutius tolerare ne- Ad Ambrosij dictũ respósio.

e bulones

bulones Apostatas, sacrilegos pastores. Sed viderint, quibus ea cura diuinitus est credita.

Ad Chrysostomum.

Eodem pertinet, quod ex Chrysosto. de verbis Esaiæ isti adferunt, quosdam Apostolorum fuisse coniugatos: quod nos inficiari non possumus: cùm & hodie idem Græcanica faciat Ecclesia, & Latina aliquot locis, vti olim, ita & nunc facere posset in tanta verorum pastorũ penuria: nimirum vt sancti integriq. mariti ad curandum gregem assumantur pastores: quod factũ aureo illo D. Paphnutij responso minime foret alienum, neq. à vero remedio fortè abhorriturum videri possit.

Suis se iugulãt gladiis aduersarij.

Iam quod ex eiusdem homil. de inuentione Crucis afferũt, ipsos iugulat imprudentes. Primus gradus castitatis est syncera, inquit, virginitas: Secundus, fidele Coniugium. Vnde vt rectissimè colligimus Catholici apud nos non esse cælibatum (vti fol. 167. nos accusabant) impurum, aut castitatem ementitam: sed veram virginitatem, quæ reuera, syncerum efficit castitatis gradum: ita insulsè contra nos isti argutuli ex altero colligunt Confessionistarum causidici, Ergo matrimoniũ non est status immundus, sed castus. Istud enim meram resipit calumniam in Catholicos à Confessionistarum delectis odio veritatis prodigioso mẽdacio confictã. Quo enim pacto, obsecro te cãdide lector, Catholici doceamus matrimoniũ esse statum immundũ, cùm vbiq. profiteamur esse genus vitę purum, mũdum, sanctum adeoq. verum Christi domini Sacramentum?

Asystaton.

Ad Canonum fragmenta responsio.

Porrò quæ ex Cano. allegant, nihil contra Catholicos efficiunt, qui docemus, vti ex Conc. Tridentini verbis liquet, nuptias legitimas esse sanctum Dei sacramentum, & qui coniugatos, aut mulierem coniugatam suo viro concumbentem abominandam dixerit, Anathema esse.

Reliqui verò duo Can. dist. 31. C. Quoniã. & dist. 28. c. Si quis. non contra Cælibatũ Clericorũ sunt constituti, vt aduersarij imperitè nugãtur: sed de vsu vxorũ, quas sacerdotes ante presbyteratum in coniuges duxerant. Nam & Catholici Anathema iis dicimus cum Concilio Gangrensi.

Falsum affingunt Canoni Confessionistarum Patroni.

Neque verũ est quod annotant aduersarij illo Cano. Synodi VI. Quoniam. esse cautũ ne foueretur Cælibatus, vti de suo improbè affingunt religiosi isti delecti Cõfessionistarum Patroni: sed

ſed tantùm agitur de vſu vxorum, quas ante ſacros Ordines legitimas duxerant: quibus Canon Græcæ Eccleſiæ negat legitimum vſum, ſed tempore, inquit, oportuno, prohibendum. Addit enim altaris miniſtros in tempore oblationis Sanctorum continentes in omnibus eſſe oportere. Neque verò damnat ſi quis ordinetur cælebs, aut non coniugatus: ſed diſertè agit de cõiugatis, quibus ſecundum Canonem Rom. Eccleſiæ inquit, poſt Diaconatum & Presbyteratum non licebat ſuis vti coniugibus.

Non damnant, aut prohibent Græci Cælibatum.

Quare & hîc manifeſtè ſunt falſi conuicti præclari iſti noui Confeſſionis Auguſtanæ defenſores, dum aiunt illo Canone, Quoniam. cautum, ne foueretur Cælibatus. Quinimò & mala fide hîc verſatos iſtos inde vel cæcis fiat perſpicuum, quòd Gratianus hunc Can. Quoniam. & hiſtoriam Paphnutij eueſtigiò præcedentem eo fine adduxit, vt pugnantibus quaſi Canonibus verum demonſtret, quod ſuperioribus aliquot agit diſtinctionibus, multa ex circunſtantiis loci, & temporis eſſe conſideranda atque interpretãda, quæ alioqui in ſpeciem videantur contraria. Vnde mox ſub calcem huius Can. Quoniam. attexuit, Hoc autem, inquit, ex loco intelligendum eſt. Orientalis enim Eccleſia votum caſtitatis in altaris miniſtris non ſuſcepit. Quod ergo diuerſitatis inter Oriẽtalem & Occidentalem Eccleſiam oſtendendæ cauſa eſt allatum, non debuit à Confeſſioniſtarum Patronis mala fide contra Occidentalis Eccleſiæ miniſtros obtorto collo torqueri. Verùm iſtis artibus opprimere conabantur veritatem, quæ ſuis ipſorum verbis & armis ſuos iugulat aduerſarios, hic iam non modò cauillationis, ſed falſi etiam reos conuictos. Sed ex falſis, futilibusque illis principiis quàm bellam colligant iſti Sophi concluſionem, nunc videamus.

Mala fide aduerſarios rem gerere.

Recitatis illis Vet. PP. ſententijs & Canonibus nihil Catholicam doctrinam infirmantibus, ſed mirificè confirmantibus, ita colligunt admodum futiliter. Ex quibus omnibus (inquiunt fol. 169.) planiſſimum fit Matrimonium eſſe vitæ ſtatum honeſtum, caſtum, & Deo placentem: Et inuicem Cælibatum Papiſticum plenum eſſe offenſionum, ſcandalorum, & impuritatis. Prius concluſionis huius

Inſulſa planè aduerſariorum concluſiúcula.

Coniugiũ Euangelicũ Catholici excellentius prædicamus, quàm isti Euangelici: puta esse Sacramentum, coniuges donis cælestibus augẽs, adhæc esse omni vita indissolubile.

membrum non solùm & nos docemus, sed Anathema etiam dicimus, si quis aliter sentiat: imò dignius, longeque magnificentius Matrimonij laudes prædicamus, quàm aduersarij isti Confessionistarum patroni: quando illud non modo honestũ & castum, sed sanctum, adeoq. Sacramentum docemus: quo Coniuges, vt Deo magis placeant, sanctificantur, verisque Dei opt. donis augentur, vt puri & immaculati lubrica illa vereque lurida genialis thalami gaudia percurrere queant, nulla vnquã ex causa, nisi vna mortis à se mutuo diuellẽdi, aut dissoluto maritalis nexus vinculo disseparandi.

Si apud Catholicos impurus est cælibatus ex quorundã moribus, apud Germanos matrimoniũ erit impurissimũ ex Apostatarũ incestis nuptiis, fœdisq. adulterijs, quibus scatet passim Germania.

An non lex Iulia dormit?

Alterum verò membrum omnino pernegamus ex superioribus scripturis, Canonibus, aut PP. testimonijs consequi. Si namque suis verbis fidem habent aduersarij, suis iacent telis iugulati. Nam si primus castitatis gradus est, vti ex Chrysost. contra se imprudenter allegant; syncera virginitas non potest esse impuritatis plenus cælibatus, quem Catholica laudat & probat Ecclesia. Iam quæ de scandalis, & offensionibus garriũt aduersarij, non magis Cęlibatum sua & natura, & instituto purum, mundũ & sanctum infamant, aut cõtaminant, quàm sanctas nuptias improborum apud Germanos adulteria, aut incestus: quos tam frequentes videre est, quot aut Monachos, aut Moniales videre est coniuges; quorum infinita apud ipsos est natio. quos verè esse Dei adulteros, ex verbis D. Ambrosii ad virginem lapsam, & Cano. Concilij 4. Carthaginensis dudum conuicimus.

Cæterùm quod ad Æneæ Syluij Cõsilium attinet de Coniugio Clericis permittendo, hîc non est oportunum persequi latius; sicuti nec illud quidem quod ex Erasmo recitant, Clericos huius ætatis magis censum, quàm pietatem castrare; quod vtinam non sit verum. Sed quid? an istorum sacrilega improbitas, sordidaq. auaritia sanctissimum institutum suis polluere potest sordibus? An Nicolai Antiocheni rabida libido castam D. Pauli attaminare, nedum infamare valuit continentiam?

Diluuntur rationes aduersariorum, quibus suam in Catholicos venenatã calumniam statuere conabantur.

Sed tandem, quæso te lector candide, rationes expendamus, quibus persuasi Confessionistarũ isti delecti patroni tam atrociter Catholicos accusarint.

Malè sibi conscij isti Anonymi Confessionistarum delecti Theolo-

Theologi & Consiliarij politici quod per meram calumniam Catholicos accusarant, quòd legitimum coniugium pro impuro & prophano vitæ genere reputent, nunc suas aliquot adferunt coniecturas, quibus in speciem probabiliter illam suam statuant calumniam. Istud enim satis ostendit, inquiunt fol. 170. Can. Proposuisti. Distinc. 82. quo etiam exponitur ratio, cur sacerdotibus interdictum sit coniugium. Quòd qui in carne sunt Deo placere non possunt. Interpretatur ergo Canon, In carne esse, pro in Coniugio esse. O incredibilem calũniandi impudentiam, quæ istos delectos Confess. Augustanæ defensores transuersos abripuit! Si quis Canonem ab ipsis allegatum vel primo intuitu inspexerit, agnoscet Anonymos Cofessionistarum delectos Catholicæ Ecclesiæ odio percitos data opera vanas dissidiorum istorum fouendorum causa captare cauillatiunculas.

Quòd igitur de industria Catholicis calumnias struant aduersarij, Canon hic vnus ab ipsis tam miserè distortus, ac contra mentem discerptus abundè testatum faciat.

Aiunt hoc Canone, Proposuisti, exponi rationem, cur Sacerdotibus interdictum sit Coniugium.

Calumniæ cõuincuntur aduersarij ex Canone miserè diuulso & distorto.

Quàm sit istud manifestæ falsitatis plenissimum, huius Canonis sententia solis luce clarius euincat.

Proposuisti, ait, Innocentius Ro. Exuperio Tolosano, quid de his obseruari debeat, quos in Diaconij ministerio, aut officio Presbyterij positos, incontinentes esse, aut fuisse generati filij prodiderunt.

Quid ergo hoc Canone agatur, ex propositione liquet, non de coniugio, vti fingũt aduersarij, sacerdotibus interdicto: sed de Clericorum incontinentia, quónam modo castiganda. longè autem diuersissima sunt de Clericorum incontinentiæ pœna disputare, & de coniugio illis interdicendo agere. nam de hoc ne verbum quidem: cùm proposita quæstio solùm de Clericorum post Sacerdotium, aut Diaconatum susceptum incontinentium pœna agat. Falsum ergo huius quæstionis statũ fingunt aduersarij, vt suam impudentissimã struant calumniam. Sed quod mendacio nititur, vltrò corrruit, vti hîc videmus.

Falsum Canoni affingunt Anonymi Confessionistarum Patroni.

Statum quæstionis inuertũt aduersarij.

Porrò vt alteram suam corroborent calumniam, nimirum

Calumniã alteram vt aduersarij statuere moliantur.

Catholicos coniugium legitimum pro impuro & prophano vitæ genere reputare, tria annotant ex illo Canone, Proposuisti. loca; quibus id sese demonstrasse contendunt.

In carne esse, nõ est in Cõiugio viuere, vti per calumniã Catholicis affinguntaduersarij.

Canon habet, inquiunt, quòd qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Interpretatur erga Canon, in carne esse, pro in Coniugio esse. Atqui istud pernegamus, cùm enim Canon ex scripturis ostendisset non licere Sacerdotibus Christianis, quòd quotidiè aut sacrificijs, aut baptismatis officio vacandum est, vti coniugali contubernio, quia & Mosaicis tempore sacrificij fuit suis ab vxoribus iussu diuino abstinendum: ne quis illud Pauli voce, vnius vxoris vir, decipiatur, interpretatur Innocentius quænam sit eius dicti Germana sententia.

" Non ad permanẽtem (inquit Innocentius Rom.) in concu-
" piscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiá futurá.
" & paulò inferius, ad habentem filios, non ad generantẽ dixit.
"

Innocẽtius eodem loco & Cõiugatos docet ad Sacerdotiũ assumendos.

Pergit autem Innocentius declarare non solùm coniugatos ad sacerdotium assumendos: sed & cælibes, siue innuptos. Neque enim integros corpore, inquit, non admisit Paulus ad Sacerdotium, qui ait. Vellem autem omnes sic esse, sicut & ego;
" Quod & apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt,
" Deo placere non possunt. Vbi magna diligentia animaduertendum est hanc D. Pauli sententiam ab Innocentio Ro. non esse allatam contra legitimũ Matrimonij vsum, quasi qui legitimè coniugati liberis dant operam in carne sint cẽsendi, siue carnaliter viuere: sed eum respicere ad illam, quam dudũ dixerat Sacerdotum coniugatorum futuram continentiam, scilicet post sacerdotij ordinẽ susceptũ, qui apud Occidentales ex consuetudine votũ habet continentiæ cõiunctum. Iam qui contra votũ agit, & incontinẽter viuit post promissam Deo cõtinentiam, haud dubiũ peccat, nõ aliter atq. illæ apud D. Paulum Viduæ, quæ suũ castitatis votum nouis nuptiis violarát, fidemq. frágentes Christo sponso datá, factæ erant Christi adulteræ: vti dudum ex perspicuo PP. Orthodoxorũ consensu demõstrauimus, quas ideo D. Ambros. Hieronymus, Augustinus, & Concilij 4. Carthaginensis Patres vocant Christi adulteras.

Non ergo in carne esse, vti Confess. Augustanæ defensores

crimi-

criminātur, Canon appellat in Coniugio eſſe: quia non agit generatim de omnium Coniugio: ſed eſt ſacerdotes coniugatos poſt continentiæ votum, ſiue poſt legem S. ordinibus annexā incontinenter, carnaliterq́; viuere, quod prima fide, ſiue primo continentiæ voto, dum Sacerdotij, ſiue Diaconatus, ordinem ſuſciperent, ſacroſanctæ Deo ex ritu Occidentalis Eccleſiæ promiſerunt, ſanctéque vouerunt & dedicarunt.

Sacerdotes poſt continentiæ votum, ſiue legem Ordinibus annexam, ſi caſtitatem Deo dedicatam temerant & violant, in carne viuūt.

Cæterùm quod loco ſecundo annotant Confeſſioniſtarum Patroni, prorſus ridiculum eſt. Canon habet, Mundis omnia munda: inquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Coniuges ergo, inquiunt, ſunt in hoc Canone inquinati & infideles. Quàm hoc ſit friuolum, facilè videt, qui vel Canonis obiter verba conſiderat. Non enim agit de coniugatis laicis, neque de coniugatis generatim: ſed iis tantum ſacerdotibus, qui carnali concupiſcentia poſt votum continentiæ contaminati tremendis ſacrificiis peragendis ſeſe temere ingerunt. Debere autem Sacerdotes tempore ſacrificij peragendi ſuis ab vxoribus abſtinere, & non illa carnali concupiſcentia contaminati accedere, dudum ex veteri Domini mandato Moſaicis ſacerdotibus præſcripto demonſtrarat Innocentius, Sancti eritis quoniam ego ſanctus ſum.

Inſulſum, planéque ridiculū Apologeticorū ſophiſma contra Coniugium ſacroſanctum.

Inſulsè igitur admodum iſti Confeſſioniſtarum defenſores vt illinc colligunt, Coniuges omnes eſſe inquinatos & infideles: ita hinc eſſe prophanos: cùm non generatim de omnibus agatur coniugibus, ſed tantùm de ſacerdotibus cōiugatis, qui, vti diximus & verborum circūſtantia euincit, carnali cōcupiſcentia contra oblatum Deo continentiæ votum contaminati audebant ſacrificare: cùm abſtinēdum eſſe vel eo ſaltem tempore, Moſaici ſuo demonſtrent exemplo Sacerdotes

Non ergo Coniugium legitimum Catholici docent eſſe impurum, aut prophanum, aut Coniuges omnes eſſe impuros, aut prophanos, nedum infideles: vti iſti hominum inſulſiſſimi nugantur: ſed non decere vt ſacerdotes coniugati, quibus & orandi, & ſacrificandi iuge officium eſt, maritalibus vacent officiis, ne in illam diuinam offendant legem, Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum, quod Moſaicis Sacerdotibus cùm pro tempore ſuæ vicis ſit mandatum, quando

in templo ipsis fuit sacrificandum, meritò & Christianis sacerdotibus semper est præstandum, quibus illa iugis orandi & sacrificandi functio diuinitùs est credita, ne carnali concupiscentia, sine qua illud thalami salacis commercium peragi nequit, Contaminati, Sancta contaminent. Quod & Græci suis coniugatis altarium ministris seuerè monent. Oportet eos, inquiunt Can. Synodi. 6. distinc. 3. Quoniam qui altari ministrant, in tempore oblationis Sanctorum continentes esse in omnibus, vt à Deo possint consequi, quæ suppliciter postulant.

Si ergo distinguatur inter Cõiugium laicorum & sacerdotum, nulla erit difficultas. Illis suo vti licet coniugio temporibus non ad orandum definitis, vti ait D. Ambrosius. (nõ enim ita multum temporis datum est coniugatis, si orandi tempus ex D. Pauli monitu orationibus, non complexibus & osculis dare cogitant): his nũquàm suo amplius post susceptos in Ecclesia Occidentali S. Ordines, vti licet Matrimonio; cui renunciantes, continentiamq. ex mutuo consensu vouentes sese cõtinenter absq. coniugali conmercio victuros promiserũt. Cùm enim perfectiori vitę generi sese iam deuouerint, ęquum est vt ea omnia deserãt, quæ vitæ Euãgelicæ perfectionẽ impedire, aut minuere vllo pacto queãt. At quis tã sese obbrutuisse profiteatur, qui neget coniugali commercio animum à diuinis abstrahi, mentem contenebrari, vim illam cælitus dudum haustam haud leuiter flaccescere, atque languescere?

Discrimẽ inter coniugatos Sacerdotes & laicos quoad vsum sui Matrimonij.

Si quando Christianis orandum est, aut ieiunandum, D. Paulus præcipit esse ad tempus abstinendum, geniumq. mutuo ex consensu fraudandum. an non quando ad diuina illa vel Angelis purissimis tremenda accedendum? an non multò magis quando ad horrendum illud sacrificium Christi Domini vice, ait Cyprianus, Deo patri offerẽdum, & immolandum? Cùm igitur perfectionẽ Christiani animi impediat cõiugalis complexus, vti dudum est ex D. Ambrosio alijsq. Patribus demonstratum, immeritò D. Thomam & Wilhel. Durateñ. Episcopum canino suo rodunt dente Anonymi isti Confessionis Augustanæ defensores, quòd hi dissuadeant coniugale vinculum ad regnum cælorum, siue perfectionem illam Euangelicam

Stanislaus Antonius

gelicam accuratè tendere volentibus. Nam & Chriſtus Dominus eos in primis laudat, qui ſeſe propter regnum Dei caſtrant, id eſt, à licito, vti docet Ambroſius, abſtinent Matrimonio, vt regno Dei aſſequendo ſeſe magis aptent. Vnde & Paulus, omnes vbi optaſſet ſibi ſimiles, hoc eſt, innuptos, &, vti ait Ambroſius, corpore integros ſiue cælibes, adiunxit & melius facere, qui virginem ſuam ſeruat integram, quàm qui matrimonio elocat. An non & D. Ambroſius, diſertè idem quod Thomas & Durateñ. Epiſcopus? Qui à licito, id eſt, à Matrimonio temperat, (inquit Cõment. 1. Corinth. ſub finem) vt melior fiat, quia propter Deum Virgo manere vult, ſimul omnia impedimenta carnis ſpernit, non neſcius hæc eſſe quæ greſſum currentis velut oneribus compedum detinent.

Quibuſdã recte atq. melius diſſuadetur Matrimonium, exemplo Chriſti & Pauli verbis.

1. Corinth. 7.

Quòd igitur Anonymi Confeſſionis Auguſtanæ defenſores locum Panopliæ noſtræ lib. 4. cap. 98. aliosque Catholicos ſcriptores notant, quòd hanc Eccleſiæ Catholicæ de Caſtitatis præ coniugij vſu præſtantia doctrinam defendimus, temerè faciunt: cùm non modò Vet. PP. teſtimoniis concorditer: ſed manifeſtis etiam verbi Dei ſententijs conformiter iſtud ſit præclarè factum, quemadmodum loco illo videre poterit, qui diffuſiorem huius rei deſiderat explicatum.

Ex iis autem quæ hactenus demonſtrauimus, candidis lectoribus ſatis perſpicuum confidimus Catholicos in hac de Coniugij Sacramento doctrinis nihil ſequi aut à perpetuo PP. Orthodoxorum conſenſu alienum; nedum à Dei verbo extraneum, aut pugnans: ſed aduerſarios (ſi calumnias & mendacia nobis impudentiſſimè afflicta tollas, quæ nunc ſuos in fumos liquida diſſipauit veritas) nihil adferre, quod iuſtam efficiat diſſenſionis Eccleſiaſticæ cauſam.

Epilogus.

Coniugium enim legitimum nõ impurum & prophanũ vitæ genus reputamus, quod pietati ſit inimicum, vti dudum aduerſarij criminabantur: ſed pro puro, ſancto & immaculato; quod citra omnem culpam & contrahi & coli à quouis poteſt, qui ſibi nuptias non fecit (quod aiunt Ambroſius & Hieronymus) illegitimas. Illud enim, melius eſt nubere, quàm,

vri, ad non pollicitam dicitur, ad non deuotam, ad non Christo dicatam: quæ si nupserit, primam fidem irritam faciet, adeoque damnationem sibi acquiret. Qui ergo post votum castitatis nupserit, non solùm Christi adulter est, mœchus, & incestus: sed illæ etiam nuptiæ non Matrimonium: sed adulterium; nec illi copulati iam coniuges: sed Christi adulteri atq. incesti sunt dicendi, quemadmodum dudum Ambrosij, Augustini, Cypriani sententiis, & Concilij Carthag. Canone est demonstratum.

Quare cùm nulla sit in hoc articulo iusta dissensionis Ecclesiasticæ causa, ad ea quæ supersunt est accedendum.

ANTITHESIS VIGESIMA TERTIA.

CAP. XLV.

Antithesin de vnctione, quam dicimus, extremam, aggressuri Confeßionistarum Apologetici, agnoscunt nobiscum concorditer mandatam in Ecclesia diuinitus precationem (inquiunt. fol 171.) publicam pro pijs, qua ægroti, & alijs aduersitatibus laborantes Ecclesiæ precibus publicis Deo piè commendantur. Deinde addunt de curatione medica ægrotorum, quam aiunt mansisse licitam, Prophetasque & Sanctos multos fuisse profeßione medicos, Apostolosque dono sanandi diuinitus ornatos. Hæc controuersiam non habent, sed quæ sua Antithesi Catholicis obijciunt, nunc excutienda veniunt accuratius.

Consensus de publicis precibus pro ægrotis à Deo institutis.

Papistæ hæc in superstitiosam (inquiunt fol. 172. ceremoniam & ludibria conuerterunt, consecrato aut magico potius oleo morituros perungentes: cui addunt mortuorum inuocationes impias, &c.

LINDANI RESPONSIO.

Quæ aduersarij ludibria & superstitiosa dictitant, Catholici solidis suorum maiorum vestigijs insistentes pia, religiosa, Christiana, adeoque Euangelica docemus atque obtinemus. Nam quod illi de oratione publica pro ægrotis diuinitus mandata affirmant, idem nos & de illa ægrotorum vnctione affirmamus, quæ publica cum precatione solemniter apud ægrotos fieri assolet.

Quem-

Quemadmodum igitur Apologetici asserunt illam precationem publicam non esse inanem, quia diuinitus, inquiunt, mandata est: ita & nos illam vnctionem publicæ iunctam orationi non posse inanem esse, cùm ex D. Iacobi Apostoli verbis liqueat eam esse Apostolici & seculi, & instituti: hoc est, disciplinæ certò Apostolicæ, adeoque Euangelicæ, quod restrictè hic nobis erit demonstrandum, priusquàm impuris, ne dicam impiis Confessionistarum maledictis respondeamus.

Originem Vnctionis extremę Apostolici esse cùm seculi, tū instituti.

Illud igitur D. Iacobi Apostoli capitulum, infirmatur quis in vobis &c. de Sacramentali vnctione, quæ peccatorum remissionem habeat coniunctam, accipiendum esse, claris admodum verbis aureum illud orationis flumē fundens Ioannes Chrysostomus docet: Libro enim de Sacerdotio beneficia collaturus, quæ à Parentibus, & quæ à Sacerdotibus accipimus Christiani. Neque verò dum nos, inquit, Sacerdotes Deo regenerant solùm, sed & posteà condonandorum peccatorum habent potestatem. Infirmatur quis in vobis, ait ille, aduocet Presbyteros Ecclesiæ & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini, & quæ sequuntur. In eundem sensum & D. Augustinus moribundos consolaturus hortatur non prętermittendum illud D. Iacobi præceptum, Infirmatur quis in vobis, &c. Ergo sic roges de te & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, imò per Apostolum suum Dominus. Ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus sancti typica vnctio. Hanc Sacramentalem vnctionem D. Innocentius epistola ad Decentium Eugub. disertius exponit: Non dubium est hanc Iacobi sententiam, inquit, de fidelibus ægrotantibus accipi debere. & Paulò post, pœnitentibus istud Chrisma fundi non potest, quia genus Sacramenti est. Sic & Veñ. Beda hunc D. Iacobi locum intelligendum ex Ecclesiæ Christianæ consuetudine docet, Illud enim, vngentes eum oleo, expositurus, hoc & Apostolos fecisse ait, in Euangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, vt infirmi oleo cōsecrato vngātur à Presbyteris, & oratione comitante sanentur. Rursus in D. Marcum scribens docet hunc vngendi oleo infirmos morem esse sanctæ Dei Ecclesiæ tradi-

D. Iacobū Apostolū docuisse Vnctionem Extremam esse Sacramentum, ex perpetuo consensu Patrum Orthodoxorū demonstratur.

Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

Augustinus appellat D. Iacobi præceptum.

Innocentius.

Beda.

» tum, vt Energumini (inquit cap. 6.) vel alij quilibet ægroti vn-
» gantur oleo pontificali benedictione consecrato.

Theophylactus

Theophylactus loca illa duo & Iacobi, & Marci, de Sacra-
» mentali hac vnctione accipiẽda contestatur. Est igitur oleum,
» inquit, & ad labores vtile, & luminis causa, & lætitiam effi-
» ciens, καὶ σημαίνει τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος, δι' ἧς
» καὶ κόπων ἀναλλαττόμεθα, καὶ φῶς, καὶ χαρὰν, καὶ ἱλαρότητα πνευμα-
» τικὴν δεχόμεθα. Quod latinis sonat: Ad hæc significat Dei mi-
» sericordiam ac spiritus sancti gratiam, qua & laboribus libe-
ramur, & lucem, & gaudium, & hilaritatem spiritualem ac-
cipimus. Ista enim spiritualia effecta operatur illius Sacra-
mentalis vnctionis efficacia, quæ omnia externo illo signo
vnà cum publica Ecclesiæ precatione luculenter significan-
tur, sed typicè, vti cælestibus mysterijs dignum est.

Oecumenius.

Similiter & apud Græcos omnes fuisse illam D. Iacobi sen-
tentiam de Sacramento acceptã, testis nobis est Oecumenius
» in Cõ. vbi ait illa verba interpretaturus de perpetuo S. Vnctio-
» nis Extremæ apud Christianos vsu, ἀλείψαντες ἐλαίῳ. τοῦτο καὶ τοῦ
» κυρίου ἔτι τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφομένου οἱ ἀπόστολοι ἐποίουν, ἀλεί-
» φοντες τοὺς ἀσθενοῦντας ἐλαίῳ, καὶ ἰώμενοι. Quod sic Latinè conuer

A concordia Ecclesiæ Græcanicæ, quæ in hsic vsque diem sacrato vngit oleo sub finem vitæ & litaniam recitat.

tas: Postquã oleo vnxerint. hoc etiã, ait, quãdo Dominus inter
homines adhuc versabatur, Apostoli faciebant, dum oleo vn-
gerent ægrotantes & sanarent. Qui Oecumenij doctiss. viri
commentarius multorum instar nobis fuerit, si quotidiano Ec
clesiæ Græcanicæ vsu praxiq. Græcorum illustretur. In Eu-
chologio Grẹco, quod ordinarij, siue Sacramẽtalis loco Grẹcis
est, varia extant capitula, quẹ variam ẹgrotos visitandi, Deoq.
animam in cælos anhelantem commendandi formulam præ-
scribunt. Nos ex ijs bona fide delibabimus, quæ cõsensũm Ec-
clesiæ Græcanicæ atq. Latinæ in S. vnctionis ritu statuere vi-
dentur, vt pijs lectoribus contrà istos temerarios nouatores li-
queat ex eodem verbi Dei fonte natã apud omnes toto orbe
Christianos piam hanc extremæ Vnctionis ceremoniam.

Euchologion Grẹcis est, quod Latinis ordinarius aut Missale & Sacramentalis Codex.

Officium consecrandi S. Olei infirmorum.

In capitulo vbi describitur Sacri Olei Acoluthia, siue diui-
num officium, vt Ecclesiastica phrasis vocat, quẹ à VII. Sacerdo-
» tibus ad prẹscriptũ D. Iacobi peragitur, post Psalmos plurimos,
» lecto Canone, & Acrostiche, alijsq. Antiphonis, Troparijs &

Respon-

Reſponſorijs, ita oratio funditur: Deus miſericordiarũ reſpice ad deprecationem noſtram qui hodiè conuenimus in ſancto templo tuo χρίσαι θείῳ ἐλαίῳ νοσοῦντας τοὺς δούλους σου, vngere diuino Oleo ægrotantes ſeruos tuos. Deinde poſt quædam, ἔδωκας τ̃ χάριν σου, διὰ τῶν σῶν εὐδιάλλακτε, ἀποστόλων, φιλάνθρωπε, ἐλαίῳ ἁγίῳ σου θεραπεύειν πάντων πληγὰς, καὶ τὰς νόσους, διὰ ἐλέῳ σου πιστῶς τὸν προσιόντα, καὶ νῦν ὡς εὔσπλαγχνος, ἁγίασον, ἐλέησον, παντοίας νόσου, καθάρισον, καὶ ζωῆς τ̃ ἀφθάρτου σου καταξίωσον κύριε. Quæ ita conuertantur: Domine reconciliatu facillime, atque humani generis amantiſſ. qui per Apoſtolos tuos gratiã tuam oleo tuo ſancto dediſti ſanandi omnium plagas & morbos, idcirco famulum tuum ad tuã miſericordiam accedentẽ etiam nunc domine miſericordiſſime ſanctifica & miſerere, omniq́. morbo expurga, & voluptate tua immortali eum dignare. Rurſus βλέψον ἀκατάληπτε, καὶ τὰ ἑξῆς, Reſpice Do. incomprehenſibilis de cælo propitius, & manu tua inuiſibili ſigna ô miſericors, noſtras infirmitates oleo tuo diuino, ſeruumq́. tuum ad te fideliter accurrẽtem, ſupplicantẽq́. erratorum & lapſuũ ſuorum remiſſionẽ: ac dona ſanitatem cùm animæ tum corporis. Poſteà vbi partem litanię abſoluerint, ſic legitur: Oremus Dominum vt oleum hoc benedicat virtute & operatione, & deſcenſu Spiritus ſancti. tum recitata Epiſtola D. Iacobi, Infirmatur quis in vobis, & quæ ſequuntur: & Euangelio de Samaritano, fit oratio, Domine ſancte ſanctorum, principio, fineq́. carens, qui vnigenitum filium tuum emiſiſti, vt ſanaret omnem morbum, & infirmitatem animarũ, & corporum noſtrorũ, demitte ſpiritum tuum ſanctum, & ſanctifica oleũ hoc & fac ſeruo tuo· N. vncto εἰς τελείαν ἀπολύτρωσιν τῶν ἁμαρτημάτων, in perfectam redemptionem peccatorum ſuorum, & regni cælorũ hæreditatẽ. Lectis deinde variis D. Baſilij, aliorumq́. precibus verè Apoſtolicis pro ægrotãte, progreditur in mediũ Sacerdotũ is, qui ægrotum vnctione liniet: ac Sacerdotum princeps acceptum Euangelij Codicem capiti ægroti imponit, eidemq́. alij Sacerdotes manus imponunt, ac oratione finita, oſculatur æger S. Euangelium, καὶ χρίεται ἐκ τοῦ ἁγίου ἐλαίου παρὰ τῶν ἱερέων, vngiturq́. oleo ſacro à ſacerdotibus, dicentibus Pater ſancte, animarũ & corporum medice, & deinde admonet ipſum, & orat.

Diuinum Oleũ Græci piè appellant quod diuinis precibus conſecratũ eſt inuocato Dei nomine.

Litaniam legũt Græci quando S. Oleum conſecrant vti & Ro. Eccleſia in Paraſceue.

Epiſtola D. Iacobi legitur ad S. Olei conſecrationẽ vt fides auditoribus excitetur, alatur & augeatur.

 Sic

„ Sic & alio cap. post preces verè pias pro ægrotante fusas sic
„ habet Rubrica: καὶ ἀλείφει αὐτὸν ἁγίῳ ἐλαίῳ ἐκ τῆς κανδήλας vngit eum oleo sacro ex ampulla, & dicit, Pater sancte, sana hunc seruum tuum N. ab hac sua tam animæ, quàm corporis infirmitate per gratiam Christi tui, vitæq. eum restitue, secundum quod est tibi placitum. cui orationi publica Sanctorum plurimorum subtexitur litania ab illa omnibus Latinis nota nihil dissimilis: quam paucis delibabimus in gratiam eorum, qui pacis Catholicæ, concordiæq. Euangelicæ sunt ex animo cupidi aut studiosi. Hunc igitur in modum illic orat Ecclesia Græca, dum æger diuino perungitur oleo. πρεσβοίαις καὶ ἱκεσίαις τῆς παναχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου μαρίας, τῇ δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινοπόλεως τοῦ χρυσοστόμου, βασιλείου τοῦ μεγάλου, γρηγορίου τοῦ θεολόγου, νικολάου τοῦ θαυματουργοῦ, τῶν ἁγίων ἐνδόξων μεγάλων μαρτύρων γεωργίου τοῦ τροπαιοφόρου. καὶ τὰ ἑξῆς. Quæ Latinis auribus ita sonant: Intercessionibus & supplicationibus Dominæ nostræ intactæ atq. omnino incontaminatæ Dei genetricis, semperq. virginis Mariæ, virtute honorandæ atque viuificæ Crucis, Sanctorum gloriosissimorum atque celeberrimorum Apostolorum, Sancti patris nostri Archiepiscopi Constantinopolitani Iohannis Chrysostomi, Basilij magni, Gregorij Theologi, Nicolai mirifici, Sanctorum glorisissimorũ Martyrũ, Gregorij Tropheophori. &c.

Litania Ecclesiæ recitatur quando ægroti S. oleo vnguntur apud Græcos.

S. Maria. SS. Apostoli S. Ioã Chrys. S. Basili. S. Nicolae. S. Georgi.

Copiosius hæc commemoranda duximus, quòd formulam publicæ precationis, quę etiamnum apud Catholicos obtinet, non modò contineat: sed quòd eadem etiam D. Ambrosij nomine in antiquissimis codicibus extare inueniatur. Sic enim Louanij in Bibliotheca Reuerẽdiss. D. Nicolai Ruterij Episcopi Atrebatẽsis legitur, Benedictio olei infirmorum Ambrosiana: quam bona ex parte hisce subtexere placuit, quòd ad stabiliendam Catholicam huius quęstionis de loco D. Iacobi doctrinam haud mediocriter conducere videbatur. Sic igitur illic orat D. Ambrosius vir Christianissimus: In tuo nomine omnipotens Deus ✠, & in Iesu Christi filij tui Domini nostri ✠ signo, & in virtute ✠ Spiritus sancti hanc exorcizamus, simulque sanctificamus creaturam olei: quia ita Benedictus Dominus

Ex D. Ambrosio cõstabilitur S. Olei consecratio, & infirmorum vnctio cum Litania.

Oratio D. Ambrosij super Oleo infirmorũ.

minus noster per Apostolos suos declarare dignatus est, dicẽs: Si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum: & si in peccatis fuerit dimittentur ei. Et iterum, omnia possibilia credẽtibus docuit. Et vt cunctum seculum eius claritate saluaret, sic locutus est, dicens: Petite & dabitur vobis. Quęrite & inuenietis; Pulsate & aperietur vobis. Quapropter Domine tua ineffabili bonitate reperta, submissis precibus credẽtes nullum alium Deum, nisi te Domine, qui diues es in misericordia, celeriterque subuenis, peritissimum medicum te imploramus, vt apertis cælis Spiritus sancti velocitate deducta virtutis tuæ medicinam in hoc oleum propitius infundas, descendatque in illud Domine, potentiæ tuæ donũ, descendat claritas, & origo virtutum, descendat lenitas & puritas sanctitatis. Exorcizetur tuæ ✠ crucis vexillo, benedi ✠ catur dextera maiestatis tuę, & cor ✠ roboretur filij tui Domini nostri redemptoris signaculo. Præsto sint Domine Angeli & Archangeli, & omnis militia cælestis, adsit Apostolorũ ac martyrum & fidelium Sacerdotum, atq. omnium sanctorum tuorum dignissima oratio: sub quorum præsentia dum in tuo nomine, Domine Iesu Christe, hoc vnguentum compositionis, & commixtionis ad liniendum infirmis corporibus dederimus, continuò peragratis visceribus eorum omnem violentiam euomant fellis. Quam D. Ambrosij precationem qui diligenter expenderit, agnoscet eandem ei fuisse fidem, eandemq. de D. Iacobi loco sententiam, quam dudum Ecclesię Græcanicæ fuisse ostendimus. In eandem sententiam & in D. Bernardi vsque ætatem fuisse illud D. Iacobi capitulum à Latinis omnibus acceptum, videre est ex eius libris, quos de vita S. Malachiæ scripsit, demonstrans eum hac quoque vngendi ceremonia ex ritu Ecclesiæ Catholicæ fuisse vsum.

D. Ambrosius B. Iacobi locũ, Si quis infir. intellexit de oleo infirmorum.

Inuocatio Sanctorum ad S. Olei Ambrosianam consecrationem.

D. Bernardus superioribus consentit.

Porrò de consensu Ecclesiarũ tam Orientaliũ, quàm Occidentaliũ in hoc doctrinæ capite nulli est dubitãdi locus apud eos qui Cõcil. Florẽt. illi celeberrimo aliquid fidei tribuẽdum arbitrantur. Ibi enim disertis admodũ verbis in formula fidei

Græci & Latini in Concilio Florentino D. Iacobi locum cõcorditer interpretantur de Sacramento Extremæ Vnctionis.

„ Christianæ Armenijs communi consensu præscriptæ, septem
„ tradunt Sacramenta, è quorum numero Quintum docent esse
„ Vnctionem extremam: quod nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, de quo apud Iacobum legitur, infirmatur quis in vobis: cuius effectus est mentis sanatio, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.

In hunc igitur vsum & Apostoli ægrotos vngebant, & tota Ecclesia Catholica, vti tam Græcorum, quàm Latinorũ PP. testimoniis iam est demonstratum. Vnde rectè in Concilio Florentino ex cōsensu Græcorum & Latinorum, ante annos 150. definitum est illam D. Iacobi Apostoli pericopen esse de Sacramento Extremæ Vnctionis accipiendam. Liquet igitur hanc Vnctionē sacris verbi Dei testimonijs nixam, veterũ Patrum testimonijs probatam, antiquissimis Apostolici seculi exemplis contestatam, indubitatis denique Conciliorum vniuersalium definitionibus confirmatam non superstitiosè, sed Christianè, adeoq. Euangelicè pro vero Christianæ Ecclesiæ Sacramento haberi atque obtineri.

Ad blasphemias Anonymorum impias pia responsio

Porrò quod nugantur de consecrato, aut potius, vti blasphemant, magico oleo, responsum aliud hîc non meretur, quàm nos consequente Antithesi 24. de traditionibus demonstraturos esse non superstitiosum, nedum magicum; sed verè Christianum, religiosum, adeoq. Apostolicum, & Euangelicũ creaturas Dei bonas certa verborum formula ad Dei laudem, & humanam incolumitatem siue salutem Dei nomine inuocato sanctificari atque consecrari.

Illud verò quod de impiis impij isti iterum impiè blaterãt mortuorum inuocationibus, superius prima Antithesi nos ita refutatum confidimus, vt candidi arbitri nihil amplius desiderent, quod rem longè sanctissimam iuxta ac Vet. PP. consensu perpetuo nixam ab irreligiosis istorũ defendat cachinnis.

Cæterum illud non est leuiter transmittendum, quod addunt Catholicos docere, morituros, qui his vnctionibus vtuntur, consequi remissionem peccatorum omnium, quæ externis membris admiserunt.

Quàm absurdum, planeque ineptum est istos Sophos in reprehensionem conuertere, quod ipsi alibi laudarunt? Paulò

antè

antè affirmabant, cati isti Confessionistarum patroni diuinitus mandatum precationem publicam pro ægrotis, qua Deo piè commendãtur. Neque ea precatio (inquiebãt fol. 171.) est inanis. Cur ergo nunc reprehẽdunt Catholicos, quòd docẽt ęgrotos consequi peccatorum remissionẽ; cùm id non tam tribuamus soli vnctioni, quã publicæ orationi illi coniunctæ: Oratio enim fidei, inquit Iacobus, saluabit infirmum: & si in peccatis fuerit, remittẽtur ei. Auditis promissionẽ de peccatorũ remissione, quam ad publicam illam & vnctionem & orationẽ consequũtur ægroti. Quare mera calumnia est, quod in huius Antitheseos conclusione isti Anonymi Confessionis Augustanæ defensores euomunt, hæc impia esse & contumeliosa (inquientes fol. 172.) in meritum filij Dei manifestissimum est, tribuere creaturæ & rancido oleo, quæ tribuenda essent vulneribus Christi. O cæcos calumniatores, quos inuida fratrum rabies à vero suis ipsorum verbis dudum contestato conspiciendo excæcauit! Aiunt nos creaturæ tribuere peccatorum remissionẽ. Atqui ipsi sui præcalũniandi rabie obliti recitarunt nos ægrotis imprecari peccatorum remissionem hac verborum formula: Per istam vnctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus. An quod piissimæ Dei misericordiæ tribuitur, non etiam Christi vulneribus tribuitur? An ea nobis sine Christo speranda est, an nõ disertè tales precatiunculæ omnes solemni illa precandi formula concluduntur per Christũ Dominum nostrum? Viderit ergo candidus istarum controuersiarum arbiter, quònam isti delecti Confess. Augustanę defensores agantur atque raptentur spiritu, qui tam rabido calumniandi œstro perciti non vident se suis verbis iacere iugulatos.

Asystaton.

Calumnia.

Alterum Asystaton fœdiss.

Quod enim per Christi meritum rogatur, vt Deus sua misericordia ignoscat ægrotantibus, non creaturæ, non vnctioni, non oleo, sed vni Christo tribuitur redemptori atq. saluatori.

Proinde illud Epiphonêma, quod præclaris istis stratagematibus ad fouenda inter fratres perniciosa dissidia, ad discordiam exitialiter alendam, ad concordiam semel profligandam inuidè comparatis subtexuerũt, pestilentissimo, imò sathanico infectum est veneno. hoc quid aliud est, inquiunt fol. 172. quàm deturbare Christum de suo loco, & idolum reponere?

Calumnia plus quã Sathanica.

 O cæ-

O cæcas hominum mentes! ô maleuolam calumniandi rabiē! ô inuidam istorum Confess. Augustanæ defensorum maleuolentiam! qua perciti nihil pensi habent quid dicant, quid faciant; modò desideratam pijs omnibus violent, imò discerpant atque distineāt concordiā inter Christiani nominis fratres, facillimè, si per istos liuidos almæ pacis perturbatores liceat, coalituram. An Catholici Christum suo loco deturbamus, quia eum nobis sua dona variis viis, variis remediis, varijs Sacramentis communicare docemus? Viderint pij arbitri vtri salutarem Christi gratiam Christiano gregi inuident, an qui septem quasi carnalibus eius meritum in animas nostras sanādas, expiandas, sanctificandas salutariter profluere docemus: an vos qui tantùm duobus, imò vix vno? Verùm ista Collatio alibi erit oportunius persequenda.

Calumnia insanis capitibus dignissima.

Sed cuius obsecro est furoris Catholicos accusare idolum in Christi locum reponere, qui peccatorum remissionem fratribus ægrotis per publicam Ecclesiæ precationem, adhibita vnctione Apostolica, & per pijssimam Domini Dei misericordiam imprecamur? an satis sobrij censendi Catoniani isti Confess. Augustanæ defensores? qui non solùm suorum prius verborum obliti, sed tam insana, tam impia, tam sacrilega de fratribus audent confingere, tamque nefaria exprobrare?

Epilogus.

Quare facillima erit & in hoc doctrinæ capite optatæ pijs omnibus concordiæ ratio: cùm aduersarij præter impudentem inficiationem, & impudentiorem calumniam adferant nihil, quod Ecclesias disturbet, nedum distineat diutius. Videt enim lector candidus, vti opinor, Catholicos verbo Dei & perpetuo PP. Orthodoxorum consensu nixos nihil nouum inuehere, sed antiquam obtinere Catholicæ Christi Ecclesiæ, perspicuo Verbo Dei haustam, perpetuoque Orthodoxorum Patrum cōsensu confirmatam doctrinam. Quare ad vltimam igitur veniendum est Antithesin, quam de Traditionibus pontificiis inscribere placuit.

ANTITHESIS VIGESIMA QVARTA.

DE TRADITIONIBVS PONTIFICIIS.

Posteaquàm Euangelici isti, si superis placet, in Euangelica Christi Domini, cùm Dogmata, tū Sacramenta suo pro more sunt, quodlibido tulit, debacchati, xxiiij Antithesin faciunt de Traditionibus Pontificijs, quas vt in inuidiā apud imperitos traducant, odiosè admodum, longoq; catalogo enumerant sacras ceremonias, siue ritus Ecclesiasticos, quos illi vna voce appellare non verētur cultus superstitiosos, impios, magicos, diabolicos, Idololatricos, ipsaque adeo idola, à Rom. Pontificibus ad Christi meritum obscurandum, ipsumq. Christum suo loco deturbandum esse inuecta.

Pias Catholicorum ceremonias blasphemant aduersarij diabolicas, Magicas & Idololatricas: quibus tamen ipsi adeò Protestantes nō pauci in hunc vsq. diē piè vtuntur.

RESPONSIO LINDANI.

Isthæc blasphema omnia ne sine ratione dixisse noui Confessionistarū delecti defensores videātur, aliquot sacra prophanis suis intermiscent maledictis Scripturarū loca: quibus quod aiunt, cōfirmasse putari volūt. Ea nos initio demōstrabimus nō pugnare cum ritibus, siue ceremoniis Ecclesiæ Dei Catholicę.

Qua Methodo hæc Antithesis refutanda.

Deinde nullas apud Catholicos esse ostēdemus ceremonias, siue Ritus sacros, qui nō verę pietatis custodes, mysteriorū vmbrę, vereq́. Apostolorū aut saltē Apostolicorū virorū traditiōes esse conuincātur: Ideoq. iurè obtinendos, tantū abest vt impij sint, magici, diabolici, aut quod blasphemant, Idololatrici.

Postremò quia immēsum quendā Rituū Ecclesiasticorum obijciunt cumulū, nullo ordine conglomeratū, nulla serie contextū, nos vt rebus studio aduersariorū obscuratis aliquid affundamus lucis, certas in classes illos digeremus, vt facilior sit veritatis victoria, vbi innato suo fuerit lumine illustrata.

Loca scripturarum contra pios Ritus Ecclesiasticos ab Anonymis Confeßionistarum patronis obiecta, suo germano sensui vindicata.

Quibus nam strophis vtantur aduersarij.

Aduersarij vt Ecclesiasticos viros Catholicos magis in inuidiam apud prophanos suos Dominos traducant, aliū fingunt ceremoniarum Ecclesiasticarum finem, quàm verè habent. Aliorsum quoque detorquent quàm sunt à piis Maioribus nostris aut institutæ, aut obseruatę. De traditionibus humanis inquiunt, fol. 172. institutis ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, aut satisfaciendum pro peccatis, expressè vtitur Christus in Euangelio regula quæ exstat apud Esaiam Prophetam, frustrà me colunt mandatis hominum.

Atqui negamus Catholici talia vlla eſſe mandata hominū apud nos,ad placandūDeum,aut promerendā gratiā inſtituta.

Siquidem omnia quæ hunc ad finē faciunt, mera eſſe diuina docemus mandata,expreſſaq. Chriſti Domini oracula, aut manifeſta Spiritus ſancti inſtituta. Hæc enim omnia aut diuino Chriſti ore nobis ſunt promulgata,aut ſacroſancta Apoſtolorum ſiue diſcipulorum ſpiritu Dei afflatorum traditione atque diſciplina,perpetuisque piorum moribus prodita.

Eſaias contra Pharizæorum deuteroſes agit, Chriſto interprete:nō contra pias Apoſtolorum ceremonias aut traditiones diuinitus inſtitutas.

Non ergo Eſaiæ regula cōtra Chriſtianos ritus loquitur:ſed cōtra mādata Pharizaica;cōtra deuteroſes;cōtra impias ipſorū traditiones diuinis mādatis repugnātes:de quibus & Chriſtus ipſe Dei ſapiētia atq. cæleſtis veritas diſertè illā interpretatur.

Quod autē delecti Cōfeſſioniſtarū Patroni de Eccleſiaſticis affirmāt ritibus,eadē facilitate negatur,qua affirmatur. Idola eſſe aiunt,negamus:aliud nos inuehere aiūt Euangeliū,quàm ab Apoſtolis eſt annunciatū:negamus. Adhæc adnotant aduerſarij diuinā ſcripturam aduerſus hæc æternum,immutabile & expreſſum Dei mandatum proponere, fugite Idololatriam. Idem docemus & nos, oſtēdentes priſcos Eccleſiæ ritus,quos Catholici pia maiorum obſeruatione per manus ab incunabulis vſque Chriſtianæ Religionis traditos obtinemus,nō eſſe Idola:ſed nouata iſthæc Euangelicorū prorſus omniū dogmata demonſtramus vera eſſe priſcorum hæreſiarcharū ſomnia, germanaq. Idola:quibus,vti & olim, Cacodæmon verā diuini cultus obſcurare,imò reipſa Euangelicā delere conatur religionem,& ipſiſſimā Chriſti Ieſu doctrinā abolere. Quorū hæreſiarcharū dogmata dū Euāgelici (vti alibi ſolis luce demōſtrauimus clarius) pro Euāgelio deſerta Eccleſiæ Dei Catholicæ doctrina ſuſcipiūt,ſibi nō cauere à Pſeudoprophetis cōuincimus, ſed Pſeudoapoſtolos pro Apoſtolis: miniſtros Antichriſti, pro Chriſti ſeruis;impoſtores diaboli in angelos lucis ſeſe transformātes pro Euangeliſtis admittere liquet. Vnde irrefragabiliter efficitur Confeſſ. iſtos veriſſima impoſtoris diaboli colere Idola.

Vide Dialogos noſtros de animi tranquillitate.

Proteſtātes verè conuincantur Idololatræ quòd impia hæreſiarcharum Idola nūc Euāgelij ſtudio à veteratore ſathana eiuſque ſatellitibus fucata & renouata ſuſcipiunt, colunt, adorant.

Iſtorum Idolorum quæ apud Proteſtantes in pretio ſunt Catalogum dabit Apologetici Epilogus.

In ipſos ergo verè quadrāt,quę in nos immeritò,falſoq. cōglomerāt diuinarū ſcripturarū capitula ex 1.Pſal.&c.Itē ex Canonibus,& PP. ſententiis:quando præcipitur vt nos ſeiungamus ab Idololatris:quibus nos ad vnū omnibus anathema dicimus.

Cùm igitur hæc in nos quidē aut verè dicta,aut aptè in nos qua-

quadrare pernegemus: cõtra illi affirmare, imò exprobrare nõ dubitẽt tãta animi cõtentione, vt in huius antitheseos epilogo subijcere nõ puduerit: Hęc Idola, inquiunt, Papistica, hos ritus magicos cultus superstitiosos, impios, diabolicos, vnã esse ex illis præclaris caussis, propter quas status & Imperij ordines, qui Confessionem August. Carolo. V. Augustę exhibitã amplectũtur, discessionẽ à Rom. Ecclesia necessariò fecerint, quid obsecro superest aliud, quã vt omisso atq. pręciso huius cõtentionis fune ostendamus ritus Ecclesiasticos, siue Ceremonias Catholicis vsitatas non esse impias, magicas, diabolicas, Idololatricas, sed verè pias, Apostolicas, Euangelicas? fol. 180. fol. 193.

Quãquam Anonymi Cõfessionistarũ Apologetici duo faciãt distincta capita de Traditionibus humanis & cultibus Idololatricis: nos tamẽ vtrũq. eadẽ perstringemus opera, quòd ad eundẽ hæc pertineãt scopũ, eundẽq. respiciãt finẽ, videlicet vt iustam dissessionis illius Abyronicæ, sacrilegiq. schismatis defuisse Imperij Ro. Ordinibus & Germanię Statibus causam demonstremus. Cũ enim ipsi eadẽ illa fœdè commisceant, aptius vno tractatu complectemur. Traditiones enim illas, quas dicunt humanas, cultus quoque appellant superstitiosos, & Idola Papistica. fol. 173. fol. 173.

Iam vt illa omnia vno verbo semel aboleant aduersarij, sacros Ecclesię Dei Catholicæ ritus, ceremonias atq. cultus irridẽtes, imò blasphemãtes vocant cultus superstitiosos, ritus magicos, impios, diabolicos, adeoque Idola Papistica; quibus nominibus omnia perstringũt acerrimè, quæ apud Catholicos religiosa cõsecratione, piaq. diuini nominis inuocatione ad certũ aliquẽ sacrum cultũ, siue humanũ vsum aptãtur, & D. Paulo teste sanctificantur. Horũ aptissimè fiet suas in classes distributio, ne quis omnia pari dignitatis, aut sanctimoniæ gradu existimet aut collocata, aut accipienda: vbi anteà demonstrauerimus certarum rerum consecrationem Christianis vsitatam verè esse Euangelicam & Apostolicam. 1. Timoth. 4.

Consecrationis autẽ nomẽ hìc nobis idẽ est, quod vulgò benedictio, siue sanctificatio vocatur: quãdo cũ oratione ad Deũ Opt. Max. fusa diuinum ipsius nomen atq. potestas certo ritu super creaturas inuocatur. Porrò inuocare Dei nomen sicuti & orare, nullus impium dicere potest, aut nefarium, qui modò Consecratio quidnam sit Catholicis.

Athei nomen velit effugere. Sed quòd certo ritu diuinum nomen ſuper creaturas conſecrandas piè, ritè atque Chriſtianè inuocetur, in controuerſia poſitum eſt.

Origines Eccleſiaſticarum conſecrationum eruũtur ex verbi Dei oraculis & prophetarũ factis.

Hanc autẽ creaturarum conſecrationẽ in diuinũ cultũ ſiue humanũ vſum eſſe legitimã, piã adeoq. ipſi Deo gratã, teſtãtur nobis diuinorũ Patriarcharũ ſacrorumq. prophetarũ cùm dicta tum facta. De Iacob ait, Moyſes, quòd lapidem, cui indormiens viderat angelorũ aſcenſum atq. deſcenſum, euigilans erexit in titulum, fundẽs oleum deſuper: ſiue vt eſt apud. 70. καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην, καὶ ἐπέχεεν ἔλαιον ἐπὶ τὸ ἄκρον αὐτ. quod eſt, ſtatuit illum in columnã, & effudit oleũ ſuper ſummitatẽ eius: de quo inferius adiecit, lapis iſte erit mihi domus Dei.

Quinimò Dei iuſſu Moyſes tabernaculum, arcam teſtamenti, menſam, cãdelabrum, altaria, & vniuerſa quæ ad cultũ eorum pertinent. Aaron quoque & filios oleo vnctionis ſancto vngebat. Quæ Deus ipſe hoc vnguẽto, Exo. 30. cap. præſcripto, teſtatur ſanctificari: imò eſſe ſancta ſanctorum, & Sacerdotes hoc ipſo oleo ſanctificari, vt ſacerdotio fungantur.

Sed has conſecrationes dicent aduerſarij Moſaicas, typicas, Iudaicas: ideoq. vnà cum Moyſe eſſe abolitas, Chriſtianiſque hominibus illicitas.

Quod equidem de illis Moſaicis ad tabernaculũ vetus, & ſacrificia Aaronica pertinentibus vt libenter conceſſero: puta non eſſe nunc illis antiquo ritu præſcriptis vtendum, quia falſæ nunc eſſent, (nam futurum ſignarent, quod iam expletum: vnde hac parte ſunt antiquatæ) ita res ipſa declarat ipſum conſecrationis genus non eſſe impium, irreligioſum, aut Deo ingratum, etiam vbi nullum eſt diuinum mandatum.

Quod vno D. Iacob patriarchę exẽplo fit longè manifeſtiſſimum, qui ſua ſpontè, vltroneaq. religionis pietate lapidẽ oleo perfudit. Quod autem conſecratio ſiue benedictio, & ſanctificatio legitimè certo ritu apud Chriſtianos quoque fiat, nunc Euangelicis eſt demonſtrandum exemplis.

Noui teſtamẽti exẽplis docetur variarũ rerum benedictio & conſecratio. Ex Chriſti Domini facto.

Chriſtum Dominũ ait Marcus illos piſciculos turbę alumnos benedixiſſe atq. ἀυτά ἐυλογῆσαι, id eſt inuocatione diuini nominis cæleſtem vim ipſis piſciculis impetraſſe, vt tantis turbis nimirum ad alimentum ſufficerent. Benedixit illis, inquit, ne temere putet Chriſtianus lector benedictionem, ſiue Chri-

ſti

ſti Domini εὐλογίαν, hoc loco ad gratiarum actionem Dei pertinere. Illos piſciculos, inquit, benedixit, vt diſertè D. Marcus diſtingueret hanc Chriſti Domini benedictionem à gratiarum actione, quæ dudum præceſſerat in panum illorum ſeptem benedictione.

Habes hìc lector Chriſtiane, Chriſti Domini luculentam creaturarum certo ritu cõſecrationem: hoc eſt, cum oratione, & imprecatione ſiue εὐλογίᾳ benedictioñe: quàm ne quis imperitior exiſtimet ſolùm gratiarum actioñe ſignificare, D. Paulus diuinam myſterij Euchariſtici conſecratioñe declarás, Calicem appellat, τῆς εὐλογίας ſiue conſecrationis. Ait enim Calix benedictionis, cui benedicimus, ſiut vti Græcè eſt, ὃ εὐλογοῦμεν quem benedicimus, & conſecramus. vti eſt apud Oecumeniũ ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, οἶδας ὃ λέγω, id eſt, quem benedicentes & conſecrantes conficimus: Noſti quid dicam. hunc in modum D. Auguſtinus etiã contra Fauſtum lib. 20. cap. 22. explicat. Panis & calix non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur. Similiter Serm. de verbis Euangelij, non omnis panis, ſed accipiens benedictioñe Chriſti, fit corpus Chriſti. Porrò Sacerdotes exẽplo Chriſti panem & Calicem myſticum benedicere ſiue conſecrare, ex eo fiet manifeſtiſſimum, quòd Chriſtus Dominus non ſolùm in cœna panem benedixerit, quod latina Eccleſia in Sacrificij Canone affirmat: ſed etiã in Emaunte, quando duobus diſcipulis peregrina ſpecie apparens ſuum corpus ſacroſanctum tradidit, quemadmodum D. Chryſoſt. Theophylactus, Beda, & alij dudum Antitheſi 20. recitati conteſtantur. Quod autem panem in Emaunte conſecrauit, D. Lucas cap. 24. teſtatur. Accepit panem, inquiens, ac benedixit, εὐλόγησεν, conſecrauit. Sanè D. Chryſoſt. hunc in ſenſum interpretatur in Cõment. Cùm erga benedictum panem porrigit, ait, aperiuntur oculi eorum vt eum cognoſcant.

D. Paulus ait Calicẽ Domini conſecrari. 1. Corinth. 10.

In cœna vltima Chriſtus Dominus panẽ cõſecrauit, vt & in Emaunte.

Iſtud ex Theophylacto plenius intelligas, qui ſic in D. Lucam ſcribit. αἰνίττεται δέ τι καὶ ἕτερον, ὅτι τοῖς μεταλαμβάνουσι τοῦ εὐλογουμένου ἄρτου Inſinuatur & aliud quiddam, putà quòd oculi eorum qui conſecratum panem accipiunt, aperiuntur vt agnoſcant illũ. Ingentem enim & ineffabilem virtutem habet caro Domini.

Non sola oratione Christus Dominus est vsus in consecratione, sed alijs etiã signis.

His ex testimonijs liquet Christũ Dominũ certo ritu, id est, certa orationis atque inuocationis adhibita formula creaturas Dei bonas benedixisse & consecrasse. sed an aliud prætereà signum orationi adhibuerit, nunc restat inuestigandum.

Vide Missam Aethiopũ Romæ editam.

Quo ritu Christus benedixerit aut consecrarit panem in cœna nouiss.

Cúm pueros sibi adductos precibus Deo patri commendaret, manus imponit eorũ capitibus, quod an fecerit directis manibus, an decussatis, an alia figura & schemate instar. D. Iacob Patriarchæ, an more sacerdotũ Aethiopiæ manibus inuersis, nobis quidem ignotũ adhuc & incertum est. Verùm in cælos rediturus Apostolis suis, ait Lucas, eleuatis manibus benedixit. Vides hîc alium ritũ à Christo Domino adhibitum, prçterquã enim quòd bene precabatur eis, videtur & signo aliquo externo hanc notasse, siue consignasse imprecationem: quod an fecerit ritu Aaronico, extensis super ipsos palmis: vti Iudaici Sacerdotes temere benedicũt; an ritu Christiano, quo & Episcopi peracta re diuina, in medio relinquimus.

Qua ceremonia Christus vsus dum Apostolis benedixit cælũ ascẽsurus.

Christũ D. in benedicendo vsúm esse S. Crucis signo.

Certè antiquißima habet Ecclesiastica traditio Christũ dominũ aquã in vinũ ad nuptias illas Euãgelicas certo signaculi genere cõmutasse. vnde solẽnis ille hymnus paschalis, qui sacro baptismatis fonti ex Apostolorũ traditione consecrando (vti mox veniet demõstrandũ) adhibet, disertè nobis testatur Chri-,, stum admirãdo suæ virtutis signaculo aquã cõuertisse in vinũ. Quod an ad sacrosanctum dominicę crucis signũ sit referendum, equidẽ nõ affirmarim. Sed ꝙ in cęlos rediturus suis discipulis facto S. Crucis signo benedixerit, ex Christiana disciplina D. Hieronymus videtur non obscurè astruere. Illam enim Esa. 66. cap. pericopen, Venio cõgregare omnes gentes, & omnes linguas, & venient & videbunt gloriam meam, & ponã in eis signũ, siue vt 70. καὶ καταλείψω ἐπ' αὐτῶν σημεῖον, & dimittam super eos signum: hanc, inquam, pericopen Esaiæ explicaturus D. Hieron. Venient autẽ omnes, inquit, vt videant gloriã Dei, ,, & ponet in eis signũ: quod in Ezechielis principio sub Tau lit- ,, terę Hebraicę interpretatione mõstratur, quo signo qui fuerit ,, impressus, manus percutientis effugiet. Hoc & postes domorũ in Ægypto signabãtur, quãdo pereũte Ægypto solus Israël mãsit illæsus, &c. Hoc nobis ad patrẽ ascẽdens Dominus reliquit, siue in nostris frontibus posuit, vt liberè diceremus, signatũ est super nos lumẽ vultus tui Domine. Sic & Symõ Metaphrastes in vita

Hiero. Cõmẽt. in Esaiam.

Metaphrastes in vita S. Thomæ.

vita D. Thomæ annotatum reliquit Christum Dominũ die «
Ascensionis, vbi de sua à Patre donata disseruisset potestate, «
atq. ex scripturis Apostolos cõfirmasset, sublata manu eis be- «
nedictionẽ immisisse. Ab hoc igitur auctore Christo domino «
cruce nos signandi pia ceremonia, ritusq. Christianus fluxisse
videtur, quẽ & Apostoli præter orationem aut manus impositionem nõ modò suis in Christo filiis solent imprimere, frontibusq. ipsorũ ad Christi Domini gloriá trophæũq. celebrandũ pingere sed sanctificandis etiá creaturis perspicuè adhibere. cuius rei testẽ irrefragabilẽ adferimus D. Chrys. com. I. Tim. 4. vbi D. Paulus suũ Timotheũ instituens, imò Christianæ pietatis eruditissimum plenius absoluturus, docet quáná ratione bonas Dei creaturas Christianis traderet vtendas. Cùm enim illa ætate quidam Iudaismi fermento imbuti à quibusdam cibis tanquam immundis, vel Idolothytis præciperent piis abstinendum, alios etiam prophetat venturos, qui Dei dona ceu mala & abominãda statuerent, certam præscribit regulam, qua pij si vtantur, nihil ipsis erit immundũ; puta si cum gratiarum actione atque solemni oratione percipiantur: id est, si adhibita illa gratiarum actione & consueta illa oratione cibis vtantur. quæ tunc Apostolico ritu hominibus Christianis fuit vsitata.

Apostolos præter orationẽ ac manus impositionem signos. Crucis fuisse vsos in cõsecrãdo, aut benedicendo.

Siquidem addit, Sanctificatur enim per verbũ Dei & orationem. Quòd si talis igitur adhibeatur à Christianis gratiarum actio, qua sibi per orationem siue ἔντευξιν intercessionem & verbum Dei (sic enim accipiendum per inuersionẽ admonet Oecume.) sanctificatur, nihil est omnium, quod sit Christiano homini reijciendum siue respuendum. Nam sanctificatur, ait Paulus. Qua in voce ἁγιάζεται sanctificatur, nobis sita est certa huius controuersiæ victoria. Liquet enim creaturas alioqui bonas & mundas per orationem, id est, piam supplicationem siue intercessionem ad Deum fusam, & per verbum Dei, id est, illam diuini nominis inuocationem, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sanctificari. hoc est, sanctas fieri, quod vox Latina & Greca ἁγιάζεσθαι planius sonat, suffragantibus veterum PP. cõmentariis, quàm vt frustrà sit diffusius explanandum. Quinimò Christus docet Tem-

Sanctificari res bonas per orationẽ & S. Crucis signum, ait Chrysostomus

h plum

Matth. 23. Tēplū ſanctificat aurū oblatum, & altare Victimas, quia conſecratum erat.

plum Domini ſanctificare aurum,& Altare donaria. Quòd ſi vinum igitur, carnes, aliaque eduliorum genera per verbum Dei & orationem ſanctificantur, cur non & conſecrantur? an aliud eſt conſecrare, quàm ſacrum in vſum inuocato Dei nomine conuertere? Hoc ſi nemo citra improbam impudētiæ notam ire poteſt inficias, age pergamus demonſtrare D. Paulum præter orationem, ſiue diuini nominis inuocationem alium etiam corporalem adhibuiſſe ſuis conſecrationibus,ſiue ſanctificationibus ritum.

„ D. Chryſoſtomus Apoſtolicæ diſciplinæ in primis,ſi quis „ alius,doctiſſimus, illum ediſſerens locum ſic habet: Sanctifi„catur per verbum Dei & orationem: non quia immundum eſt, ideo ſanctificatur, abſit. duo igitur capita ponit: vnum, quòd creatura nulla communis eſt:ſecundo, quòd & ſi communis ſit,medicamentum in promptu eſt. Signum illi crucis imprime, gratias age,Deo gloriam refer,& protinus immunditia omnis abſceſſit. & infra: Num ſuilla caro immunda eſt? Non, ſi cum gratiarum actione percipitur, crucisque ſignaculo. Vbi animaduertendum quòd apud Chryſoſt. Græcè legitur *σφράγισον*,& *μετά σφραγῖδος*,piè ac Chriſtianè verſum eſſe per ſignaculum Crucis. De hoc enim ſignaculo Chriſtianis noto apud Chriſtianam concionem loquitur D. Chryſoſtomus.

Quòd ſi Apoſtoli Pauli ſenſum germanè interpretatur D. Chryſoſtomus, vti apud doctos, piosque omnes eſt indubitatiſſimum, D. Paulus in ſanctificandis cibis vtebatur & ipſe ſacro almæ Dominicæ crucis ſignaculo. An aliud Timotheo præſcripſiſſe Paulum putes, quàm ab ipſo iam pridem quotidianis didicerat exemplis? Imò non tradit D. Paulus, quo nouo ritu ſit cibus ſanctificandus: ſed demonſtrans quid Chriſtianis ſit ſolemne & vſitatum, ait ſanctificari cibos per verbum Dei & orationem. Medicamentum, inquit Chryſoſtomus, in promptu eſt ô Timothee, ſi quis exiſtimat cibos vel ſuillam eſſe immūdam,gratias age, ſignum crucis illi imprime. Quod D. Paulus in eſculentis ſiue poculentis faciendum monuit. Hoc D. Petrus Romæ ipſis hominibus adhibuit, vbi Nympham,eiusque familiam ſigno S. crucis inſignierat.

D. Petrus Romæ familiam Nymphę ſigno S. Crucis titulauerat, ait Ambroſius.

nierat. D. Ambr. enim Comment. ad Ro. teſtatur omnẽ eius familiam crucis ſigno fuiſſe titulatam.

A D. Petro igitur didicêre Romani, quod à D. Paulo Timotheus & Epheſini, alijq́ue toto orbe Chriſtiani. Vnde ſi quis colligat ſolemnem hunc Chriſtianis vbique omnibus morem, qui ad menſas cum diuini nominis inuocatione atque crucis dominicæ benedictione conſecrandas, frontemq́. varia de cauſa, pectúſue muniendum, & S. cruce obſignandum paſſim obtinet, fluxiſſe; nihil à vero aberraſſe mihi quidem videatur. Siquidem Tertullianus ſuæ ætatis, id eſt, anno circiter 160. publicos mores Chriſtianos depingens narrat ad omnem progreſſum, ad aditum, ad exitum, ad ſedilia, ad lumina, ad menſas denique, Chriſtianos de more frõtem crucis ſignaculo terere conſueuiſſe. Teſtatur & Origenes lib. 3. in D. Iob, Chriſtianos & ſeipſos, & cibum, potumq́ue S. crucis ſigno ſolitos ſignare aduerſus veneficia aut alia pericula. Annales vetuſtiſſimi S. Priſcam virginem Romanam, tempore Claudij referunt cum ſe S. crucis ſigno ſignaret atque oraret, templum Apollinis tonitru partim diruiſſe.

Benedictio mẽſæ per S. crucis ſignũ eſt Apoſtolicæ originis.

Tertullianus.

Origenes.

Mirifica S. Crucis vis hinc effulgeat.

Sic ex D. Hilariæ Auguſtanæ martyrio antiquiſſimis characteribus deſcripto teſtatur Meinradus Moltherus, Com. in D. Auitum Vienneñ. D. Narciſſum Auguſtanum Epiſcopũ cum ſuis fuiſſe hoc ſigno à Paganis deprehẽſum Chriſtianum, quòd ſingulis horis ſuas frõtes crucifixi ſigno ſignabãt. Aduerſus dæmonis etiam infeſtationes olim fuiſſe Chriſtianos S. hoc ſignaculo vſos præclara teſtantur D. Antonij & Hilarionis exempla ſuis inferius locis commemoranda. Horũ exemplo A. Conſtantinus Magnus ſuum ſubinde vultum ſalutari S. Crucis ſigno communiebat, teſte Euſebio Cæſarieñ. lib. 3. de vita eius, quod ipſum tabula illuſtri expreſſum præ aulæ ſuæ foribus fuit ſuſpenſum. Item capiti ſuo pictum imponebat, ac numiſmatibus inſculpi, ſuorumq́. armis depingi iuſſit, teſte Sozo. lib. 1. cap. 8.

S. Crucis ſignũ aduerſus veneficia & tonitru. Item ad horæ ſonitum.

Signum crucis Conſtantinus Magnus fronti ſuæ tabellis & armis pingebat

Neque verò tantùm aduerſus dæmonis inſidias, aut incurſiones violentas Chriſtiani hoc S. crucis ſigno ſunt vſi: ſed & contra omnes animi moleſtias, contra varia morborum genera, contra omnem denique infelicitatem ſiue aduerſitatem

S. Crucis ſignũ atramẽto infideliũ frontibus pictũ, eos à peſtis contagio præſeruat.

profligandam. Olim enim aduerſus peſtem venerãdum hoc ſignum fronti ſolemniter imprimebatur. Quod cùm infideles Turci ſuis in frontibus atramento depinxiſſent, ab eius lue, contagioque fuêre liberrimi. Teſtatur enim Nicephorus quòd Turcos, quos Choſroës Conſtantinopolim miſerat ſtigmaticos liquato atramento cruces in frontibus impreſſas Imperator habere videns, interrogauit quánam gratia quæ non colerent, circumferrẽt ſigna? Illi grauem ante plures annos in Perſide & patria ſua peſtem coortam eſſe dixerunt, à qua cùm multi mortales infecti interirent, Chriſtianos quoſdam, qui ibi fuêre, hominibus ſi hoc feciſſent, ſaluti ſuæ conſulturos eſſe, regionemq́. eam à lue tali intactam, liberamq́. fore perſuaſiſſe. Idq́ue ita eſſe ab eis factum.

Lib. 8. cap. 20.

Crucis ſigno curantur Carcinomata, aliàs incurabilia. Galliæ Reges ſigno S. Crucis etiãnũ hodie morbos ſanant, alioqui ferè incurabiles

Sic & D. Auguſtinus morbos alioqui incurabiles fuiſſe S. crucis ſigno curatos teſtatur lib. de Ciuitate Dei, ad contactum feminæ recens baptizatæ. Nam facto S. crucis ſignaculo Carcinoma incurabile fuiſſe eueſtigiò ſanatum indubitatiſſimis affirmat teſtimoniis. Huc pertinere quis fortè non immeritò dixerit, & illa in noſtram vſque memoriam miracula Galliæ Regum propria, quæ poſt inaugurationem legitimè perfectam ex ſolemni more à Rege Henrico fuêre, dum Pariſiis viuebamus, perpetrata. Dum enim ille feſto die celebriore poſt S. dominicæ menſæ cummunionem certo gutturis morbo gallis noto digitos crucis figura imprimit, plerique omnes ſanitatem conſequuntur.

Ex hac admiranda, vereq́ue mirifica S. crucis virtute mos natus Catholicis omnibus vſitatiſſimus, ad omnia pericula deprecanda & bona imprecanda, frontem, pectúſue ſacroſanctæ crucis dominicæ ſigno munire. Quod adeò ſalutare eſt, tantum abeſt vt ſuperſtitioſum ſit, aut impium aut idololatricum, vt vel Lutherus ipſe Catechiſmo minore admoneat pædagogos, vt pueros aſſuefaciant mane ac veſperi ſeſe hoc S. crucis ſignaculo conſignare. Certè & Agenda Saxoniæ anno 64. Lipſiæ recuſa, & per VI. Theologos Wittenbergeñ. anno 36. conſcripta formulam habet populo à Miſſa domum redituro benedicendi cum ſigno S. crucis ✠ appreſſo.

Mane ac veſperi ſeſe crucis ſigno Germani Lutherani conſignant. Itẽ poſt ſuã Miſſàm ex Lutheri diſciplina.

Quòd autem rebus etiam humano vſui, miniſterioq́ue aptis

aptis ſolet crucis ſignum adhiberi, mox perſequemur fuſius. Sanè Lutherus ſuis iſtis diſcipulis perſonatis Anonymis longè moderatior, vt de ſacroſanctæ crucis dominicæ ſigno: ita " de piis variarum rerum conſecrationibus multò melius ſen- " tit. Nam cùm extremam vnctionem quodam ſenſu dixiſſet " eſſe Sacramentum, vt ſunt ſalis & aquæ conſecratio (inquit " lib. de Captiuit. Babylo.) & aſperſio. Neque enim negare poſſumus creaturam quâlibet per verbum & orationem ſanctificari. Similiter eodem libro & Confirmationem docet pro ritu Eccleſiæ ſiue ceremonia ſacramentali habendam, ſimilem cæteris, inquit, vt ceræ, conſecrandæ aquę, & aliarum rerum. Nam ſi omnis alia creatura ſanctificatur per verbum & orationem, cur non multò magis hominem liceat ſanctificari eiſdem?

S. Crucis ſignũ non modò hominibus, ſed aliis etiam omnibus creaturis ſanctificandis iuxta verbum Dei adhiberi ait Lutherus.

Ita quidem Lutherus de Captiuit. Babylon. ex cuius doctrina verbo Dei nixa Eccleſia ipſa VVittenbergeñ. ſalis vſum in Baptiſmo retinuit, vſque ad annum 58. quemadmodum liquet ex Apologia Academiæ VVittenbergeñ. contra Illyricum anno 59. edita ex Actis ſynodicis: vbi ſic aiunt. Antequàm ſubiiciamus cætera, de ſalis vſu ſignificandum putauimus, retentum hunc fuiſſe in Eccle. VVittenbergeñ. D. Luthero permittente, & anno primum ſuperiore, id eſt, 58. vſurpari ſalem in baptiſmo apud nos deſijſſe.

Salis vſum in Baptiſmo retinuerunt VVittenberg. vſque ad annum 58.

Quanquàm igitur ex hoc vno D. Pauli Apoſtoli ad Timotheum teſtimonio, & exemplis nunc obiter commemoratis comprobatum ſit ſanctum Dei Spiritum Eccleſiis per Apoſtolos tradidiſſe, non modò aduerſus bellorum pericula & morborum genera, infeſtaſq. dæmonum incurſiones; ſed & in creaturarum, vini, carnium, aliorumque eſculentorum & poculentorum ſignificationibus ſacro crucis dominicæ ſignaculo vtendum: tamẽ vt & præfractioribus fiat ſatis, age demonſtremus planius hunc Eccleſiaſticæ conſecrationis ritum per ſacram dominicæ crucis figuram adhiberi ſolitum, non poſſe non eſſe Apoſtolicum.

Rituũ atq. ceremoniarũ Eccleſiæ regula, qua certò conuincãtur Apoſtolicæ originis ex D. Auguſtino.

Veriſſimè namque D. Auguſtinus docet lib. 2. caput 7. de Baptiſ. contra Don. Quidquid per vniuerſam toto orbe obſeruatur Eccleſiam, quod in Apoſtolorum non inuenitur lit-

teris, neque in Conciliis posteriorum, non nisi ab ipsis creditur traditum & commendatum. Similiter lib. 4. cap. 24. contra Donatist. Quanquàm quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum certissimè creditur.

Germanis fides Christi vnà cũ ceremoniis ex aliis matricibus Ecclesiis allata, à quibus illarum veritas semper instauranda est

Consulamus igitur, si placet Christiane frater, primas illas Christiani populi matrices Ecclesias, vnde & nobis Germanis Euangelicæ veritatis tandẽ affulsit lumen, an non & ipsæ ante annos plus minus mille ducentos & quadringẽtos, imò quingentos: id est, ab ipso vsque Apostolorum seculo sint vsę non solùm sacro crucis dominicę signaculo; sed creaturis etiã hoc ipso signaculo ritè sanctificatis? hac enim ratione certissimum rerum, de quibus controuersia est tanti momenti, fiat iudicium.

Lactantius. Apostolos fuisse vsos nomine Christi, ac signaculo crucis in plantanda Christi Religione apud Romanos.

Testatur Lactantius Firmianus viros Christianos in plantanda Religione nostra aduersus dæmones humanæ salutis æmulos profligandoos fuisse nomine magistri sui Christi, & signo passionis, id est, crucis dominicæ signaculo vsos. Sic enim scribit lib. 4. cap. 27. Nunc satis est, inquit, huius signi crucis dominicæ potentiam, vel quantum valeat exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit quatenus adiurati per Christum de corporibus quæ obsederint, fugiãt. Nam sicut ipse cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones fugabat, hominumq́ue mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus & nomine magistri, & signo passionis excludunt.

Exorcistæ Christiani dæmones signo crucis excludebant corporibus obsessorum. Lactãt.

Arnobius. Apostolus Petrus Christo nominato Simonis Magi quadrigas igneas, aliasq́ue præstigias in fumos vertit Romæ.

Sic & illo vetustior Arnobius lib. 2. aduersus gentes scribit D. Petrum apud Romam rerum dominam, Simonẽ Magum inuocato Christi nomine superasse, præstigiasq́ue eius diabolicas in fumos vertisse. Causam enim reddẽs, cur totus mundus & Roma ipsa tandem Religionem susceperit Christianam: Viderant enim, inquit, currum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo euanuisse; Viderant, inquam, fidentem diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis. Post deinde perlatum Brundam, cruciatibus

Christi Religio D. Petri miraculis in Christi nomine factis, Romæ plãtata cõtra Si. Magi ludibria.

bus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursus præcipitasse fastigio.

Porrò sacram dominicæ crucis figuram, siue crucis signádæ vsum, fuisse hac ex Apostolica consuetudine Christianis varios ad vsus creberrimum, vnus abundè Tertullianus testabitur; qui lib. de Corona militis scribit suo seculo, id est, sub annum Domini 160. solemne omnibus fuisse frontem crucis signaculo terere ad omnem progressum atque promotũ, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque denique, ait, nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Assiduum autem sese Dominico signaculo muniendi ritum ex Apostolorum traditione fluxisse D. Ambrosius docet. Debemus ergo, inquit Serm. 43. surgentes gratias agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. In hunc enim sensum illud D. Pauli 1. Corinth. 10. interpretatur, omnia in gloriam dei facite. Hæc autem consignandi & se, & sua omnia Religiosa pietas tam fuit olim Christianis omnino omnibus vsitata; vt Iulianus ille Apostata libris contra Christi Euangelium editis eam insectari, atq. adeò exprobrare non dubitauerit, teste D. Cyrillo. Ipsos crucis imagines, inquiens, & frontibus & ante domos pingere.

Varius Dominicæ crucis apud Christianos vsus ab Apostolis fluxit.

Tertullianus.

Iulianus Apostata exprobrat Christianis quòd frótes & domos Cruce Christi pingũt. Vide D. Cyrill. contra Iulian.

Neque verò in rebus tantum secundis gloriabantur Christiani isto sui Domini signaculo: sed & in aduersis, periculis aut difficultatibus vnum Christianis fuit refugium, certissimumque præsidiũ hæc pia diuinæ crucis ex fide Christi consignatio. Nam in vno signo Christi, inquit Ambrosius Serm. 43. omnium rerum est rata prosperitas: quemadmodum D. Antonius suo exemplo luculenter demonstrauit; vt iam Iuliani Apostatæ ad suas incantationes aduolantibus dæmonibus, aut Lutheri vestri factum ad lepidum illum de Turca nuntium, quòd aliquando gratiosus ipsi foret Dominus, silentio prætereamus. Siquidem Antonius, teste D. Hieronymo, in vita D. Pauli, conspecto hippocentauro salutaris impressione signi armabat frontem. Rursus nouo Satyri spectaculo nonnihil territus, arripiens scutum fidei, & loricam spei vlterius progreditur ad D. Paulum in eremo alicubi latitantem

Crucis signaculo etiã in aduersis ac periculis vsos Christianos. Sic & Iulianus magiæ deditus, & Lutherus territus. Vide Ioan. Mãlium de dictis Phil. Melancht. Nazianze. 1. inuect.

D. Antonius frontem cruce signat territus.

D. Hilarion cõtra dæmonum ludibria S. cruce quasi casside fronté armat.

tem peruestigandum. Sic & D. Hilarion, vt D. Hieronymus in eius vita scribit, cùm per noctem audisset vagitum infantum, balatum pecorum, rugitum boum, & planctum quasi mulierum, variarumque portenta vocum; intelligẽs dæmonum ludibria, prouolutus genibus, Christi crucem signauit in fronte, talique armatus casside, & lorica fidei circundatus, iacens fortius præliabatur.

D. Athanas. in vita D. Antonij.

D. Antonius lepidè insultat dæmonibus propter Crucis signaculi virtutem, cõtra quã nihil valebant.

Porrò D. Antonius variis dæmonũ illusus præstigiis, quas vt eum terrerent atque ab instituto sanctissimo abstraherent, haud infrequenter, nec sine grauissimis vulneribus, acribusq. doloribus offundebant, sic tandem, teste D. Athanasio, ipsis „ insultabat. Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum, deuorate me. Si verò non potestis, cur frustrà nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Confidenter quidẽ hoc vir sanctissimus. Didicerat enim ex Apostolico Ignatio, Crucem Christi esse fidelibus *σωτηρίαν, καὶ ζωὴν αἰώνιαν.* Salutem atque æternam vitam. Epist. 11. ad Ephesios. Quorsum autem ætate illa Apostolica, vt summatim dicam, Christiani diuino crucis Dominicæ signaculo fuerint vsi, vnus D. Ignatius Epistola ad Philippeñ. disertè exponit.

Cur diabolus studeat assiduè Christianis salutarem S. crucis vsum suppilare atq. subtrahere

Cùm figura crucis piis hominibus sacrosanctam crucifixi pro nobis Domini memoriam assiduè refricaret. Sathan iuratissimus humanæ „ salutis hostis, indefessis insidiis hanc populo Christiano studebat „ eripere. Princeps enim huius mundi, inquit Ignatius, „ gaudet, quando quis crucem negauerit. Interitum enim sibi ipse esse cognoscit confessionem Crucis. hoc enim trophæũ est contra eius virtutem; quod videns, exhorrescit; & audiẽs, expauescit. Sed eius verba Græca sunt emphatica magis.

D. Ignatius. S. Crucis cõtra dæmones vis & potentia.

„ *ὄλεθρον γὰρ ἑαυτοῦ γινώσκει τὴν ὁμολογίαν τοῦ σταυροῦ, τοῦτο γὰρ ἐστὶ τὸ τρόπαιον κατὰ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως. ὅπερ ὁρῶν φρίττει, καὶ ἀκούων φοβεῖται.*
„ Scit suam perniciem esse crucis confessionem. Crux enim
„ prçclarissimum est aduersus ipsius potentiam, infestasque co-
„ pias trophæum, cuius ille & aspectu pauidus exhorrescit, & auditu contremiscit trepidus,

Origenes. Christianus S. Cruce signans frõtẽ aut pectus dæmonibus fit terribilis.

Sic & Origenes, homil. 6. in Exodum. Quid timent dæmones? Quid tremunt? Sine dubio crucem Christi in qua triumphati sunt. Timor & tremor

cadet

cadet ſuper eos, cùm ſignum in nobis viderint, Crucis fideliter fixum, & magnitudinẽ brachij illius, quod Dominus extendit in cruce. Non te ergo aliter timebunt, nec aliter veniet tremor tuus ſuper eos, niſi videant in te crucem Chriſti.

Cùm autem infidelibus ignota eſſet crucis dominicæ vis, dignitas atque poteſtas (ſiquidem Iudæis erat ſcandalũ, Græcis ſiue Paganis & Idololatris ſtultitia) quicquid per Crucis tam adhuc abominandæ ac deteſtandæ ſignum gerebatur, mox magicum accuſabatur. Quod variis ex hiſtoriis ſanctorum Chriſti martyrum agones deſcribentibus probari poſſit, niſi lectoris pij vitandum duceremus faſtidium.

Ob crucis ſignaculum Chriſtianis ad omnia aſſiduũ accuſabantur ætate Apoſtolorũ magiæ.

Certè Tertullianus nõ diſſimulat magiæ nota fuiſſe Chriſtianos ab Idololatris notatos. Siquidem ſuæ ſuadens vxori, ne ſuum poſt obitum alteri nubat marito, potiſſimum Pagano, latebiſne tu, inquit lib. 2. cùm lectulum, cùm corpuſculum tuum ſignas? cùm aliquid immundum flatu expuis? cùm etiam per noctem exurgis oratũ? & non magiæ aliquid videberis operari?

Calũnia magię Chriſtianis olim inuſta.

Sed iſtud Theophorus ille Ignatius teſtatur planius Epiſt. ad Philippeñ. oſtendens dæmones omnem mouere lapidem ad crucem Chriſti ſibi exoſam, quia pernicioſam, abolẽdam. Iudæorum, inquit, auxiliator eſt ad negationem Crucis, Paganorum ad calumniam magiæ. Sic & D. Chryſoſtomum Marcionitæ conuitiabantur Magum, quum orationibus & aqua ſacra vxorem illuſtris ſuæ veſaniæ principis Dyſenteria, morboque colico laborantem ſanaſſet.

Vide Georgiũ Alex. in eius vita.

Conſtat ergo Chriſtianos ſacro dominicæ crucis ſignaculo vſos illa ætate apoſtolica, & ob hanc crucis figuram ad omnẽ vitæ exercitationem, ad egreſſum, ingreſſum, promotum, ad calceatum, ad menſas, ad cubilia denique adhibitã, fuiſſe magiæ notatos, atque temerè omnino infamatos.

Cùm enim ſigno crucis dominicæ non ſolùm Idolis ſilentium indicerent, auſpicia inania cohiberent, vaticinia, vanaque oracula comprimerent: ſed ſigno etiam paſſionis, ait Lactantius lib. 4. cap. 17. & nomine magiſtri ſui obſeſſorum corporibus dæmonas excluderent, alteri cuipiam cacodæmoni pagani cæci maluerunt impiè aſſcribere, quàm Chriſto Do-

mino, Deoque vero veram ſuam gloriam, ſolidumque tribuere honorem.

Crucis ſignum dæmonibus eſt incantatio, vti ſerpentibus carmina.

Crucis enim dominicæ ſignum, tanquàm veteris victoriæ trophæum mirificè eſt diabolo horrendum. Vnde rectè D. Chryſoſtomus homil. 8. ad Rom. non aliter coërceri Cacodæmones ſcribit S. Crucis potentia, quàm ſerpentes carmi-
„ nibus. Sunt nobis, inquit, ſunt nobis, inquam, ſpiritalia can-
„ tica: nomen ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti, crucisq. po-
„ tentia. Iſta videlicet incantatio, draconem hunc ſolum ex intimis receſſibus abigit, atque in ignem conijcit, ſed & vulneribus, ſi quę inflixit, medetur.

Crux dęmones animis expellit, vulneribusque medetur.

Indiani nũc ab Hiſpanis inuẽti S. Crucis ſigno antiquitus tradito vtũtur in Maugi prouincia cõtra diabolum.

Certè deprehenſum eſt Indianos, etiam noui orbis incolas ex antiquiſſimo inſtituto aduerſus dæmones in hunc vſq. diem S. crucis ſigno vti.

Quod ergo Apoſtolorum faciebant diſcipuli laïci ad vſus corporales, & non ſacros, neque myſticos, an Sacerdotes ſuis in myſteriis neglexiſſe exiſtimes? Quod vt liquidum appareat, iam eſt demonſtrandum Sacerdotes in rebus omnibus ſacris aut agendis aut præparãdis fuiſſe hoc Dominicæ Crucis ſignaculo ex traditione Apoſtolica vſos.

Crucis Dominicæ ſignaculum non modò rebus prophanis fuiſſe adhibitũ ætate Apoſtolica, ſed etiam myſticis & Eccleſiaſticis.

D. Auguſtinus eximium Eccleſiæ Africanæ lumen, & ſingulare Catholicæ Dei Eccleſiæ columen dominicæ crucis ſignum omnibus rebus adhiberi ſolitum docet. Elegit Chriſtus Dominus crucem, inquit in homil. in vigilia Pẽtecoſt. in expoſitione Sym-
„ boli, quæ leui motu manus exprimitur, qua & contra inimi-
„ ci verſutias munimur. Hoc enim ſigno Crucis conſecratur corpus dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur Presbyteri, & omnia quæ ſanctificantur, hoc ſigno Dominicę crucis cum inuocatione Chriſti nominis conſecrantur.

Signo S. Crucis omnia Sacramẽta cõſecrantur.

Vſus Crucis ad varia Eccleſiæ myſteria in Baptiſmo, in Catechiſmo, in Confirmatione Auguſtinus.

Similiter Serm. de Sanctis. 19. Signum Crucis præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechizantur, eodẽ myſterio fons regenerationis conſecratur, eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiuſdem Crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris Sacramenta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur, Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordi-

nes promouētur. & vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur. Rursus, quàm sit hoc signum mysteriis Ecclesiasticis ritè perficiendis necessarium, alibi edisserit. Quid est, inquit tractatu in Euang. Ioan. 118. signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, siue Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Cùm igitur ex his vet. PP. testimoniis liqueat Ecclesias toto orbe Christianas ex Apostolorum doctrina vbiq. tradita creaturas varias consecrasse, atque signaculo dominicę crucis adhibito varium in vsum Christianorum sanctificasse, nunc ad consecrationum genera descendamus. Sacramēta sine Crucis Domini cę signo ritè nō perficiuntur.

Porrò Consecrationum Ecclesiasticarum aliæ sunt aut Sacramentales, aut non Sacramentales. CAP. XLVII. Consecrationū Ecclesiasticarū diuisio in duo genera.

Sacramentales appellamus, quæ ad Sacramentorum perceptionem attinent; præparant enim, aut ornant hanc sacram actionem.

Quare cùm Catholica Dei Ecclesia septem à Christo Domino acceperit, obtineatque Sacramenta, in septem quoque species hoc genus est diffusum, quas nunc suo ordine perstringemus.

DE CONSECRATIONIBVS AD S. BAPTISMA PERTINENTIBVS.

QVOD ad S. Baptismi ceremonias attinet, initio de aqua, oleo & sale dicimus: mox de ipso baptizando, quali nā solemni ceremonia iam pridem hæc fuerint ante perfusionē S. aquæ consecrata.

Aquam igitur fontis fuisse ex Apostolorum instituto consecratam, vnus nobis D. Basilius abundè satis fecerit testatū, qui aduersus Eunomium S. Spiritus hostem diuinam eius maiestatē defensurus ex non scripta traditione ostendit plurima in Christianorum moribus & ceremoniis esse, quæ ab Apostolis sunt initio tradita. Vbi longo Catalogo Apostolicas enumerans traditiones recenset & aquæ fontis consecra- Aqua S. fontis olim cōsecrata ex Apostolorū traditione. D. Basilius.

tionem. Benedicimus, inquit, siue ἐυλογῦμεν consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis. Succenturiatur D. Dionys. Areopagita, qui baptismatis aquam docet per Chrisma S. crucis figura infusum ex eadem traditione Apostolorum sanctificari.

Dion. Areopag.

Sic & D. Ambrosius lib. de ijs qui myst. initiantur. Quid est enim, inquit cap. 4. aqua sine cruce? respondet, Elementũ commune sine vllo Sacramenti effectu. D. Cyrillus Ierosolymitanus, aquam fontis, ait Catech. 4. per Spiritus sancti, Christi & Patris inuocationem accepta virtute sanctitatem consequi. Hanc aquæ fontis per Christi signum consecrationem tam pronunciat D. Augustinus Tract. in Ioan. 118. necessariam, vt nisi hoc Christi signum, inquit, adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, nihil eorum ritè perficitur. Apud Græcos etiámnum aqua S. fontis ter afflatur, & S. Oleo crucis figura illito sanctificatur.

Ambrosius.

Aqua sine crucis signaculo elemẽtum sine effectu, Ambr. Cyrill. Ierosol. Augustinus.

Euchologium 5. Cap. 12. Iam de Oleo quod Catechumenorum dicitur, D. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis admonet baptizatos. Occurrit tibi Leuita, inquit cap. 2. occurrit presbyter. vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus. professus es luctaminis tui certamina. Hoc S. Oleum solemniter consecrabatur, quemadmodum videre est apud D. Cyrillũ Ierosolymit. mystagogia secunda ad Neophytos. Deinde vestibus exuti, ait, vt baptizaremini, ἐλάιῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιςῷ, oleo fuistis vncti exorcizato, quod in quem vsum fuerit adhibitum, illinc petas licebit: cùm hîc non de sanctificati olei agatur effectis, de quibus in Panoplia: sed legitima consecratione, qua ex Apostolorum doctrina in hunc vsque diem vtuntur Græci.

Oleum Catechumenorum olim cõsecratũ.

Oleum Catechumenorum exorcizatum olim ante annos 1300.

Sanè de hoc sacrato Catechumenorum oleo D. Dionysiũ Areopag. loqui nemo ambigere potest, qui ritus Apostolicos S. Baptismi depingens commemorat illo seculo haud dubiè Apostolico (quod alibi est demonstratum) cùm hunc ipsum Dionysium verè fuisse D. Pauli discipulum illum Areopagitam, cuius D. Lucas meminit, liquidissimis vetustiss. Patrum testimoniis euicimus) Catechumenum ad baptisma accessurum

Vide Panopliæ lib. 2.

rum depoſitis veſtibus à Pontifice trino Crucis ſanctæ ſignaculo fuiſſe vnctum.

Salis cõſecratio Cõc.3.Carthag.

Salem verò priſca ex conſuetudine conſecratum fuiſſe Catechumenis communicatum ante S. Baptiſmi ſuſceptionẽ, ſatis ex Concil.3. Carthagineñ Cano.5.liquet, vbi ſic legitur: Placuit vt per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentũ Catechumenis non detur, niſi ſolitum Sal. Quòd autem de ſacro illic Sale agatur, ex Etymologia ſubiecta liquet. D.Hiero. lib. de VII.Ord.teſtatur,& ſua ætate ſalem datum Catechumenis, ad quem ritum videtur & Orige. homil. 6. in Ezech. alludere. Certè hoc ſale initiatos fuiſſe olim Catechumenos, Beda comment. in lib. Reg. teſtibus Iuone & Gratiano, docet: Sal cæleſtis ſapientiæ, quo initiantur, inquit, Catechumeni, in cunctis operum noſtrorũ ſacrificiis iubemur offerre. Salis cõſecrationem Lutherum ex Dei verbo approbaſſe, ſuperius demonſtrauimus: ex cuius doctrina in annum vſque Domini 58. in Eccleſia VVittenberg. perdurauit. Vide apologiam academiæ VVittenberg. contra Illyric. fol.164.

D.Hieronymus

Iuo.lib.1. Grat. diſt.4.

Panis olim cõſecratus cuius & Catechumeni erant participes.

Solet quoque panis conſecrari, quem licebat & Catechumenis accipere, antequam ſacroſanctum illum myſticum panem angelorum, qui filiorum Dei, ſiue baptizatorum eſt proprius, liceret guſtare, quemadmodum Chryſ. ait.

Ceremonię baptizandorum quibus præſanctificabantur.

Porrò quod ad ipſum baptizandum attinet, ſolere & hũc ſanctificari, ſiue certis ceremoniis benedici atque conſecrationi præparari, ſatis vnus D. Baſilius nobis atteſtatur. qui loco dudum allegato de Spiritu ſancto cap. 27. aſſerit,& baptizandum conſecrari ex traditione Apoſtolica. Plurimos enim ritus non ſcripto Dei verbo, ſed indubia SS. Apoſtolorum traditione Chriſtianis obtinendos recenſens, Quis, inquit, ſcripto tradidit eos, qui in Chriſti Domini nomen ſperauerunt, crucis typo atque ſignaculo inſigniri? Rurſus paulò inferius: Benedicimus aquam baptiſmatis,& oleum vnctionis, & ipſum qui baptizatur.

Baſilius docet ex Apoſtolorũ doctrina baptizandos conſecrari per crucẽ.

Iſtud equidem de illo Crucis dominicæ ſignaculo acceperim, quod vnà cum diuinis exorciſmis ſolet baptizando innotari: quorum exorciſmorum quàm ſit incredibilis vis, D. Cyprianus lib. 4. epiſtola 7. ad Magnum diſertiſſima ſanè

Exorciſmi Apoſtolicæ ſunt originis, & cuiuſnam efficaciæ ex D. Cypr.

oratione edifferit. Demonſtraturus enim incredibilem S. Baptiſmatis gratiam tam eſſe clinicis aqua perfuſis, quàm ſanis aqua lotis communicatam. ac planè diuina baptiſmatis „ vi omnem periiſſe dæmonis nequitiam, ſicut & Pharao mari rubro & victus fuit & extinctus, ſubiecit: Quod hodie etiam „ geritur, inquiens, vt per Exorciſtas voce humana & poteſtate „ diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus.

Exorciſmi diuina poteſtas.

Lactantius.

Similiter & Lactantius affirmat. Quanto terrori ſit dæ„ monibus hoc ſignum ſanctæ Crucis, inquit lib. 4. cap. 27. ſciet „ qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederint, fugiant. Nam ſicut ipſe Dominus vniuerſos dæmones verbo fugabat: ita nunc ſectatores eius eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus & nomine magiſtri ſui & ſigno paſſionis excludunt. Iulius Firmicus Maternus illius æqualis, lib. de errore prophanarum Religionum ad Conſtantium & Conſtantem AA. Idololatris illudens, Sic apud nos Deos veſtros, inquit, cùm hominibus nocere cœperint, „ Religionis ſermonis flagella caſtigant. Sic in corpore hominũ „ conſtituti Dij veſtri (quos ex Porphyrij Apoſtatæ teſtimonio „ docuerat eſſe diabolos) verbo Dei ſpiritualium flammarum igne torquentur: qui & apud vos quaſi Dij coluntur, apud nos religioſæ fidei medela, Chriſti gratia humano ſubiacentes imperio & tormenta repugnantes ſuſtinent, & victi pœnis vltricibus ſubiugantur. Huius exorciſmi D. Ambroſius & Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus Ieroſolymit. Dionyſius Areopagita, aliique vetuſtiſſ. Apoſtolici ſcriptores meminerunt apertius, quàm vt ſint eorum teſtimonia fuſiori oratione, vt lectoris vitemus faſtidium, accenſenda. Huius enim Crucis dominicæ myſterio, inquit D. Auguſtinus ſerm. 19. de Sanctis, rudes Catechizantur, quemadmodum toto orbe Catholica ſeruauit Eccleſia, tanto profectò Chriſtianæ pietatis feruore; vt cùm Iulianus ille Pelagianus Euangelicũ oppugnaret baptiſmum, tanquam pueris ad ſalutem minimè neceſſarium, non fuerit auſus hos Catechizãdi ritus tollere: veritus, teſte D. Auguſtino, ne à Chriſtiana plebe conſpueretur. Vnde mirum in modum ſtupenda eſt iſthæc delectorum Confeſſionis Auguſtanæ patronorum temeritas, quos

Signo Crucis & nomine Chriſti dæmones corporibus excluduntur.

Iulius Firmicus ætatis eiuſdem cum Lactantio ad Cõſtantium A.

Iulianus Pelagij ſectator non audebat exorciſmos abolere.

pium

pium consignandi cruce Dominica ritum inter Idola,& magica, imò diabolica referre non dispuduerit. Qua in re non solùm Christianæ sunt pietatis obliti: sed suo etiam Euangelij noui magistro Luthero, quo in primis gloriantur, ex Diametro contraria docent. Siquidem is Catechismo suo tradit, quonam modo pædagogi suos discipulos manè ac vesperi doceant, vt sese signo crucis signent, dicentes, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

Apologetici Anonymi Confessionis Augustanæ suo aduersantur Luthero.

Vide Catechismum Lutheri Græcolatinum per Neandrum

Cæterum & baptizandos pueros hoc diuino crucis dominicæ signaculo esse signandos, idem Lutherus in Catechismo pluribus verbis tradidit, Vnde & Duces Brunswycenses & Lunéburgeñ. anno 64. in suæ Ecclesiæ Ordinatione Wittembergæ impressa, suis omnibus mandant, vt iuxta Lutheri sui præscriptum S. Baptisma suis omnibus conformiter Euágelio, & Christi Domini instituto, atque Apostolorum traditioni pueris administretur. Vnde ad verbum sic ex Lutheri Catechismo statuunt pueros exorcizandos. dicat Sacerdos audito. N. nomine, Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto. Deinde signum crucis figurat in fronte & pectore, dicens, Accipe signum sanctæ crucis in fronte & pectore. deinde fusis Ecclesiæ nostræ precibus, addit Sacerdos, Adiuro te immunde spiritus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt discedas atque recedas ab hoc famulo Iesu Christi N. Amen. Similiter & Duces Saxoniæ Confessione sua VVimariensi profitentur S. Baptismum vnà cum precibus & exorcismo (inquiunt fol, Y. a.) & solemni fidei Confessione suis in Ecclesiis celebrari. Cùm has Ecclesiæ nostræ Catholicæ ceremonias Principes Lunenburgeñ. ex Lutheri Catechismo ad verbum repetitas, etiámnum cum crucis Dominicæ signo obseruent, atque suis populis seueriter admodum seruandas præcipiát, viderint noui isti Cõfessionistarum defensores, quo pacto perfidiæ notam effugiant, qui non solùm certam Lutheri sui doctrinam deserere: sed istos Duces Lunenburgeñ, Brunswyceñ. & Saxones, imò Lutherum ipsum exorcismos & Crucis signa pueris baptizãdis imprimẽda nobiscum concorditer docentem superstitionis, impietatis, magiæ, imò Idololatrias ausi fuerint condemnare?

Lutherus docet quotidie fronté cruce signandã manè ac vesperi, ac pueros exorcizandos.

Pueros baptizãdos Lutherani docent cruce signãdos, & exorcizandos.

Consensus Lutheranorum principum cũ Catholicis fol. N. 1.

An die stirn vnd brust.

Sic ad verbum Agenda etiam Ducis Iulij, an. 69. fol. 58.

Fol. N. 2.

Fol. y. a.

Anonymos Cõfessionis Augustanæ Patronos damnare principes Saxoniæ & Lunenburg. & Brunsvvyc. imò Lutherum ipsum impietatis, magiæ & Idololatriæ.

Porrò

S. Cõfirmationis pij ritus atque ceremoniæ Apoſtolicæ.

Porrò diuinas S. Confirmationis Sacramenti ceremonias paucis perſtringemus, quòd manus impoſitio apertius in ſcripturis eſt prodita, quàm vt negare audeant. Sed de Chriſmatis conſecratione, frontiſque illinitione, ſiue Dominicæ crucis cõſignatione accuſamur quòd Iudaizamus: imò cum Paganis impiè ac Idololatricè agimus. Quid ergo de vtroque hoc ritu tradiderit ſancta vetuſtas, paucis erit exponendum.

S. Chriſma aſſeruit S. Cypr. cũ 32. Epiſcopis Africanis.

Sacrum Chriſma, quo baptizati vnguntur, olim fuiſſe diuini nominis inuocatione conſecratum, teſtatur nobis Synodus Africana, ætate D. Cypriani habita; qui Epiſt. 12. lib. 1. vnà cum 32. Epiſcopis ita ſcribit. Vngi quoque neceſſe eſt, inquit, eum qui baptizatus eſt, vt accepto Chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe gratiam poſſit. Porrò autem Euchariſtia, & vnde baptizati vnguntur, oleum, in altari ſanctificatur. Quod D. Auguſtinus planioribus dudum dixit verbis, Signum Chriſti, inquit Tractatu in Ioan. 118. niſi adhibeatur oleo, quo Chriſmate vnguntur regenerati, nihil ritè perficitur. Fuiſſe autem hoc ſacrum Chriſma ab Apoſtolis inſtitutum, ſiue vſitatum potius, non ſolùm D Fabianus martyr teſtatur Epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos Orientis ex vſu Eccleſiarum Apoſtolicarum, Romanæ, Antiochenæ, Ieroſolymitanæ, & Epheſinæ: ſed & Michaël Syngelus Preſbyter Ieroſolymitanus Encomio Dion. Areopagitæ, qui hũc Athenis à Paulo ſub annum Domini 50. Catechizatum, baptizatum, καὶ τῷ θείῳ χρισθῆναι ἀλίμματι, diuino ait vnctum vnguento. Huc facit quod D. Baſilius docet contra Eunomium de Spiritu S. Oleum vnctionis ſiue τῆς χρίσεως baptizatorum, quod nos eadem voce Chriſma appellamus, ex arcana ſiue myſtica Apoſtolorum traditione à nobis benedici εὐλογεῖσθαι ac conſecrari, haud aliter atque baptiſmatis aquã.

Apoſtolos S. Chriſmate vſos poſt baptiſmũ in Confirmatione.

D. Cyrill. Ieroſolym. meminit olei conſecrati pro Neophytis.

D. Cyrillus olei meminit, quo per inuocationem diuini nominis conſecrato vngebantur Neophyti in fronte ac pectore. Vide myſtagogiam tertiam. Verùm hanc baptizatorum vnctionem fuiſſe ritu certo, id eſt, Dominicæ crucis figura adhibitam, nunc eſt oſtendendum, vt & baptizati noua quædam veluti dedicatio, aut conſecratio reluceat. Fuiſſe igitur hanc vnctionem forma Crucis Dominicæ olim adhibitam nobis

nobis Græcanica conteſtatur Eccleſia, in qua baptizatum Sacerdos χρίει τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ vngit S. oleo crucis ſignaculũ pingens in fronte & pectore. Apud Latinos hoc ipſum doctus Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis diſertè exponit. Oſtenſurus enim myſteriorum Chriſtianorum effecta, hanc carnis ſanctificationem reſpicere, imò peragere docet Reſurrectionis paraſceuen atque paranympham. “Caro abluitur, inquit, à baptiſmo, vt anima emaculetur. Caro (poſt baptiſmũ) vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur vt anima muniatur. Quod apertius lib. de Baptiſ. ediſſerit. Egreſſi de lauacro, inquit, perũgimur benedicta vnctione de priſtina diſciplina, de hinc manus imponitur per benedictionem.

Vide Euchologium Græcũ. Chriſma ſigno & figura Crucis fronti inungitur.

Benedicta Vnctione ſiue Chriſmate conſecrato caro vngitur & ſignatur. Tertull.

Extat huius rei teſtimonium illuſtre admodum apud D. Iuſtinum, quæſt. 137. vbi Orthodoxus interrogat. Cùm in baptiſmo celebremus paſſionis atque reſurrectionis ſymbola, quónam pacto prius quidem vngimur oleo, ac celebratis illis in lauacro ſymbolis τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον, vnguento poſteà conſignamur? Cui inter alia reſpondet D. Iuſtinus: χριόμεθα δὲ τῷ παλαιῷ ἐλαίῳ, ἵνα γινόμεθα χριστοί. τῷ δὲ μύρῳ, πρὸς ἀνάμνησιν τοῦ τὸν χριστὸν τοῦ μύρου ἐνταφιασμὸν ἑαυτοῦ λογιζομένου. καὶ τύπῳ μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος, ἀληθείᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ μέλλοντος, εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν τε ἑαυτοῦ παθημάτων, καὶ τῆς δόξης ἡμᾶς καλεσαμένου Σωτῆρος χριστοῦ. Vngimur quidem vetere oleo, vt Chriſti, ſiue vncti efficiamur. Vnguẽto autem poſteà conſignamur ad recordationem Chriſti Domini, qui illam D Magdalenæ vnctionem ſuam duxit ſepulturam. Typo quidẽ in præſens, ſed veritate in futurum, Saluatore Chriſto nos cùm ad ſuarum paſſionum, tum ad ſuæ gloriæ communionem vocante.

Cur vnguento ſiue Chriſmate vngamur in Chriſti memoriam.

Ad hanc vnctionem S. Chriſmate per crucis ſignaculum fronti impreſſam alludit Origenes homil. 2. in Pſalm. 38. vbi ad ſeriam pœnitentiam auditores cohortatus, diabolum inducit ita inſultantem. Ecce hic Chriſtianus, inquit, dicebatur, & ſigno crucis ſignabatur in fronte, meas autẽ voluntates, & mea Chirographa gerebat in corde. Ecce iſte qui mihi & operibus meis renuntiauit in baptiſmo, meis rurſus operibus inſeruiuit, meiſque legibus paruit.

Baptizati ſigno Crucis Dominicæ obſignantur.

Huc & D. Baſilius alluſit ipſam olei ſacri nouo modo atq.

De Sp. S. ca. 27

τὴν τοῦ ἐλαίου χρίσιν ipſam olei vnctionē quis ſcripto tradidit.

prophanis incognito illitionem baptizatis factá ex recondita fluxiſſe Apoſtolorum doctrina. Hanc ad ceremoniam crucis Chriſti forma fronti impreſſam Prudentium reſpexiſſe perſpicuum eſt, dum admonet cultorem Dei Chriſtianum ſeſe poſt S. baptiſmatis rorem fuiſſe & Chriſmate innotatum.

Prudentius. *Te Chriſmate innotatum.*

Hanc enim veriorem arbitror lectionem, id eſt, Chriſmate crucis figura illito fuiſſe inſignitum. Sic & Protogenes ad Chriſtum á ſe conuerſos, diuinaque baptiſmi gratia ornatos ad Eulogium Edeſſenum adducebat, vt eis Dominicum imponeret ſignum: non quidem ob S. baptiſmatis memoriam, vt quidam delirant; ſed vt perfectionem donorum S. Spiritus conſequerentur.

Hoc eſt quod Vrbanus Martyr ait, omnes fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum accipere debét, vt plenè Chriſtiani inueniátur, quia cum Sp. Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur. Iſtud autem fieri ſolitum etiam per diuinum Sanctæ Crucis ſignum, vt ex ſuperioribus eſt manifeſtum: ita exemplo vnius Nouati hæreſiarchæ mirificè illuſtretur. Cauſam enim cur exorta ſæuiſſima perſecutionis hoſtilis tempeſtate pernicioſam illam animi cladem miſer accepererit; D. Cornelius Martyr Epiſtola ad Fabium Antioch. exponit, quòd clinicus baptizatus, morboque liberatus nō acceperit cætera ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, οὐδὲ τοῦ σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, quæ iuxta Eccleſiaſticum Canonē, inquit, oportet accipere: neque ab Epiſcopo fuit illo Domini Signaculo conſignatus.

Effecta S. Chriſmatis per Epiſcopos ſigno crucis frontibus illiti.

Nouatus à fidei cōſtātia delapſus, quòd noluiſſet cōfirmari ab Epiſcopo.

Quod ſignaculi Dominici Sacramentum, vti cum D. Cypriano Synodus illa Carthagiñ. Epiſcoporū 32. lib. 1. Epiſt. 12. & 2. epiſtola 1. appellant, cuiúſnam fuerit aut efficaciæ aut neceſſitatis, eueſtigiò exponit eadem epiſtola D. Cornelius. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε; Quod quidē cùm ille neutiquam ſit adeptus, quónam pacto Spiritum S. obſecro, fuerit adeptus?

CAP. XLVIII.

Nunc tempus eſt vt ad ſacros diuinæ Euchariſtiæ ritus atque diuinam illam Vini, paniſque conſecrationem decurrat oratio. Quòd panem ſacro myſterio adhibitum Apo-

ſtoli

ſtoli conſecrarint, ſatis ex eo liquet quòd D. Paulus docet vinum eidē in ſacroſancto myſterio adiunctū DD. Apoſtoli conſecrarint. De hoc enim Sacramento diſputans, ait, Calix benedictionis, cui benedicimus, ſiue vti Paulus loquitur, ὃ εὐλογοῦμεν, quem benedicimus, vti vertit D. Ambroſ. hoc eſt, Interprete Oecumenio, ὃ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, quem benedicentes atque conſecrantes conficimus. Cui commentario ſuo, ne porcis margaritas, id eſt, ne paganis & prophanis arcana prodat, cauſam addidit verè religioſam, οἴδας ὃ λέγω, noſti, inquit, quid dicam, quo Noëmate ſeſe illud dicere ſignificauit, quod moribus ſuis quotidie in miniſteriis docet Catholica Chriſti Eccleſia. Illud enim aliud non eſt, quàm quod D. Auguſtinus ait contra Fauſtum, lib. 22. Calix noſter certa conſecratione nobis fit myſticus, non naſcitur.

1. Corinth. 10.

Apoſtoli vinū ſacrificij conſecrarunt, vti & panē S. Euchariſtiæ.

Porrò quod nunc de Calicis Domini conſecratione oſtendimus, æquum eſt, vt & de pane S. Euchariſtiæ accipiatur. Cùm enim eiuſdem ſint myſterij ſymbola, pari prorſus ratione vt vtrumq. cōſecretur eſt neceſſarium. Chriſtū enim panē conſecraſſe in cœna, Eccleſiæ Latinæ Canon de Sacrificio ritè conficiendo præſcribit, & D. Lucas cap. 24. cōteſtatur, Chriſtum panem benedixiſſe atque conſecraſſe, quem dedit duobus diſcipulis in Emaunte: quemadmodum dudum ex D. Chryſoſtomo, Theophylacto & Beda demōſtrauimus. Vnde rectè D. Auguſtinus: Non omnis panis (inquit Serm. de verbis Domini teſte Beda, comment. 1. Corinth. 10.) ſed accipiēs benedictionem, fit corpus Chriſti.

Hanc autem Chriſti benedictionem ritè non fieri ſolitam, niſi per ſignum Crucis Chriſti idē Auguſt. Serm. de tempore 181. diſertè affirmat. hoc enim ſigno Crucis, inquit, conſecratur corpus Dominicū. Rurſus. Quod ſignum, inquit Tract. in Ioan 118. niſi adhibeatur frontibus credētium, ſiue ſacrificio, quo baptizati aluntur, nihil eorum ritè perficitur.

Myſtica autē hæc diuinæ conſecrationis verba, quæ D. Auguſt. cur doceat tam neceſſaria, D. Baſilius cauſam exponit, quòd nitantur diuorum Apoſtolorum traditione. Verba inuocationis ſiue τῆς ἐπικλήσεως, cōſecrationis per diuini nominis inuocationem factæ, quando panis ſacræ Euchariſtiæ

Hunc ſenſum D. Baſilij vide apud Burchardū li. 5. ca. 223.

& calix benedictionis ostenditur, quisnam sanctorum Patrum nobis scripta doctrina reliquit? Non enim contēti, quorum aut Apostolus, aut Euangelium meminit; sed & ante consecrationem, & posteà quædam alia dicimus, quæ ex non scripta traditione, tanquam maximam quandam vim ad mysterium conficiendum habentia, assumimus. Quod nos hîc Ante consecrationem dicimus, ad verbū habet Basilius, Præfamur, vt totum illud orationis mysticæ corpus accipiamus, quod diuinę consecrationi, tanquàm prologus, siue vti appelatur, Missæ præfatio, præmittitur. Vnde rectè vetus Basilij interpres reddidit. In Secretis dicimus, alludens ad illas Ecclesiasticas propriè Secretas dictas preces.

Alia verba & quidē plura habet Canō Missę Græcanicę, quā aut Paulus, aut Euangelistę: sed ex Apostolorū traditione, ait Basilius Magn.

Secreta pro mysticis precibus, quę clanculum Deo tempore Sacrificij funduntur.

Cæterùm quod ad ritus Sacramento *Pœnitentiæ* peculiares attinet, nihil in præsens arbitror dicendum; quod eisdem, quibus nos, vtantur Protestantes ceremoniis in peccatorum absolutione, nisi quòd quidam adulatores sui obliti & nominis & officij sacerdotalis, reos atque Dei throno prouolutos non sustinent genibus aduolui; sed iuxtà assidere iubent. Cùm tamen & D. Areopag. & Tertullianus contestatum faciāt reos suam peccatorum exomologesin peracturos sacerdotum fuisse genibus aduolutos. Rursus alij animarum imperiti medici, imò animicidæ non singulatim singulos, sed binos, ternos, atque quaternos vnà per Germaniā absoluunt, quos meritò seueriter admodum redarguit Agenda, siue Ecclesiæ Saxonicæ Ordinatio. Verùm istorum ineptiis explosis, de confessionis ritu iam esset dicendum, nisi superius Antithesi 18. eum fuissemus, quod satis est, persecuti. Vnde ad sacros reliquorū Christianæ religionis mysteriorum ritus proficiscatur oratio.

S. Pœnitentiæ ritus Apostolici.

Quod dudum de baptizandis demōstrauimus, nnnc paucis de Ordinandis, atq. S. Matrimonio copulandis est ostendendum: eos similiter non nisi illa solēni benedictione consecratos sacrosancta suscipere solitos sacramenta. Sacramentum igitur Ordinationis (quod dudum Antithesi 21. veram habere Christiani mysterij siue Sacramenti & rationem & appellationem comprobauimus) non nisi adhibito manuum impositioni signaculo Christi Saluatoris legitimè ac ritè posse con-

S. Ordinis ritus Apostolici.

conferri, docet Augustinus: Hoc signo Crucis, inquit, loco iam commemorato in Vigilia Pentecostes Symbolum explicaturus, consecratur corpus Dominicũ, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur presbyteri. Rursus Serm. de Sanctis 19. " Sacerdotes & Leuitæ per hunc eundẽ crucis dominicæ cha- " racterem ad sacros Ordines promouentur. "

Similiter & *Matrimonium* inter Christianos non nisi solemni Ecclesiastica benedictione, id est, adhibito diuinæ inuocationi ritu crucis Domini administrari, satis ex huius Sacramenti ceremonia vbique gentium iam olim obseruata elucescat. Quo enim ritu iam pridem, id est, ante annos mille quadringẽtos fuerint Christiana celebrata connubia, Tertul- " lianus lib. 2. ad vxorem sub finem luculẽter exponit, dehor- " tatus enim ne ipsi superstes nubat infideli Christiana, in connubij Christiani, id est Christianæ cum Christiano, encomiũ erumpens, Vnde sufficiam, inquit, ad enarrandam felicitatem eius Matrimonij, quod Ecclesia conciliat, Pater (cælestis Deus) rato habet? Quibus ex verbis antiquitates omnibus Romanorum numismatum scrutis nobiliores, ac Christiano studio dignissimas licet eruere. Ecclesiam, ait, conciliare hoc Christianorum inter se Matrimonium, quod sponsi ac sponsæ copulam, siue coniugium Euangelico ritu, id est, sacra benedictione vnà cum diuini nominis inuocatione cõciliatum dixerim significare. Cæterùm quod addit, confirmat oblatio; rectè beatus Rhenanus de Missæ sacrificio accipit: quod " hic oblationis, inquit, nomine intelligit, ad quod sponsus & " sponsa conueniebãt, & sacerdos eos in precibus Domino cõmendabat coram tota Ecclesia.

S. Matrimonij ceremoniæ Apostolicæ.

Benedictio coniugum ad exẽplum Domini in Paradiso.

Oblatio & Missa nuptialis.

Porrò quod addit Tertullianus, obsignatum angeli renunciant, equidem interpretari non ambigam, saluo aliorum iudicio, de S. Eucharistiæ communione, quæ contractũ Christianum Matrimonium euestigiò tunc temporis consequebatur. Oblato enim in gratiarum actionem, atque pro felici nuptiarum successu Deo Opt. sacrificio, ex more de oblatione edebant sponsi. quemadmodum & Parisijs in hunc vsque diem moris huius antiquissimi vestigia obseruauimus. Ad altare sponsus & sponsa post communionem à Sacerdote per-

Communio sponsorum de nuptiali sacrificio Deo oblato.

actam, & panem & vinum de Calice hauriunt, quasi quoddã antidoron, in locum S. Eucharistiæ, à qua vbi frigidior posterorum affectus cœpit languescere, ac propè (prò dolor) abhorrescere, in locum S. Eucharistiæ, panis ac vinum à Sacerdote in symbolum mutuæ concordiæ ac vnionis animorum accipiunt. Sed his de ritibus matrimonialibus atque Sponsorum benedictionibus facilè concordia sarciatur. Nam Illyricus cum suis manipularibus, Centuria 1. lib. 2. cap. 4. disertè profitetur Apostolos in contrahendo matrimonio honestos ritus, quales sunt, inquiunt, Sponsalia, sacræ benedictiones nouorum coniugum, mundior sponsæ ornatus, & similia nõ improbasse. Rursus inferius, vt quod dixerant, non temerè effutijsse nasutis videantur. Benedictiones, inquiunt, nouorum coniugum pertinẽt ad præcepta de oratione, 1. Timo. 2. fiant obsecrationes, & interpellationes pro omnibus hominibus. Paulus iubet cibis & matrimonio vti cum gratiarum actione. Euge Illyrice! Præclarè sanè. Quod D. Chrysostomus de ciborum benedictione signo crucis conficienda, hoc & vos Protestantes de Coniugatorum benedictione accipiendum docetis.

Benedictio Spõsorum ab Apostolis est tradita, teste Illyrico.

An non cum Luthero vestro & aquam & salem S. Crucis signaculo concedetis consecranda? Ita quidem de vobis pij omnes confidimus: modò cum ratione insanire ne pergatis. Quod de vobis equidem pronunciare non ausim. Scio enim, nisi me omnia fallant, vos maritos multarum prolium patres patratos vestris saltem coniugatis fore propitios, vt eis nõ negetis, quod Schola Theologorum, tam Lipseñ. quàm VVittenbergeñ. suis indulget populis, Saxonibus & Lunẽburgeñ. quibus à Missa domum abituris, benedictionẽ imprecamini Mosaicam cum expresso S. Crucis ✠ signo insignitam.

Supersunt ritus sacri qui extremæ *Vnctionis* Sacramento solemniter adhærent, quos quia pauci admodum sunt paucis perstringemus. Quæ namq. præter vnctionẽ S. olei adhibentur, superius suo loco Antithesi 23. sunt pertractata. Quod igitur legitimè hæc S. olei illinitio cum diuini nominis inuocatione atq. Christianæ crucis impressione fiat, satis ex D. Iac. verbis liquere potest omnibus, qui ingenio nõ sunt cõtẽtioso.

Ait

Ait enim Presbyteros aduocandos ægrotis, qui eos vngant in nomine Domini. Iam cùm crux Christi nobis sit relicta, & ad hoc à Christo Domino electa, vt per eam, inquit Augult. Ser. de temp. 118. cõtra inimici versutias muniamur, an hæc sacri olei, quo corpus vngitur, vt anima sanetur, roboretur, cõfirmetur, illinitio aptiori fiat forma, quã illa religiosa & Cacodęmonibus mirificè horrẽda Dominicæ crucis figura? quẽadmodũ totũ per Occidentẽ ante annos mille Catholica obseruauit Ecclesia. quod & D. Ambrosij verbis superius ostensum fuit.

Cap. XLIX. Secundũ Ecclesiasticæ Consecrationis genus quod nõ est Sacramentale.

Explicatis, quantum huius loci postulat ratio, ritibus Sacramentalibus atq. ceremoniis, quæ diuinis Christianæ religionis Sacramẽtis administrãdis sunt cõiunctæ, nunc ad consecrationes, quas dudũ non Sacramentales diximus decurrat oratio. Alterũ igitur Consecrationũ Ecclesiasticarũ genus, quod diximus nõ Sacramentale nunc in mediũ veniat. Istud latissimè varias in species funditur. vt enim rei necessitas postulare visa fuit ita piis à maioribus certa fuit ex D. Pauli admonitione adhibita creaturarum Dei per diuini nominis inuocationem cõsecratio: siue, vti D. Paulus ipse appellat Sanctificatio, & Benedictio Græcis meritò Eulogia dicta.

Origo Cõsecrationum nõ Sacramentalium etiã ostenditur Apostolica.

Cùm enim omnia sint in vsum hominis à Deo Opt. Max. condita atq. creata, Christianis ex D. Pauli instituto placuit omnia cum gratiarum actione, atque diuini nominis inuocatione vsurpare, & in quotidianum vsum adhibere. Et si enim præclarè didicerant maiores nostri venerãdi iuxtà ac Religiosissimi viri non solũ nihil esse cõmune, siue immundum per Christũ; sed omnia mũda mũdis: nõ contẽti tamẽ quod mũdis vterẽtur, maluerũt ex D. Pauli adhortatione & sacris aut cõsecratis vti, id est, noluerũt tantũ fidei beneficio cõtenti vti creaturis Dei bonis, sed quò maiorẽ Deo Opt. Max. vniuersorũ cõditori referrẽt gratiã, plerisq. semper rebus in vsum admotis diuinã adhibuerũt, & gratiarũ actionẽ pia diuinę pietatis inuocatione ornatã, per quã, teste Paulo, bona Dei creatura sanctificatur, atq. cõsecrata redditur. Quò igitur res istæ spectabiles ferè omnes homini Domino suo magis ex Dei instituto seruirent, vereque cùm ad animi tranquillitatem, tum corporis incolumitatem essent salutares, visum fuit & quæ

Causa cur rebus, licet mũdis, pij maiores maluerunt vti cõsecratis aut sanctificatis.

ad

ad valetudinem ſiue conſeruandam & tuendam, ſiue recuperandam & inſtaurandam facerent, nõ niſi cum gratiarum actione percipere, nec ſine conſecratione (quæ vt gratiarum actionem, ita diuini nominis inuocationẽ ſemper habet coniunctam) in vſum iuxta D. Pauli admonitionem adhibere.

Conſecrationũ nõ Sacramentalium diſtributio in tres ſpecies.

Hoc autem ceremoniarum Eccleſiaſticarum genus, vti diximus non Sacramentale, quia non circa diuinorum Sacramentorum verſatur myſteria, patet latiſſimè: quod has ferè ad ſpecies licet reuocare, vt ſint aut incolumitatis humanæ remedia, aut ad pietatem diuinã paraſceuaſticæ, aut ipſa denique pietatis Chriſtianæ exercitia. Quas diximus ceremonias incolumitatis humanę remedia, ad valetudinem bonam aut conſeruandam aut recuperandam pertinent, quæ cum variis rebus non ſolùm ad vitam vtcumq. tranſigendam; ſed & ad auxiliũ varium habeat opus variis item remediis, cùm ſit aut morbida curanda, aut languida ſuſtentanda, aut incolumis denique fouenda, nos illas nunc ſuas in claſſes digeremus, vt obſcuriores ab illuſtrioribus natiui aliquid mutuent luminis.

Quò autẽ perſpicuum magis fiat ſolemnes Eccleſiaſticas conſecrationes, quibus res varias ad valetudinẽ corporis ſiue pietatis Chriſtianæ cultum veteri de more inuocato Dei opt. max. nomine conſecramus, non eſſe magicas aut diabolicas, ſed verè pias aut Apoſtolicas, in mentem nobis veniat oportet illud D. Pauli dudum commemoratum, Sanctificatur omnis, inquit, creatura Dei bona per verbum Dei & orationem. Quod vt planè ſemel animus percipiat, perſpiciatque Chriſtianus, meminerit his in rebus & illud Paulinum in primis habere locũ: Animalis homo nõ percipit ea quę ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem diiudicat omnia.

1. Timoth. 4.

1. Corinth. 2.

Quod etſi D. Paulus de Cardinalibus illis Euãgelicis myſteriis ſcripſerit: habet tamen in omnibus Chriſtianæ Religionis negotiis locum. Siquidẽ quæ fidei lumine cognoſcuntur, quæ mentis Chriſtianæ arbitrio diſcernuntur, non niſi Dei ſpiritu verè cognoſcuntur, aut eius lumine rectè diiudicantur.

Qui

Qui ergo de Spiritualium illorum numero sunt, quorum Paulus ad Corinthios meminit, qui Spiritũ non huius mundi, qui & animalis est, siue psychicus, & iudicio rationis humanæ fulcitur: sed spiritũ Dei acceperũt, vt sciát quæ donata sunt nobis, ij demum has res & intueri, & perspicere, & diiudicare valebunt. Proinde spiritũ huius mundi, siue rationis humanę iudicium exuat oportet, quisquis Ecclesiastica sacra misteria, sacrasq. ceremonias ritè studet cognoscere aut dijudicare.

Cùm autem oculis fidei videamus res in vniuersum omnes esse Dei maledictioni ob Adæ peccatum subiectas, maledicta, inquit, terra in opere tuo, ipsumque hominem factum diaboli mancipium longè miserrimũ, cuius sub tyrannide gemit ęrumnosus atque laborat infelicissimus, omnia in vsum hominis ac ministerium pridem creata fuêre illa Dei maledictione aliorsum conuersa. Vnde Dei Opt. Maxi. permissu diabolus eis ad hominum fraudem, incommodum, labem, cladem, calamitatatem, certumque exitium continenter, quod in se quidẽ est, abutitur, suamque hostilem, infestam, planeque internecinã inimicitiam gnauiter exercet ad hominem pestilenti illorum vsu, siue venenato atque insalubri abusu perdendum. Quare cùm hostis noster omnibus hisce creatis, totoque vniuerso ad hominum perniciem abuti studeat, neque leuem tyrannidẽ Dei permissu propter hominis peccatum in illas res omnes corporeas possideat, quæ in hominis Deo rebellis ac perduellis noxam reciprocam cõiurasse, imò perdendi potestatem accepisse videntur, rectè Christiani in suam pristinam dignitatẽ per Christi Iesu Domini nostri redemptoris atque liberatoris fidem ac beneficium restituti in legitimum vsum illas sibi res origine suas recuperare & vindicare studẽt inuocato Dei Opt. Max. nomine in auxilium multò præsentissimum.

Gen. 3. Occasio vera consecratarum rerum, quarum vsus est quotidianus.

Itaque non magia, aut superstitione: sed, quod ait August. de ciuit. Dei lib. 10. cap. 22. vera pietate homines Dei aëriam potestatem inimicam, contrariamq. pietati exorcizando eijciunt, non placando, vt solent pagani, & docent Platonici atq. Virgil Æneid. 3. & 7. Addit præterea vim huius exorcismi Christiani Augustinus tantam esse, vt omnes tentationes & aduersitates diaboli vincant illi homines Dei, id est, Christiani, oran

Exorcizare varias creaturas veræ est pietatis, ait Augustinus.

do, non ipsum diabolum, sed suum Deum aduersus ipsum. Princeps ergo mũdi diabolus ab vsurpata sibi in res omnes tyrannide, quæ ob hominis peccatum sunt diuinæ maledictioni obnoxiæ atq. subiectę, depellitur, excluditurq́. dum ab hominibus Dei, quod ait loco recitato D. August. exorcizando

Exorcizare quid Augustino.

eijcitur. Exorcizare enim, vti idem ait lib. 1. de vita Beata, est per diuina immundum spiritum adiurando expellere. Quantam autem possideat potestatem Cacodæmon in res istas corporeas (nam ad animarum medelam, certamq́ue salutem saluberrima sunt instituta Christi Domini Sacramenta) vnũ illud exemplum D. Marcelli Apameñ. Episcopi satis luculenter declarat. Nulla enim arte humana, nulla materia, nullo fomento ignem inijcere potuerũt Christiani in nobilissimum illud Iouis Apameñ. Phanum, donec tãdem aqua Cruce Domini Christi piisque precibus consecrata fuerat Cacodæmon spectri nigri specie subinde apparens profugatus, vti mox recitabitur fusius ex D. Theodor. lib. 5. histor. Eccles. cap. 21.

Quod igitur D. Theodoretus testatur visibiliter contigisse ad preces D. Marcelli sanctiss. Episcopi, vt Cacodæmõ aquam diuini inuocatione nominis, & signaculo S. Crucis consecratam victus fugerit, neque rem Christi Domini trophæo insignitam, & fidei oratione sanctificatam ferre aut sustinere valuerit, idipsum in omnibus semel rebus fieri oculis fidei contemplamur, quotquot non huius mundi, sed Dei spiritum accepimus, vt sciamus, quæ data sunt nobis. Quod facillimum est omnibus perspicere, quotquot suæ professionis Christianę non oblitę meminerint non frustrà Dei Opt. Max. nomen in auxilium quauis occasione inuocari.

Moyses aquam Zelotypiæ consecrat.

Porrò incredibilẽ planè vim vel in veteri testamẽto habuisse piã diuini nominis super creaturas inuocationẽ, aqua illa quę
» zelotypiæ Num. 5. dicitur, demonstrat. Sacerdos tenebit aquas
» (inquit Moyses) amarissimas, in quibus cũ execratione maledicta cõgessit, adiurabitq́. mulierẽ suspectã, dicẽs: Det te Dominus in maledictionẽ, putrescere faciat Dominus fœmur tuũ.

A minore.

Quòd si maledictio cũ diuini nominis inuocatione tantam credita est à diuino propheta Dei amico Moyse habitura vim, ecquid ęquũ est nos Christianos de Christianis, atq. Euãgelicis

rerũ variarũ diuini nominis inuocatione conſecratarũ effectis ſentire? Certè ſi Deus promiſit credentibus in nomine ſuo dęmonia per orationé eiecturos, imò Chriſti nomen videmus vel ſine Chriſti Domini fide inuocãtes dęmonibus eſſe horribile, adeoq. intolerabile (quod illi Iudæi Archipresbyteri Sceuæ filij ſuo cõteſtantur exẽplo) cur nõ & ſuos orãtes exaudiat filios, vt aquá, ſalem, panem, oleum, aliaque humano vſui, vitæq. ſuſtentandæ aut tuẽdæ neceſſaria ſanctificare, ac cæleſti virtute ornare dignetur? Sanè creaturas Dei bonas per orationem, & verbum Dei ſanctificari dubitare non poſſumus, quotquot animalem hominé, ſtolidamq. rationé humaná in Dei rebus, ſacrisq. myſteriis cõtẽplandis verè exuimus, ſemelq. depoſuim⁹. Supereſt igitur vt nũc liquidis rerũ non fabuloſarum exemplis comprobemus, quod dudum ex D. Auguſt demonſtrauimus. nimirum homines Dei, id eſt, Chriſtianos diabolum eiusq. poteſtaté hominibus infeſtam, inimicam, atq. pietati contrariã exorcizando eijcere, omnesq. eius aduerſitates orãdo vincere.

Act. 19.

Chriſti nominis inuocatio, ſine fide Cacodæmones territat.

Indubitatis rerum exemplis certiſſimũ eſt, ſæpiſſime deprehenſum ſola dominicæ Crucis figura ex vera in Chriſtum fide ac pietate adhibita morbos fuiſſe depulſos, vlcera curata, cancros alioqui deploratos, deſperatos, inſanabiles planè ſanatos. Cuius rei vnũ ſuffecerit pręclariſſimũ adferre exẽplum nõ minus facti euidẽtia nobile quá perſonæ claritate illuſtriſſimũ, D. Augu. impiis paganorũ calũniis reſpõſurus cur nõ fierent miracula & prodigia ſua illa ætate, quæ Chriſtiani iactabát olim facta, oſtendit fieri quidẽ per Sacramẽta, ſiue per orationes, ſiue per memorias martyrũ nõ pauca, nec ſanè obſcura: latere autẽ, quia non pari claritate illuſtrantur. Quod plurimis demonſtrans exemplis commemorat nobiliſſimam feminam Innocentiam Carthagine cancro laboraſſe inſanabili, ac medicorum omnium iudicio incurabili. Quo medicorum pręiudicio morti damnata ad Deũ ſolũ ſe cõuertens orat aſſidua. ſub Paſchate admonetur in ſomnis, inquit D. Auguſt. qui ex matronę ipſius religioſiſſimæ ore hæc deſcribit, vt quæcunq. baptizata ipſi primò occurriſſet, locũ peſte illa ac voragine inflãmatũ, ſigno crucis Chriſti ſignaret. fecit, & cõfeſtim ſanitas ſecuta eſt. Quòd ſi ſola dñicæ Crucis figura per fidẽ Chriſti, & orationẽ

 adhi-

adhibita sanitaté reddit vel deploratissimá. ecquid nõ ab eodẽ Christo Domino speremus auxilij, quando eius nomen super suas creaturas fuerit ardenti pietate inuocatum, vt nobis valetudinem, aut tueatur, aut largiatur incolumem?

Panis consecratio Ecclesiastica.

Ad valetudiné igitur conseruandá, aut recuperandá vt ordi in primis opus est pane, oleo, sale, herbis, aliisque: de quibus ne dicamus, res ipsa postulat. Pané igitur diuini nominis inuocatione sanctificari olim solitũ testatur D. Chryso. qui Catechumenos pane quidé sacrato vsos ait, sed non sacra Eucharistia.

Antidoron Gallis, *le pain beni*.

Huius classis est panis etiá ille, qui Grecis dicitur ἀντίδωρον, & gallis hodie lingua semilacera, *le pain beni*: quasi dicas, panis benedictus vocatur. Consecratur enim die dominico ad missam fidelium in illorũ vsum, qui sacræ mésæ tunc nõ sunt participes, quemadmodũ Parisiis per Ecclesias parochiales solemni vsu obseruari vidimus. An autem illud Græcorum antidoron etiam tempore S. Liturgiæ post missam Catechumenorum consecretur, nobis est ignotum, fortassis idẽ est panis qui Sabbato sub noctem sanctificatur, post preces Epilychnias. Tunc enim moris est, vti apparet ex Euchologio Ecclesiæ Græcanicæ vt Sacerdos certa prece consecret panem, vinum, & oleũ. Sic enim illic legitur, cap. *n*. Celarites proponit panes v. & vrnam vino plenam in analogio (fortassis Cellariũ siue Oeconomum Ecclesiæ dicit) vnum eorum accipiens sacerdos, καὶ τυπώσας ἐν αὐτῷ σαυρὸν, factoque Crucis signaculo, precatur hanc clara voce orationẽ: Domine Iesu Christe Deus noster, qui benedixisti v. panes, &c. benedic & hunc cũ oleo & vino multiplica etiam illa in hoc domicilio atque in mundum vniuersum, ac omnes quotquot eorum fient participes sanctifica, quoniam tu es qui benedicis ac sanctificas cuncta, tibi gloriam referimus, cum patre tuo ingenito, & sancto spiritu, Amen.

Græci pané benedicũt ad certa effecta cum S. Crucis signo.

Vsus pani consecrati apud Græcos.

Post quá consecrandi formulam additur huius consecrati panis vsus: quem in studiosorum gratiá hic subtexere videbatur operæpretiũ, vt pij lectores videant eandem esse de diuina in nos clementia fiduciá apud Grecos, quæ maiorum nostrorum etate fuit apud Boreales Latinos. Sic igitur illic legitur, ἰςέον δὲ, ὅτι ὁ εὐλογηθεὶς ἄρτος ἐςὶν ἀλεξιτήριος παντοίων κακῶν, εἰ μετὰ πίστεως λαμβάνοιτο, ἤγουν παύει πυρετοὺς, πινόμενος μετὰ ὕδατος, φρίκην διώκει, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἰᾶται. πρὸς δὲ τούτοις καὶ σῆπας ἀπὸ τῶν γεν-

Panis consecratus est prçsidiũ, & amuletum atq. alexipharmacum Græcis in hũc vsq. diẽ.

γεννημάτων ἀπελαύνει, Sciendum eſt hunc benedictum panem, cunctorum malorum eſſe amuletum & depulſorem, ſi cum fide ſumatur, ſedat nimirum febriculas, ſi aquæ admiſtus potetur, horrores febriles abigit, omnemq. languentium ignauiam ſanat: ad hæc tineas à fructibus arcet, abigitque. Quod ne cuiquam videatur paradoxum, aliquot fide dignas huc adferemus hiſtorias, quæ non peruicacibus ingeniis mirificã rerum in Chriſti nomine ſanctificatorum perſuadeant vim, planeque efficaciam quandam diuinam.

Teſtatur D. Hieronymus ad S. Hilarionem, ætate Conſtantij A. accurriſſe Epiſcopos, Presbyteros, Clericorum & Monachorum greges, matronas quoque Chriſtianorum, quæ ſunt grandis tentatio, & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile: ſed & potentes viros, & Iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent. Vſum porrò huius benedicti panis, vel olei hîc quidem non explicat, tacitus innuẽns in vſus quotidianos fuiſſe adhibita. Verùm paulò inferius vbi diſſeruiſſet, ad preces ſanctiſſimi Hilarionis poſt annos totos tres, quòd elementa D. Antonij mortem vulgò dictabantur lugere: cũ magis Iuliani Apoſtatæ, qui in imperium ſucceſſerat, impietatem vindicarent, cælum pluiſſe, arenoſamq. ac ſitiẽtem regionem pluuiis irrigatam tantam ſerpentum & venenatorum animalium ebulliuiſſe multitudinem, vt percuſſi innumerabiles, niſi ad Hilarionem cõcurriſſent, ſtatim interirẽt. Quid autem acceperint contra ſerpentum ac venenatorum morſus remedij, mox ſubtexuit: Benedicto, inquiẽs oleo vniuerſi agricolæ atq. paſtores tangentes vulnera certam ſalutem reſumebant. Sed iuſtam maioris miraculi admirationem meretur, quod D. Hieronymus ſub finẽ vitæ eiuſdẽ Hilarionis cõmemorat: Ad Hilarionem iam ægrotantẽ atq. periculoſè decumbẽtem accurriſſe inter multos religioſos viros Conſtãtiam quandã ſanctam feminam: cuius generũ, inquit, & filiã de morte liberarat vnctione olei. Quod viuus fecit Hilariõ præclarus D. Antonij diſcipulus, teſtatur D. Auguſt. & ad ſepulchra martyrũ ſua ætate factũ. Scribit enim lib. de Ciui. Dei 22. ca. 8. ſolere Chriſtianos ad martyria, quod eſt ad S. martyrũ ſacella accurrere, & de oleo S. Stephani vnctos reualeſcere, adeoq. reuiuiſcere. Apud Hip-

Olei conſecratio, in vita D. Hilarionis. Panis S. Hilarionis, eiuſque oleum quid effecerit teſte D. Hieronymo.

Oleo S. Stephani reliquiis conſecrato mortui reuiuiſcunt ait oculatus teſtis D. Auguſtinus.

„ ponem,inquit,Irenæi cuiſdam apud nos collectarij filius ægri-
„ tudine extinctus eſt. cumque corpus iaceret exanime, atque
„ aliis gementibus & plangentibus exequiæ pararentur,amico-
rum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſugeſſit,
vt eiuſdem martyris (S. Stephani) oleo corpus perungeretur.
Factum eſt,& reuixit. Huc pertinet quod eodé cap. D. Auguſt.
ceu indubitatiſſimum, omnibuſque ſuis ciuibus Hipponeñ.
certiſsimum commemorat, quandam virginem cùm ſe oleo
perunxiſſet,cui pro illa orans presbyter inſtillauerat lachrymas
ſuas,mox à dęmonio fuiſſe ſanatam. Cęterùm de herbis ac flo
ribus veteri more conſecratis ſuffecerit in præſens adferre pau
cula eiuſdem fideliſsimi teſtis Auguſtini teſtimonia,qui ad cõ
firmandam Chriſti religionem teſtatur ſibi, aliiſque plurimis
ſui temporis hominibus oculatis teſtibus notiſſimum, ægros
floribus de altari vel martyrio allatis fuiſſe ſanatos. Sed eius
verba ex lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 8. præſtiterit delibare. Ad
aquas Tibilitanas Epiſcopo proiecto reliquias S. Stephani affe-
rente, magnus confluebat populi occurſus & concurſus. in-
ter quos cæca mulier ad Epiſcopum, inquit, ſacra pignora
„ deferentem, vt duceretur, orauit, flores, quos ferebat, de-
„ dit, recepit, oculis admouit, protinus vidit. Calamæ oppido
„ Africæ quidam vir primarius Martialis, æuo grauis, mul-
„ tumque abhorrens à Religione Chriſtiana, queé cùm filia, ge-
„ nerque ægrotantem fruſtrà rogaſſent vt Chriſtianus fieret,
„ acceſſit gener ad memoriam S. Stephani, obſecrans Deum
„ vt mentem illi daret bonam, qua in Chriſtum credere non
„ differret. hoc vbi ingenti gemitu & fletu,ardentiq. pietatis af-
fectu feciſſet,diſcedens aliquid de altari florum, quod occur-
rit,tulit,eiq. cũ iam nox eſſet ad caput poſuit. Tunc dormitũ
eſt: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Epiſcopum currere-
tur. Quo abſente atq. apud Auguſt. agẽte,presbyteros venire
poſtulauit,venerũt,& ſtatim ſe credere dixit,& baptizatus eſt.

De aqua verò ſacra ſiue luſtrali,quam vulgo dicunt, ſuper-
eſt vt paucis dicamus: cuius antiquitatem & ſi aduerſarij infi-
ciari non poſſunt, D. Alexandri martyris Chriſti teſtimonio
ſtabilitam, tamen ſuperſtitionis eam damnare, ſicuti & alia
ſimili conſecrationis ſpecie conſecrata, non verentur. Vnde
robu-

Oleo ſanctificato dæmones obſeſſis expelluntur, ait Auguſt.

Herbis & floribus ſanctificatis ægros ſanari, docet Auguſt.

Flores ſacris D. Stephani reliquiis ſanctificati cæcis reddunt viſum.

Aquæ ſacræ ſiue luſtralis, antiquitas & efficacia.

robustiora sunt nobis petenda pręsidia, quę efficacē diuini nominis etiam super aquæ elementū inuocationem astruāt atq. contra magiæ notā ab aduersariis temerè illi inustam tueātur. Celeberrimum est illud præclarū D. Marcelli Apameñ. Episcopi pietate, fideiq. zelo in primis conspicui stratagema, quo Cacodęmonem sui Iouis Apameñ. nobilem illam ædem omni ope propugnantem, ne lege Theodosiana euerteretur, vicit. atq. profligauit. Cum enim columnas prophani illius phani suffossas, subiecta sæpius licèt flamma, non possent Christiani exurere, quòd atrum dæmonis spectrum non fineret ignem ligna identidem subiecta atq. inflammata absumere, ad diuinum conuertitur Marcellus auxilium. Ad tēplum igitur Dei Opt. Max. decurrens aquā vasculo infusam sacro iubet imponi altario, humiq. prostratus Deum vbi supplex orasset, ne diabolicæ tyrannidi vlterius concederet, sed illius imbecillitate ostensa, suam demonstrare dignaretur potentiā, ne qua infidelibus maioris detrimēti hinc existeret occasio. hæc aliaq. obnixè precatus, καὶ ἐπιθεὶς τοῦ σταυροῦ τὸν τύπον τῷ ὕδατι, vbi aquæ, ait Theodoretus lib. 5. cap. 21. signaculum crucis impressisset, misit Equitium diaconum, hanc aquam cōsecratam sumere iubet, velociter accurrere, flammæque aspergere. Quo facto dęmon aquæ illius, προσβολὴν aspersionem non sustinens, aufugit. Ignis verò aqua sibi contraria quasi oleo vsus ligna inuasit, nulloque temporis momento absumpsit.

Aqua olim signo S. Crucis cōsecrata dæmonem spectri specie apparentem fugat.

Aspersio aquæ sacræ Cacodæmonē expulit.

Similis efficaciæ aquā D. Willibrordū Hollandię nostræ Apostolū sacris Dei virginibus horribili lue apud Treuiros laborātibus cōsecrasse scribit Albinus Alcuinus Caroli Magni doctor eximius: quā vbi ægrotæ potassent cōualuêre, neq. vlla vnquā posteà illa peste moriebatur. Sic & domū cuiusdam pij viri cū cacodæmō vexaret, in qua ex horrore, maleficiisq. habitare agnoscebatur, D. Willebrordus simili remedio est vsus. Nā subitò cibos, vel vestimēta rapere solebat, & in ignē mittebat: imò infantē inter parentū amplexus decumbentē, illis dormientibus tulit, atq. in ignē proiecit: quē parentes vagitu excitati de igne vix eruerūt. Hūc cū presbyteri pellere non potuissent, ad patrisfamilias preces ille aquā cōsecratam trāsmisit qua locus aspersus posteà ab omni dæmonis incursione fuit liberatus.

Teſtatur Georgius Alexãdrinus D. Flauianum Antiochenum aqua ad Ioannis Chryſoſtomi requiſitionẽ cõſecrata vxorem principis Marcionitarum fuiſſe eueſtigiò ſanatam: quam ſuę ſectæ homines triduanis precibus à diſenteria, morboq. colico, neque medici vlli Antiocheni potuerant ſanare.

In Vita D. Chryſo. fol. 19.

Hanc porrò aquam ſacram non ſolùm fuiſſe olim ad cohibendas, cacodæmonum inſidias & infeſtationes adhibitam, ſed etiam ad aliquam Chriſtiani populi ſanctificationem Concilium Agatheñ. ſub annum Domini 470. celebratum diſertis admodum verbis teſtatur. Deſcribens enim quonam ritu atque ceremonijs ſacris, pœnitentes in capite quadrageſimæ ante fores templi congregandi, atque ad pœnitentiam publicam pro ſuo quiſq. delictorum modo redigẽdi, docet ex veterum Canonum præſcripto Epiſcopum poſt 7. pſalmos pœnitentiales decantatos manũ eis imponere, benedictam, inquit, aquã ſuper eos ſpargere, cinerẽ mittere, deinde cilicio capita eorum operire, & quæ ſequũtur apud Gratianũ diſt. 50. Can. In capite quadrageſimę. Quos autem dicant Epiſcopi ſanctiſſimi in Concilio Agateñ. ad. 35. congregati Canones veteres, qui de aqua ſacra ſunt conſtituti, in primis equidem illum accipiendum arbitror, qui in Synodo Romana conſtitutus D. Alexãdro martyri tribuitur. Is enim ſic ſtatuiſſe in ſynodo Romana legitur, in codicibus antiquiſſimis. Oſtenſuri enim illi ſanctiſſ. Patres in Synodo ætate Traiani cũ D. Alexãdro collecti permagnũ inter Sacramenta Chriſti, &, vti nunc loquimur, Sacramentalia, ſiue res alias ſacratas (quòd non animam ſanctificant, aut gratiã donant, ſed impedimẽta remouent, atq. ſalutis obſtacula ſiue remoras amoliũtur) diſcrimen. Aquã ſalè cõſperſam (inquiũt epiſtola ſynodica ad omnes orthodoxos) populis benedicimus, vt ea cũcti aſperſi ſanctificentur ac purificẽtur. Cauſam addũt à minori, ex typo vitulæ Moſaicæ, cùm & hęc aqua diuinis, inquiunt, precibus, ſiue diuini nominis inuocatione ſit ſacrata. Iam ne quid reſideat ſcrupuli de ſalis cõſecrati efficacia, exemplũ Heliſęi proferũt. Si aquę ſterilitas ſalis aſperſione fuit ſanata, quanto magis diuinis precibus ſacratas ſterilitatẽ aufert rerum humanarũ & coinquinatos ſanctificat & emundat & expurgat, & cętera bona multiplicat, & inſidias dia-

Vſus aquæ ſacræ ad quãdam populi Chriſtiani ſanctificationẽ ex Concilio Agatheñ. Anno Do. 470.

Canon D. Alexandri de aqua conſecrata potius dicendus eſt antiquiſsimi Romani Concilij ætate Traiani ſub annũ Do. 100. habiti.

diaboli auertit,& à phantasmatis,versutiisq. homines defendit? hoc tactu fimbriæ dominicæ statuunt patres illi sanctissimi, Christi martyres & exemplo sudariorum ac semicinctiorum D. Pauli posse corroborari, quorum attactu D. Lucas docet & languores siue morbos depulsos ab ęgrotis,adeoque dæmones ab obsessis profligatos. Act.19.

Quòd auté aqua sacra ad domorum aspersiones vsurpata verum Dei cultũ habeat,nõ impiã superstitioné,antiquissimi patres testibus Iuone lib. 1. Gratiano lib. 5. Capitulorũ. ca. 76. docent. In Sabbato S. Paschæ vel Pentecostes si quis velit aquam consecratam in domo sua ad aspersionem recipere, ante chrismatis infusionem percipiat.

CAP. L.

Quæ nunc diximus rituum sacrorũ genera ad incolumitatem humanam facere videntur supersunt ceremoniæ,quæ pietatis Christianæ præparationé spectant, siue ipsa sunt pietatis verè Christianæ exercitia : de quibus quia & ipsæ varias in species patent latissimè,ordine dicendum erit.

Ritus Christianæ pietatis pręparatorij, geminæ sunt speciei. Sunt enim homini aut externi aut cõiuncti.

Porrò illi ritus ad pietatem Christianã parasceuastici,siue præparatorij ferè sunt duplicis generis. Sunt enim homini aut externi aut coniuncti.

Illud genus tépla habet, Aras, Campanas: hoc vestes sacras, amuleta, etsi quę similia: de quibus vbi dixerimus, etiam illas externas suo persequemur ordine: quò ad ipsa pietatis Christianæ perueniamus exercitia: quibus reliquæ seruiunt Ceremoniæ Christianis hominibus citra superstitionem vsitatæ.

Pia sacrarũ vestium cõsecratio à superstitionis nota defenditur.

Vestes igitur consecrari à nobis rident Anonymi Confessionistarũ Patroni, quasi superstitiosum. Sed si scopum considerarent miseri, eas nobiscum reuerenter haberent.

Vestes sacræ duplicis generis, Ecclesiasticæ aut Monasticę.

Quas autem Catholici vestes consecramus, aut ad diuinũ officium præstandum pertinent, aut ad priuatum ministrorũ Dei cultũ. Illæ sunt Ecclesiasticæ, hæ verò Monasticæ. Quæ sunt Ecclesiasticę, vti Casula, Dalmatica, & id genus alia cùm ex professo in diuinum cultum offerantur, non magis mirandum est certa prece publicum hunc in vsum cõsecrari, quàm olim vasa tabernaculi Mosaici, aut templi Salomonici. Cùm enim diuino deputentur cultui, æquissimũ est vt certa prece diuinæ offerantur pietati, quò in publicum ipsius ministeriũ

liqueat esse dedicatas. Certè has velut impias, aut superstitiosas Confessionistæ reiicere non possunt, nisi & suũ magistrum Lutherũ turpiter velint reijcere, ipsumq. ceu superstitiosum deserere non dedignātur: qui disertè sua in Confessione, quã anno 44. de fidei capitibus inscripsit, docet libera esse imagines, Campanas, Missæ ornaméta, cereos & altarium lumina, & templi ornatũ. Neq. verò simpliciter isthæc omnia tanquã adiaphora, aut libera Luthero probantur: sed tanquàm pio legitimæ cõsecrationis ritu sanctificata. Ita enim lib. de Capt.
» Babylonica scriptũ reliquit: Permitto ordiné esse, inquit, qué-
» dam ritum Ecclesiasticum, quales multi alij quoque per Ec-
» clesiasticos patres sunt introducti, vt consecratio vasorũ, domorum, vestium, aquæ, salis, candelarum, herbarum, vini, & similium. Didicerat enim vnà nobiscum à D. Paulo creaturas omnes verbo Dei atque oratione sanctificari.

Lutherani sui magistri Lutheri spiculo conficiuntur: qui approbat Missę ornamenta & consecrationes vasorũ, domorum, vestium, aquæ, salis, candelarũ, herbarũ vini, & similiũ.

Consecrationes salis, vini, vestium, & herbarum probat Lutherus ex verbo Dei, & Patribus Ecclesiasticis.

Porrò quas monasticas diximus vestes, ad priuatũ ministrorum Dei cultũ pertinét: qualia sunt Sanctimonialiũ vela, Caputia, Cuculli, Colobia, Succinctoria, & rebrachiatoria quæ Grçci, ἀναλάβȣς, racia, mauortes, Ependytes siue pelliceum, & totus ille mundus monasticus. Citra superstitioné hæc omnia pietatis Euangelicæ professoribus tradi consecrata inde fiat manifestum, quòd arctiorem vitæ Euangelicæ viam ingressuros, horridaque illa Domini bella contra antiquum draconem depugnaturos, æquum fuit iusta armorum panoplia esse instructissimos.

Monasticæ vestes cur olim consecratæ.

Paupertatis enim & castitatis, ac in primis humilitatis cultores oportebat ad omnem semper occasionem, assiduamq. diaboli indesinenter illos præ cæteris oppugnantis, infestationem arma in promptu habere expeditissima, quibus insultantis hostis aut frangerent impetum, aut tela detorquerent. Siquidem in monastico habitu quædã sunt non tam ad curã corporis fouendam, frigorisue iniuriam retundendã, quàm ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis, innocentiæ, humilitatis, mundique contemptus, & apathiæ studium atque obseruantia etiam in ipsa vestitus qualitate reluceret.

Habitus Monastici veram spirant pietaté, germanamque redolent virtutem, cuius suos admonét ipso vsu cultores

Quid enim Christianam animam castitatis nexu Christo sponso

ſponſo copulatam vereq́. nuptam, ita ſui voti, imò initi cum Chriſto Domino matrimonij faciat memorem, atque impoſitum capiti virgineo velum ſacrum? quod vti ſemper venerandum caput premit, ita memoriam datę Chriſto fidei animo ſemper aut lætanter renouat, aut alacriter conſeruat.

Hanc fidem Chriſto Domino ſponſo datam maioribus, placuit aut velo ſacro ſignificare, aut mitra, quemadmodum apud D. Optatum videre eſt. qui ritus per Occidentem, quod ſciam equidem, non eſt notus.

Velum aut mitra quidnã ſanctimonialibus ſignificare debeat.

Pari ratione & humilitatis, paupertatisq́. vltroneæ Deo deuotæ admonitionem habet veſtis monaſtica, quæ aut colore celeſtium meditationem, aut forma & pretio vili terrenorum contemptum loquitur manifeſtiſſimum; aut perpetuum pro peccatis ſignificat luctum. Ecquid enim vetat quò minus homines pietati dediti, ſeſe ad iugem aut cæleſtium meditationem, aut rerum pereuntium deſpicationem ſuo veſtitu, colore, quotidianiq́. habitus forma exhortētur? cùm & Purpura gloriam vel apud impios magis imflammet. Vnde & priſci illi monachi ferè nigro vtebantur habitu, ad hanc priſcæ vitæ pœnitentiã non tam aliis, quàm ſibi conteſtandã & refricandã. Sic ad ſuã mũdo innocentiã prodendã pij olim per Ægyptum, & Aſiã monachi caputiis indeſinēter die noctuq́. ſiue cucullis ad ceruices humerorũq́. cõfinia, teſte Caſſiano, demiſſis vtebãtur. Hinc Nazianzen. D. Baſilio præclaro omnis monaſticę virtutis ſpeculo ad Valentis A. Põti præſidē Modeſtũ protracto ait iuſſu eius dilaceratũ fuiſſe περὶ αὐχένιον ῥάκος, quod interpres reddidit, ſudariũ circa collũ: cũ poti[9] fuerit vile caputiũ, quod collo iniectũ geſtãt pij etiãnũ monachi. Ex quo D. Naziã. loco reſtituēdũ fortaſſis videbitur quod ſuo in Hilar. ſcribit D. Hiero. eum ſacro fuiſſe indutũ, & pelliceũ habuiſſe Ependytē, quem Antonius proficiſcēti dederat Eraciaſtne, Sagũq́. ruſticũ, vbi Eraſmus vocē Eraciaſtē totã omiſit, quòd nõ intelligeret, cũ videatur ſcribarũ oſcitantia corrupta, legendũq́. forè, & racidiõ vel & raciõ. Verũ hęc alterius ſunt loci, ſicuti & collobia, ſuccinctoria, mauortescũ Epēdyte, alijſq́. pietatis monaſticę ornamētis pertractare. Porrò vt illũ pietatis deſideratę fructũ, atq. virtutis Euãgelicæ progreſſum

Veſtis monaſticæ vſus verus humilitatē Euangelicã adauget, conſeruatq́ue.

Vt purpura vanam ſeculi pereuntis gloriã auget: ita vilis veſtis nos modeſtiæ omnis admonet.

Vide Caſſia. de mo. inſtitutis.

ῥάκος vertit R. P. Iac. Billius Abbas Palliũ de quo aliâs.

Eraſmi nota quod ex D. Hierony. quædam ſuſtulit, amore ſcilicet ſui monaſtici inſtituti quod olim fuerat profeſſus.

efficiant certius,& operētur efficacius sacra vela,mitrę,racia, mauortes cuculli,omnisq. mūdus semel monasticus, quod à natura negatum est,supplicibus studemus à Deo Opt. Patre impetrare precibus: nimirum vt hæc externa ornamenta siue vestimenta piis Christi athletis in eum prosint finem, ad quem sunt pietatis aut conseruandæ, aut promouendæ studio assumpta.

Quòd si priscis Christianis visum est pietatis Christianæ plenissimū ad omnē calceatū, ad omnē exitum, ad omnem ingressum sese Crucis Dominicę signo munire,ostiū,domos, lectulos, frontemq. eodem passionis signaculo armare,an superstitiosum citra diuini nominis blasphemiā dicendū,quod in Christi gloriam ad pietatis promouendæ vsum adhibetur?

Arma Constantini & militum eius Cruce insignita, vt hodie Anglorum.

Si iussu Constantini Magni arma sua & saga Romano militi Cruce Dominica licuit signare, cur non & Christi militi suas togas,sagaq. rustica? Siquidem apud Sozo. lib. 1. cap. 8. inter alia pietatis Christianæ studia legitur, quod Constantinus, προσεθίζων δὲ τοὺς στρατιώτας ὁμοίως αὐτῷ τὸν Θεὸν σέβειν τὰ τούτων ὅπλα τῷ συμβόλῳ τοῦ σταυροῦ κατεσήμαινε;assuefaciens milites vt Deū sicuti & ipse,colerent,arma ipsorū Symbolo Crucis signauit,sic& Aurel. Prudentius Romā contra Symmachi Senatoris accusationes vindicaturus, cur nam Christo Deo colla submiserit.

lib. 1. contra Sym. Roma.

Agnoscas regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies crucis gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro præfertur in hastis
Hoc signo inuictus transmissis alpibus Vltor.
Seruitium soluit miserabile Constantinus.

Rursus post quædam:

quod signum dextera vindex
Prætulerit,quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat,ardebat summis crux addita Cristis.

Labarum Romanorum & clypei Cruce insigniti.

Deinde: *tunc ille senatus*
Militiæ vltricis titulum,Christique verendum
Nomen adorauit,quod collucebat in armis.

Huic

Huic Cano.11. Concilij Carthag. 4. Patres vnà cum D. Augu ſtino conſtituiſſe legimus. Sanctimonialis virgo cùm ad conſecrationẽ ſui Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Rurſus Cano. 104. teſtantur Viduas tempore profeſſionis abiecta laicali veſte, in habitu religioſo ſolitas apparere.

Poſt veſtes ſacras Amuleta diximus ad hoc genus rituum pertinere, quod ad pietatẽ animi hominis Chriſtiani, aut præparat, aut officij admonet. hac in claſſe ſunt illæ Imagines ſacræ Chriſti Domini, aut paſſi, aut reſurgentis, & quæ vulgus appellat Agnus Dei. Euangelium S. Ioan. & ſimilia. *Amuleta non eſſe ſuperſtitioſa.*

Iſtud Amuletorum genus ſatis ſuperq. à ſuperſtitionis nota defendat, quòd ſigno Crucis Dominicæ ſunt inſignita: quæ vna piis eſt iuſta ad vincendam omnẽ dæmonum infeſtationem Panoplia, certiſſimum tutiſſimumq. præſidium, vti dudum ex D. Auguſt. Ignatio, Chyſoſt. Cyrillo demõſtrauimus.

Iam quòd ad certum effectũ quædam adhibentur, id adeò non eſt ſuperſtitioſum, vt piam Chriſtianoq. pectore digniſſimam redoleat fidem, certáq. in primis fiduciam de auxilio diuino precibus implorato conceptam. Cùm iſtius generis Amuleta omnia certis precum formulis conſecrentur, id eſt, ſacro Dominicæ Crucis ſignaculo dedicentur, certoque vſui Chriſtiano deputentur, ecquid obſecro hîc fit, quod non ſit fidei veræ cõſentaneum? aut ab eius analogia diſſentaneũ? Si enim teſte D Augu. citra ſuperſtitionẽ licet capiti pituita, aut æſtu dolenti ſacrum Euangeliorum codicem adhibere, cur non & Euangelij partem haud quaquam poſtremam: quam vel philoſophi mirátur à piſcatore Theologo in literas relatã? *Vide Theodor. de Curatione Græc. affect.*

Sed prius ad alia maioris momẽti quã trãſeat oratio, illud ſilẽtio nõ putamus prætereundũ, quod ad magnificè illuſtrandã Dei Opt. Max. gloriã haud parũ facere arbitramur, tantã vim ſupernaturalẽ rebus corporalibus, vt aquæ, vel oleo diuinitus piis precibus inſtillari, vt ſacro Amuleto tinctæ aut potius tactæ, Amuletiq. immerſione ſacratæ diuinã Crucis Dominicæ figurã repræſentẽt. Mirũ videbitur, ſcio, quod referã: ſed quia oculatis teſtibus, ijſq fide digniſſimis, & Louanij clariſſimis adhuc ſuperſtitibus cõfirmari queat, ab inſtituto nõ fuerit alie

num obiter cõmemorare. Sicuti quotidiana diſcimus experiẽtia fontes quoſdã ſiue puteos præſentaneã habere vim, & vſum medicũ aduerſus morbos aut febres: vt Dordraci S. Suręfõs ſemper viuus, ſaltuq. aſſiduo agitatus: cuius potu me puero memini N. ſanatũ: cũ amic' domi paternę exceptus quendã eius hauriẽdæ cauſa fortè ablegaſſet; Sic & S. Genouefę Pariſiis, & S. Veronę apud Louañ. Ita ad ſanãdos humani corporis morbos pruriginẽ aut ſcabiẽ valere oleũ, aut aquas quorundã Sanctorũ reliquiis conſecratas, eſt indubitatiſſimũ. Quòd ſi quis hac de re dubitet, Auguſt. cõſulat lib. 22. de Ciui. Dei c. 8.

S. Suræ puteus. Dordraci medicus febricitantibus.

Iam vt quod in præſentiarũ agitur, demõſtremus, nimirũ ſacrã vim quandã diuinitus imprimi rebus corporalibus, illud vnũ magno fuerit argumẽto liquidiſſimo in aqua conſecrata aliquãdo apparuiſſe ſacri Amuleti, cuius intinctione fuerat cõſecrata, veſtigiũ. Contigit aſperrima quadã hyeme Louanij pocula vitrea atq. teſtacea, quæ aquas habebãt roſaceas endiuiæ, bugloſſę, aliasq. medicas immodico gelu ita ſtringi, vt diſrũperentur. Stabat inter has & teſtaceũ, quod aquã habuit, quæ priſco de more S. Antonij reliquiis fuerat conſecrata, quando plateatim S. eius reliquiæ celebri põpa, cantuq. ſolemni in Dei cultũ religioſè circũferebãtur. Cũ aliis illis omnibus & hoc fuit gelu rigido in partes diſruptũ, in cuius aquę iam cõgelatæ medio perſpicuè ipſum amuletũ vnà cũ ſua catenula, de qua dependebat, apparuit, magnoq. miraculo vicinis, doctisq. viris Collegij Buſlidiani oſtẽtata. Superſunt huius rei teſtes, vti diximus oculati, qui ſacroſanctè nobis affirmant ſeſe perſpicuũ illius amuleti veſtigiũ in aqua cõgelata vidiſſe. Iſtud piis lectoribus paradoxum non videbitur, quibus venerandæ SS. martyrũ reliquiæ, vti par eſt, aliquo ſunt in pretio: quas D. Baſilius non modò ſua loca ſanctificare docet: ſed & homines illas exoſculantes, de quo alibi copioſius diſſerendi erit locus. Sed quid miraculi erit Amuletũ Sanctorũ martyrũ reliquiis ornatũ aqua cęleſti aliqua vi donare, cũ teſtetur Euagrius ex Procopio imaginẽ Chriſti, ad regẽ Abgarũ miſſam cæleſti vi ignem accẽdiſſe, vireſq. naturales nõ naturaliter auxiſſe? Cũ enim Coſroës Perſarũ rex Edeſſam omnibus inuictam tentaret capere, ac facto vndiq. aggere iter milites ad ciuita-

Mira S. Amuleti ſpecies in aqua conſecrata cõgelata apparet poculo frigoribus diſrupto.

Euagrius lib. 4. cap. 19.

uitatem parabant (Erat autē agger lignis & alia materiei congerie congeſtus.) In eius fundamentū obſeſſi ignē inijciebāt: “
ſed flammā prę aëre intercluſo cōcipere nō potuit. Itaq. ſum- “
ma rei deſperatione laborātes, allatā Domini Chriſti S. ima- “
ginem, quā regi Abgaro tranſmiſerat, aqua conſpergunt, ſiue “
potius, ὕδατι ἐπικλύσαντες ἀπ' αὐτοῦ κατὰ τῆς πυρᾶς καὶ τῶν ξύλων ἀφεῖ- “
σαν aquæ immergunt: ex qua in rogū, ſtruēq. lignorū immit “
tunt, atq. diuina potentia fidei illorū ſubſidiū afferente, quod ab illis anteà fieri nequiuerat, nunc facillimè confectum fuit. Nam extēplò lignis inferioribus flammā concipiētibus, igne omnia corripiēte atq. depaſcēte, agger fuit in cinerē redactus, obſeſſiq. periculo hoſtilis inuaſionis erepti. Quibus laudatiſſimis probatiſſimæ hiſtorię exēplis cādido lectori perſpicuum confidimus nō parū aut ſalubritatis, aut cæleſtis auxilij rebus creatis diuinam afferre cōſecrationē ſiue legitimā, minimeq. ſuperſtitioſam diuini nominis ex fide Chriſti inuocationem.

CAP. LI. Externi ritus ſiue ceremoniæ homini externæ res alias ſanctificantes.

Sed nunc ad ritus externos eſt tranſeundum. Declaratis prout huius rei neceſſitas poſtulare videbatur, iis ritibus, qui ad pietatē promouendam, ſiue conſeruandam dicebātur homini coniuncti, nunc externos perſequamur: quo in genere ſunt Campanæ, altaria, templa, & quæ huc faciunt reliqua.

Templorū conſecratio.

Templorū igitur cōſecratio apud Chriſtianos vſitatiſſima, ſicuti & altariū, aliud nō flagitat patrociniū, quàm quod Dei iuſſu Moyſes ſuū conſecrauit Deo Opt. Max. tabernaculum.

Ex Concilio Nicęno primo.

Hunc ritū ab omni ſuperſtitione, ſuſpicione nedū çalūnia, ſatis ſuperq. Cōci. illud magnū Nicęn. vindicet, quod Canone ſacratiſſimo ita ſtatuit, Eccleſiis ſemel Deo cōſecratis (inquit, teſte Gratia. diſt. 1. de cōſecra.) nō debere iterū conſecrationē adhiberi. Sic & Meldeñ. Synodus, PP. inſiſtēs veſtigiis Eccleſias, altariaq. iubet cōſecrari, de quorū cōſecratione ambigitur. Quemadmodū ex Cōcilio Tribureñ. olim in Francia Orientali ad Triburā, cuius hodie iuxta Mœnum extant veſtigia, ſub annum Domini 895. celebrato Gratianus atque Iuo recitant. D. Ambroſius exhortatione ad Virgines teſtatur & ſe Templa dedicare conſueuiſſe. Allatis enim ſacroſanctis reliquiis illuſtrium Chriſti martyrū Vitalis ſerui, & Agricolę Domini, pia vidua Iuliana præclarā excitauit memoriā

Ex Concilio Meldeñ.
Ex Concilio Tribureñ.

D. Ambroſ. tēpla Martyrum Deo conſecrat.
Tēpla Martyrū ſunt Domini tēpla, quia illorum Deus ibi colitur.

siue oratoriũ. hęc sancta vidua (inquit Ambros.) hoc Domino tẽplum parauit, atq. obtulit,quod hodiè dedicamus.

Vide Iuonem lib.2.

Dedicationis templi annuæ origo.

Quòd si ad originẽ huius rei sanctissimæ quis velit contendere, consulat hac de re Canones D. Siluestri, Iginij & Clementis Ro.à Gratiano, Iuone, Burchardo,alijsq́ue recitatos, quorum ex fragmentis diligẽtiori lectori & illud subolescet facilè , non fuisse olim templũ Dei Opt. Max. consecratum, nisi & diuinum illud sacrificij Christiani perageretur mysterium: quemadmodũ Canone antiquissimo constituisse legitur D. Iginius D. Petri Apostoli successor x. Christi martyrio clarissim⁹. Certè id publico de more Christiano fieri solitũ ante annos plus minus 1200. Euseb. Cęsarieñ. pręclarè attestatur lib. 10. ca. 3. Describẽs enim publica sui seculi gaudia de religione per Constant. Magnũ instaurata atq. tẽplis nouis, aut augustius innouatis exornata,cõmemorat Episcopos passim in Ecclesiis dudũ per Maximianũ,aliosq. tyrãnos euersis ac pro-

Festa consecratorum templorum & Oratoriorum tẽpore Conc. Nicęni.

ἀφιερώσεις προσευχτηρίων.

Sacellorũ consecrationes apud Euseb. 10. cap.3.

„phanatis nõ solũ hymnos ac psalmodias decãtasse,Deũq. lau-
„dibus diuinis celebrasse: sed & fiebãt,ait, ἐντελεῖς θρησκεῖαι prępositorũ Ecclesiasticorũ religiosę diuini cultus functiones, sacrorũq. siue mysteriorũ administratio,& decori Ecclesiastici ritus. Quod dictũ obscurius euestigiò declarat θείαις καὶ μυστικαῖς ἐπιτελουμέναις διακονίαις, σωτηρίου τε ἦν πάθους ἀπόῤῥητα σύμβολα. Quibus verbis hoc dixisse quibusdã doctis videtur, quod hodie Catholici maiorũ nostrorũ Christianorũ lingua dicimus, Episcopos in tẽplis denuò cõsecratis pro more diuina & mystica peregisse officia,tremẽdaq. celebrasse missarũ solemnia. Erãt itẽ, addit Euseb. arcana passionis Saluatoris nostri Symbola. Hæc dominicæ passionis symbola equidẽ accipio de venerãda S.Eucharistiæ,atq. S.Calicis cõmunione post oblationem solemnem populo distributa,in mortis saluatoris nostri Do. Christi commemorationem. Sic igitur illa florentissimi Christianismi ętate à religiosissimis,doctissimisque Episcopis legitimo ritu consecrabantur Ecclesiæ.

Missa solemnis post psalmodias celebrata per Episcopos die consecrati templi.

Religiosa populi Christiani cõmunio S. Eucharistiæ die dedicationis annuæ.

Cæterùm quod ad certũ cõueniendi,orandiq. locũ attinet ab omni lõgissimè abesse superstitione vnũ D. Isaac Patriarchæ nostri exẽplũ satis docet, qui deprecatus Dominũ super cõceptus fœcunditate vxoris Rebeccæ, ait Moyses, eã certũ ad locum , vbi Do. de more inuocabatur, colebaturq. misit:

Certũ ad locũ patriarchæ profecti consulere Dominum.

Quæ

Quæ colliso in visceribus partu perrexit consulere Dominum. Similiter & Salomon augustissimum templum illud Ierosolymitanum, cui nullum vnquã fuit extructum in terra æmulum, vbi ædificasset, ipsumq. arca Testamenti exornasset, orat Deum, vt quodcunque filij Israël illo in loco orauerint, exaudiat, & de cælo sit ipsis propitius.

Concordia facilè sarciatur de Templorum sanctificatione.

Verùm de hac ceremonia tam apertis scripturarum testimoniis confirmata facilè inter dissidentes coëat consensio. Siquidẽ Bucerus lib. 1. de regno Christi, cap. 10. de restituendis Ecclesiarũ ceremoniis hunc in modum scribit. Sunt verò hæ necessariæ & omnium Christianorum communes ceremoniæ, Sãctificatio locorum, in quibus Christi religiones publicè administrantur: Sanctificatio temporum, &c. Rursus, Oportet certa habere Christianos loca, sacris cœtibus & traditis à Christo Domino religionibus deputata: quæ nullis alijs vsibus, nisi summa cogat necessitas, debẽt patere. Deinde paulò inferius. Quibus religio curæ est, eos necesse est probè perpẽdere ædes huiusmodi religiosis cœtibus, & sacris Christi consecratas vocari in scripturis, domus Dei, & domus orationis. Quæ duæ voces piis sanè sufficiãt ad tuendã Templorum Dei reuerentiam, omnemq́ue prophanationem, quæ aut ambulando, aut nugando, aut commentando committitur, semel profligandam: ad quam ille, quia piè admodum hortatur, non fuerit abs re hîc eius verba commemorare. Ex illis, inquit, duabus vocibus pij omnes agnoscant quàm horrendam ij faciant diuinę maiestati contumeliam, qui templa Domini habent pro deambulachris, locisque tam prophanis, vt in illis quæuis impura & prophana cum similibus suis garriant & pertractent: idque nonnunquam etiam, cum sacra Christi in templis administrantur. Quis autem non dico Princeps, aut Rex, sed Priuatus etiam ferat, vt domi suæ quicunque velint animi causa, & pro ipsorum libidine coram se obambulent, & indigna se illic & ingrata maximè colloquantur & nugentur? hæc certè tanta est diuini numinis contemptio, vt ea vel sola pridem meriti simus, omnino de terra exterminari, & quidem suppliciis grauissimis multari. Nam hęc tanta Christi contumelia, publicè tot iam seculis admittitur,

Bucerus necessarias docet ceremonias templorum, & Tẽporum quorundam sanctificationes.

Templa qua veneratione colẽda pijs.

Contra prophanatores, nugatores, & ambulones in tẽplis.

Bucerus agnoscit templum Dei cõſecranda eſſe Chriſti myſteriis peragendis.

ad eamque non conniuent tantum principes & magiſtratus, Eccleſiarumq. Prælati: verum etiam exemplo ſuo eam plerumque docent ac confirmant. Quocirca qui Chriſti eſſe volunt & non adnumerari iis, qui ei renunciant (Nolumus hunc regnare ſuper nos) hos ſanè neceſſe eſt, vnumquenque pro ſua vocatione & virili eniti atque efficere, vt depulſa procul tanta Dei contumelia, templa non patefiant vlli hominũ negotio, ſed ſacris tantum religionibus. Hæc quia Cenſorius ille de Templorum ſanctificationibus tradit, facilis de eorundem conſecrationibus conueniat, cùm illa etiam dicat Sacris Chriſti conſecrata.

Altaria Dei iuſſu conſecrata & ſanctificata oleo ſancto.

PORRO altariũ conſecratio eodẽ nititur diuino patrocinio, quod dudum pro Eccleſiarum conſecratione, ſiue dedicatione attulimus. Mandat enim Deus Exod. 29. altare ſuum
» mundari & oleo vngi in ſanctificationem: quo tam ſanctum
» ait Deus effici, vt quicunque illud tetigerit, ſanctificetur.
Huius rei apud Chriſtianos antiquitatem longè vetuſtiſſimã confirmat D. Martialis ex 70. Chriſti diſcipulis ad Burdegaleñ. vbi docet ſeſe aram Ignoto Deo pridem dedicatam iuſſiſſe ſeruari ad conſecrationem Deo vero hactenus Gallis ignoto, futuram. In qua ara, inquit, non hominis, ſed Dei cultũ frequentatis (erat enim & nomine, & Sacris reliquiis S. Stephani erecta) Stephanus enim non Deus, ſed amicus Dei fuit, cuius ſanguine ipſa menſa eſt decorata. Aurelius quoque Prudentius Chriſtianæ antiquitatis, vt peritiſſimus, ita teſtis quoque fideliſſimus D. Eulaliæ virginis nobiliſſ. encomion celebrans, ex illius ætatis more antiquiſſimo diſertè aſſerit, Altare Dei fuiſſe ſacris D. Virginis oſſibus conſecratũ. Sic venerarier, inquit, oſſa libet, oſſibus altar & impoſitum.

D. Martial. arã Ignoto Deo dedicatã Chriſto conſecrat.
Antiquitas altaria Dei conſecrandi cum SS. reliquiis.
D. Martialis.
Aurelius Prudentius.

Africana Synodus.

Hinc Canonibus vetuſtiſſimis conſtitutum, vt niſi SS. Martyrum impoſitis SS. reliquiis altare Deo Opt. Max. erigeretur. Quemadmodum D. Auguſtinus, aliique Africani Epiſcopi Concilij V. Carthag. Canone 14. & Africano 50. nobis conteſtantur. Ita prorſus & D. Ambroſius exhortatione ad Virgines, vbi expoſuiſſet ſe SS. Martyrum Vitalis & Agricolæ S. ſanguinem collegiſſe, ac Bononia domum ſeſe apophoreta verè triumphalia, ſanctitatis & gratiæ plena reportaſſe, Col-

D. Auguſtinus.
D. Ambroſius.
Apophoreta ſacrarũ reliquiarum vocat D. Ambr, quæ ſacris ſub altaribus cõdidit die

Collegimus, inquit, sanguinem triumphalem, & Crucis lignum. Hæc S. viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nũc sub sacris altaribus reconduntur. Porrò has SS. reliquias fuisse à D. Ambrosio ad S. altaris pro solemni more consecrationem adhibitas, mox verbis ita perspicuis declarat, vt vel cæcus ambigere nequeat. Siquidem euestigiò subtexuit: Ea igitur vidua est, inquit. S. Iuliana, quæ hoc Domino templũ parauit atque obtulit, quod hodie dedicamus. Audis pie lector à D. Ambrosio templum dedicatum, audis SS. Martyrum reliquias sacris sub altaribus ab eodem Ambrosio reconditas. Quod si quem fortassis perturbat, quòd S. Altaria sacrosancto etiam Chrismate vngimus, is, quæso, meminerit, nos prisco de more istud piè facere. Siquidem post Moysis exemplum cap. 29. Exodi, & D. Augustinus, vnà cum aliis PP. Africanis Cõc. Hipponeñ. Canone 6. statuerunt. Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis vnctione non consecrentur. Lapidea igitur Chrismate sunt consecranda. Sic anniuersario dedicationis Serm. 4. D. Augustinus suos monet festiuitatem celebrare, in qua benedictus, inquit, vel vnctus est lapis, in quo nobis diuina sacrificia consecrantur.

consecrationis vti & hodie fit.

An legitimè altaria S. Chrismate cõsecrantur, instar Mosaici.

Quæ altariũ inunctio siue pia per oleũ cõsecratio etsi vnius August. Synodiq. Hippoñ. testimonio satis firma stare queat, quòd ei insit & tanti viri ab omni superstitione alienissimi auctoritas, & tẽporis lõgissimi antiquitas: ne quis tamẽ sciolorũ sibi aliisúe persuadeat, fuisse tunc aut nouitiã, aut illa ætate natam, ex re nostræ religionis fuerit eius originem altius paulum repetere. D. Dionysius Areopagita expositurus Ecclesiastica mysteria, quæ sacro Chrismate, siue oleo sacro ritè peraguntur, tradit oleo hoc diuinis precibus consecrato, Episcopum in sanctissimis rerum omnium sanctificatarum consecrationibus vti, & ad omnem ferè pontificiã cõsecrationem. Quod sub finẽ 4. cap. dicit expressius, Episcopum in cuiusq. rei sacræ cõsecrationẽ adhibere vnguentũ diuinũ, quo apertè mõstrat eũ qui sanctificatos sãctificat, idest Christũ, ex quo nostra omnis manat sanctificatio. Quod vbi de S. Baptismi aqua Chrismate in crucis figurã fuso consecrata declarauit, atq. de

Origo altarium S. Chrismate sanctificatorũ ætatem redolet Apostolicam.

S. Chrisma piis typus est Domini Christi, qui suo Chrismate omnia sanctificat.

Ex Dion. Areopagita.

Confirmationis Sacraméto per Chrismatis illinitionem collato, monet idem & in S. altaris consecrationem animaduertendum.

Aurea sanctissimi Patris verba ita habent. καὶ τοῦτο δὲ ἱεραρχικῶς ἐννόησον, ὅτι καὶ τοῦ θειοῦ θυσιαστηρίου τὴν ἱερὰν τελείωσιν, ἡ τῶν ἁγιοτάτων τελετῶν θεσμοθεσία, ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου τελεσιουργεῖ παναγνέσιν ἐπιχύσεσιν. ἔστι δὲ ὑπερουράνια καὶ ὑπερούσιος ἡ θεουργία, πάσης τῆς θεουργικῆς ὑμῶν ἁγιστείας ἀρχὴ καὶ οὐσία, καὶ τελεσιουργὸς δύναμις. Εἰ γὰρ ἐστὶ τὸ θειότατον ὑμῶν θυσιαστήριον ἰησοῦς, ἡ θεαρχικὴ τῶν θείων νοῶν ἀφιέρωσις, ἐν ᾧ κατὰ τὸ λογιον ἀφιερούμενοι, καὶ μυστικῶς ὁλοκαυτούμενοι, τὴν προσαγωγὴν ἔχομεν ὑπερκοσμίοις ὀφθαλμοῖς ἐποπτεύσωμεν αὐτὸ τὸ θειότατον θυσιαστήριον, ἐν ᾧ τὰ τελούμενα τελεῖται, καὶ ἁγιάζεται, πρὸς αὐτοῦ τῷ θειοτάτου μύρου τελούμενον. ἁγιάζει γὰρ ὑπὲρ ὑμῶν ἑαυτὸν ὁ παναγιότατος ἰησοῦς, καὶ πάσης ἡμᾶς ἁγιστείας ἀποπληροῖ, τῶν ἐπ' αὐτῷ τελουμένων οἰκονομικῶς, εἰς ἡμᾶς ὡς θεογεννήτους λοιπὸν ἀγαθουργῶς διαβαινόντων. Quæ hunc in modum non incommodè fortassis conuertantur,

Illud etiam, vt Sacerdotali, inquit, dignum est officio, animaduerte, quòd diuina sacratissimorum mysteriorum lex sacrosanctam diuini altaris consecrationem, sanctis sacratissimi vnguenti effusionibus peragendam præscribit. Est auté illa cælestis & supernaturalis Dei operatio, nostrę omnis diuinæ sanctificationis principium & substantia, atque vis sanctificans. Si enim Dominus Iesus nostrum est diuinũ altare, qui & diuinarum mentiũ est sanctificatio, super quo (vt scriptura docet) sanctificati & mysticè holocausti instar immolati, introductionem habemus, oculis non hisce corporeis, sed cælestibus diuinissimum ipsum altare contemplemur: in quo per ipsum diuinissimum vnguentũ consecrato, & consecrantur & sanctificantur, quæcunque consecrantur. Sanctificat enim seipsum pro nobis vsquequáq. sanctissimus Dominus Iesus, atque nos omni adimplet sanctimonia, dum ea quæ in ipso certo sunt consilio, diuinaque œconomia pręclarè gesta, sancteque peracta, in nos posteà, tanquàm ex Deo natos summa perueniunt benignitate, diuinaque promanant clemétia & beneuolentia. Sic quidem diuinissimus ille Apostolorum discipulus Dionysius Areopagita docet Ecclesiasticas omnes

Alludit ad verba D. Pauli Ephes. 2. vbi interpres accessũ reddidit, sed minus emphaticè: cùm Pauli vox sonet nos à Christo Duce ad Patrem iam reconciliatum quasi ab exilio, imò ex pristina abdicatione introduci tanquã filios illi gratissimos.

ceremonias aliud oculis carnalibus exhibere, aliud fidei oculis repræſentare, quum tota Chriſti Domini diuina & apparitio & operatio variis Pōtificum ceremoniis, ſacerdotalibuſque Teletis & conſecrationibus ſit delineata, quemadmodū ſub finem cap. 4. clariſſimis verbis docet.

θεοφανία ϗ θεουργία. Conſecratio Pōtificia ſpeculū eſt diuinæ Chriſti Do. in terra cū apparitionis, tū operationis.

Quæ Chriſtianæ Religionis myſteria tot iam ſeculis per manus ad nos vſque continenter delata, qui oculis clara fide illuminatis, nullaque humanæ ſapientiæ lema offuſis cōtemplari dignabitur, non has Eccleſiarum aut altarium deridebit impiè conſecrationes, nedū Iudaicè cum prophanis Goeſſeis demolietur: ſed Dei maieſtatem reueritus exemplo D. Iac. petram oleo perfundētis, & mandato Moyſi dato ad myſteria meditanda admonitus, religioſos maiores noſtros æmulatus, & ipſe religioſa colet veneratione: quam & Sacri Canones, & leges Ciuiles ſacris Dei altaribus, aliiſque Deo conſecratis rebus exhibendam docent.

Conc. Agatheñ.

Has enim ſiue templorum, ſiue altarium conſecrationes impiæ aſſcribere ſuperſtitioni, nō eſt profectò animi religioſi. Eas namq. demonſtrauimus non nouitias, aut nuper natas: ſed ætate D. Auguſtini, imò & D. Higinij fuiſſe vſitatas, quēadmodum & Platina teſtatur. Is enim vti clerum in certos gradus diſtinxit: ita vetuit ne templa ſine celebratione dedicarentur. quod qui ad exemplum Patrum Nicænorum Tyri conuenientium de tremendo ſacrificio intelligat, nos certè „ ſuffragatores habeat. Hinc & Synodus Hipponeñ. & Aga- „ theñ. ſtatuerunt altaria eſſe Chriſmate vngenda & benedi- „ cenda. Quod enim ſuis à maioribus acceperant, voluerunt Patres iſti religioſi ſuis poſteris tradere: apud quos toto orbe in hunc vſque diem ritus iſte conſecrandorum Templorum & Altariū inuiolatus perſeuerat. Quod enim à ſuis Athenieñ. quorum primus fuit Archiepiſcopus D. Dionyſ. Areopagita, didicerat, D. Higinius Athenienſis Martyr, ſtuduit & apud Latinos non tam introducere, quàm ritum antiquum aut innouare, aut neglectum reſtituere. Pleraque enim Rom. Pontificum decreta, vt Teleſphori de Quadrageſima; Sixti de veſtibus ſacratis, aliorumque alia: non tam nouæ fuêre leges,

D. Higinius Martyr templa nō ſine liturgia docet conſecrāda. Vide Platinam in eius vita.

quám antiquatarum innouationes & collapſarum ſiue abolitarum inſtaurationes, vt alio loco dicemus copioſius.

Cæterùm quia iſtius paricidalis Germanici ſciſmatis impij incentores, aut temerarij propagatores ſuis principibus ac Rom. Imperij ſtatibus temerè perſuadere nituntur Romanam Eccleſiam ritus iſtiuſmodi aut finxiſſe impiè, aut ſuperſtitioſè celebrare, haud mediocriter pacis publicæ, optatæq. concordiæ interſit paucis oſtendere, eandem eſſe Græcanicæ Eccleſię ceremoniam in templorum, ſiue altarium conſecrationibus, quã dudum ex teſtimoniis D. Dion. Areopag. aliorúmq. Patrum religioſorũ, & à maioribus illis Apoſtolicæ ætatis nobis relictam. Quod vt perſpicuũ tibi lector candide fiat, ne quæſo moleſtum ſit vnà nobiſcum hortos Græcanicæ Liturgiæ petere, quos longè amœniſſimos, illisq. Adonidis multò ſuauiores nobis exhibet Euchologiõ Græcũ Venetiis anno 45. impreſſum. Capite igitur κθ. cui inſcriptio eſt τάξις γινομένη ἐπὶ θεμελίῳ ἐκκλησίας, Quid agendum quãdo iacitur Eccleſiæ fundamentum, Archiepiſcopus vbi fundamentũ thuris ſuffitu aſperſerit, dictoq. Apolyticio ſiue Reſponſorio Sancti, cuius in nomine eſt templum Deo conſecrandum, vnum lapidẽ χαράσας δι' αὐτοῦ σταυρὸν, S. Crucis ſigno pingẽs, ſuis ipſe manibus in fundamento ponit non ſine precibus. Extructo deinde operarũ diligentia templo, apud Græcos fit Stauropigion, & gramma protrepticon, quod illic deliniatur fuſius.

Euchologion Venetiis impreſſum an. 45. apud Sophianum.

Quid Græci agant quando Eccleſiæ fundamentũ iacitur.

Cap. λ. depingitur Stauropigion & grãma Protrepticon, quæ Græcis Eccleſiis notiora ſunt. Hæc Latini ſuis adumbrant ceremoniis & characteribus Gręcis pauimẽto inſcriptis.

Quo conſecrato, precatur vt locũ Eccleſiæ Deus benedicere ac ſanctificare dignetur virtute & efficacia venerãdæ ac viuificæ crucis, εἰς ἀποτροπὴν δαιμόνων, καὶ παντὸς ἐναντίου. φυλάττων καὶ τὸν τόπον καὶ τὸν οἶκον τοῦτον, καὶ τὰς ἐνοικούσας ψυχάς ἐνταῦθα κατοικούντων, πρεσβείαις τῆς ὑπερενδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου μαρίας. ad dæmonum auerſionem, omniſq. infeſtę rei euitationem, noxæque depulſionem, vtque cuſtodiat hãc domum, eámque inhabitantiũ animas, precibus S. Dominæ noſtræ Dei genitricis ſempérq. virginis Mariæ.

Porrò S. Altare hunc in modum, ſi motum fuerit, apud Græcos denuò conſecratur. Cap. λα. πρὸ τῆς λιτουργίας ἐνζεσίζεται παρὰ τῶν ἐπιτηδείως ἐχόντων εἰς τοῦτο, κηρομάστιχον μετὰ τετριμμένου μαρμάρου ἐν χύτρᾳ καινῇ.

Quæ altari reconciliãdo pręparanda ante S. Miſſæ officia apud Græcos.

Ante

Ante diuina missarum solemnia procuratur ab eis qui istorum periti sunt Ceromastichō (quod fortassis est thuris adolendi species) cera & mastiche conflatum cum marmore in olla noua comminuto.

Deinde cantata per Diaconum, quæ illis dicitur Synapte, quę speciem habet Litaniæ, vbi inter alia orat, ὑπὲρ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸν οἶκον τοῦτον, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ θείαν τράπεζαν καθιδρυθῆναι τῇ ἐπιφοιτήσει καὶ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ ἁγίου πνεύματος vt domum istã sanctificare, & hoc sacrũ eius altare stabilire aduentu, potentia & efficacia Sp.S. dignetur: legit põtifex hanc orationẽ, εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων καὶ δεόμεθά σου δέσποτα πολυέλεε, πλήρωσον δόξης, καὶ ἁγιασμοῦ, καὶ χάριτος τὸ ἁγιαστήριον τοῦτο εἰς τὸ μεταποιεῖσθαι τὰς ἐν αὐτῷ προσφερομένας σοι ἀναιμάκτους θυσίας τοῦ ἀχράντου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ σωτῆρος τοῦ κυρίου καὶ τὰ ἑξῆς. Supplices deprecamur Domine misericordissime, imple gloria & sanctificatione ac gratia hoc sanctuariũ, sacrúmq. altare, vt hostiæ incruentæ super ipso tibi offerẽdæ, transmutẽtur in immaculatũ corpus & sanguinẽ Do. Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi ad salutẽ omnis populi. Deinde τελεῖται ἡ ἀκολουθία τῆς λειτουργίας ὡς σύνηθες, celebratur Missæ officium more consueto.

Hæc qui vigilãti animo perpẽdit, eandẽ vtrobiq. tam apud Grecos, quã Latinos agnoscit tam cõsecrandorũ quàm reconciliandorũ tẽplorũ & altariũ ceremoniã. At chrismatis, oleiue S. vnctionẽ, inquies, in altari apud Græcos cõsecrando nõ video hunc ritũ & olim adhiberi apud eos solitũ, liquet ex ceremoniis, quas Græci tẽplo ab hæreticis contaminato, aut ab Ethnicis violato adhibent. Sic enim orat Põtifex, Cap. λγ. κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τὸν ναὸν τοῦτον ἀναδείξας εἰς κατοικητήριον σὸν διὰ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ζωοποιοῦ σου πνεύματος ἐν τῷ τιμίῳ χρίσματι τῷ ἁγιάσαντι προφήτας καὶ ἀποστόλους, εἶτα διὰ ἁμαρτίας ἡμῶν βεβηλωθῆναι συγχωρήσας αὐτὸν καὶ τὰ ἑξῆς. Domine Deus noster, qui tẽplum hoc redaperuisti in tuum habitaculũ per descensum viuifici Spiritus in venerando Chrismate, quod Prophetas & Apostolos sanctificauit: Deinde propter peccata nostra ipsum cõtaminari permisisti. His si addãtur illa quæ dudũ ex Euseb. lib. 10. cap. 1. recitauimus, liquebit veteri ex more fuisse templa diuinasq. aras non solũ initio consecrata & sanctificata,

Ritus Ecclesias siue altaria recõciliandi apud Græcos atque Latinos idem.

Forte rectius ἀνοίξας, hoc Domini postulat Capitis titulus.

aut

aut post impiam prophanationem, sacrilegamque violationem denuò sacrata siue recōciliata; sed Encœnia siue annuū dedicationis diem etiam solemniter solitum annua festiuitate celebrari.

Quod à piis olim Iudæis olim factum, temporibus Machabæorum tam fuit Deo gratum, vt Christus Dominus ipse suo exemplo nos ad similia dedicationis festa piè colenda instituere non sit dedignatus. Abusus enim istis ferè diebus permistos cupimus abolitos, & festa suum in vsum reuocata: de quo aliàs in Kalendario nostro Ecclesiastico. Si ergo Deus templum à Salomone sibi dedicatum tam habuit gratum vt ei responderit se domum illam sanctificasse, vt ponat ibi nomen suum; Si Nehemias instauratum ritè Deo dedicauit; Si denique Machabæi Deo templum post purificationem tanta eius gratia dedicauerunt, vt Christus Dominus Encœnia colere fuerit dignatus, quis hác religiosam apud Christianos omnes tam Græcos quàm Latinos Templorum & Altarium consecrationē potest improbare, nisi Theomachus, aut certè Iconomachus? Sed hæc paulò vberius sunt disputata, vt ritū Ecclesiæ Catholicæ laudatissimum iuxtà ac vetustissimum à scurrilibus quorundam conuitijs, salsisque criminationibus vindicaremus.

3. Regum 9. 2. Paral. 7. 2. Machab. 1. Ioan. 10.

Consecratio vasorum & calicum quàm legitima.

Hanc ad classem pertinet & calicum, pallarum, sacrorum vasorum & instrumentorum, totiusque Ecclesiasticæ supellectilis consecratio; quæ vti exemplo nituntur Mosaico: ita & vetustissima habent apud Orthodoxos Patres testimonia. Siquidem ratio non admittit, quod ait D. Basilius quæst. 301. vt commune vas in sancta loca inferatur.

Basilius.

Quò enim accuratius de cultu Dei purius præstando ac reuerenter exhibendo admonerentur ministri, omnia nostris maioribus visa sunt esse consecranda, Deoque ritu peculiari dicanda, quæ ad ipsius cultum gloriosius exhibendum essent adhibenda.

D. Sixtus. Iuo. lib. 3. cap. 264. D. Sother Martyr.

Hinc D. Sixtus Martyr, sub annum Domini 130. in Synodo statuit vasa sacra non ab aliis quàm à sacratis, Dominoq. dicatis contrectanda hominibus. D. Sother sacrarum pallarū meminit, quas vetat vel sacratas Deo feminas, vel monachas contin-

contingere. Cui & Nazianzenus in Apologetico ſuffragatur, vbi ait, ne ipſa quidem induméta ſacerdotalia, vel miniſterij vaſa cuilibet contingere ſaltem, aut contrectare licêre. Euſebius verò S. corporale, quod dicitur, puro ex lino confectum ſcribit anno Domini 300. ab Epiſcopo eſſe cõſecratum. quod & ante eum D. Stephanus D. Cypriano æqualis monuerat in Epiſtola ad Hilarium, Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultusque diuinus, ſacrata eſſe debent & honeſta.

D. Gregorius Nazianzenus. D. Euſeb. Mart. D. Stephanus Martyr.

D. Laurentius apud D. Ambroſium 1. Offi. meminit ſacrati calicis. Ambr. in Offic.

D. Hieronymus Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum: Diſcant, qui ignorant, inquit, eruditi teſtimoniis ſcripturarũ, qua debent veneratione Sancta ſuſcipere, & altaris Chriſti miniſterio deſeruire, ſacrosq. calices & ſancta velamina, &c. quæ ad cultum Dominicæ paſſionis pertinent, nõ quaſi inanima & ſenſu carentia ſanctimoniã non habere; ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini eadem, qua corpus eius & ſanguis, maieſtate veneranda.

Hieronymus. S. velamina & calices cur veneratione digna.

D. Auguſtinus præter hæc etiam candelabra more antiquo fuiſſe diuino vſui conſecrata commemorat: Bene occurrit lectio, inquit Serm. 89. quando candelabra dedicantur. D. Auguſt. In Louanieñ. editione.

Sed venerãdam horum omnium, ſimiliumque ſacrorum inſtrumentorum antiquitatem vnus D. Clemens Rom, vel ſolus ſuo aſſerat teſtimonio: qui apud Iuonem lib. 3. cap. 266. recenſet ſacra vela, altaris pállas, cathedras & candelabra. D. Clemens apud Iuonem.

Cæterùm nunc hæc fuſius perſequendi non eſt locus. Hîc ſufficiat templorum & altarium conſecrationem ab impiorũ maledictis ac veſanis ſannis vindicaſſe. Atqui aduerſarios, vt templa concedant dedicari, vehemẽter offendit Campanarũ conſecratio: quam ſi æqui animi candore dignabuntur expendere, nobis quidem non fit dubium eos facillimè perſpecturos omnem hîc quoque abeſſe longiſſimè ſuperſtitionem, nedum impiam illam, quam temere nobis exprobrant Idololatriam. CAP. LII.

Cãpanarũ conſecratio ſi cãdidè accipiatur, nihil habet impium, nedum Idololatricum.

Siquidem Campanæ hunc in vſum adhibentur, vt Chri-

ſtianus populus ad Dei cultum aut cõuocetur, aut excitetur: quorum alterum qui improbat, non ſolùm improbus, ſed impius quoque perſpicuè conuincitur. Aliquo enim ſigno publico ad publicas actiones eſt opus, vt vniuerſis conſtet per Campanarum pulſum, quod humana voce fuit ſignificandum, aut horridæ tubæ clangore promulgandum.

Præclarus ille ex præfecto prætorio Abbas Caſſiodorus lib.
» 1. cap. 30. diuinarum Inſtitut. docet ſe horologia & clepſy-
» dras ſuis Religioſis viris SS. literarum ſtudioſis confeciſſe, vt
» milites Chriſti, inquit, certiſſimis ſignis admoniti ad opus ex-
» ercendum diuinum, quaſi tubis clangentibus euocentur.

Porrò quod ad alterum Campanarum vſum attinet, puta quòd & ad piam deuotionem, ſiue Dei cultum excitant ſiue admonent, quis iurè improbare, nedum damnare queat? Iſta enim cùm in eorũ numero cenſeantur, quæ Deo Opt. Max. ſunt longe gratiſſima, quid, obſecro, vetat populum Dei frequenter ad aſſiduas Deo preces, aut gratiarum actiones fundendas admonere? quid, inquam, vetat populo Chriſtiano aſſiduam rerum ſacrarũ nouare memoriã? quid ad Dei laudes perſæpè pios excitare? Ecquid enim aliud meridie agitur quàm vt ad Cãpanæ tinnitũ populo in mentẽ veniat illius ſacroſanctiſſimæ mortis Chriſti, cuius memoria excitati Deo gratias repẽdant, ſibiq. illius mortis meritũ imprecẽtur communicatũ? Quid ſub diuinorũ actione, quãdo ſumma peragitur Miſſa, populo ſignificatur aliud variato Cãpanarũ tinnitu, quaſi immutato claſſici clãgore, aut Celeumatis memoris quã vt abſentes eorũ meminerint, quæ præſentes corã agi vident? Siquidẽ omnibus atq. vniuerſis per domeſtica negotia, per officinæ curas, per agri culturas, per publicas item occupationes quotidie adeſſe non licet.

Campanarum tinnitus meridie atq. ſub eleuationẽ Miſſæ ſummæ quidnam ſibi velit.

His igitur ne ingrata diuinorum beneficiorũ inter varias animi diſtractiones, immundaſq. mundi iſtius curas obrepat obliuio, ſignũ ingeritur, quod officij pios ſubinde admoneat Chriſtiani. Ad Miſſæ diuinæ namque præfationem, quando præſentes auditores ad agendas Deo gratias clara ſacrifici voce admonentur, Cãpanæ paſſim fit ſonitus, vt eo in mentem

Tinnitus ad præfationẽ, ſit alia Cãpana per Diœceſin Traiecten. quã ad eleuationem.

veniat agendas Deo Opt. gratias de eximiis Christianæ religionis, & in primis donatæ fidei beneficiis. Paululum posteà diuersus fit alterius Cápanæ tinnitus, vt meminerint absentes illud & sibi, & aliis piis fratribus ad vnum omnibus offerri cælesti Patri sacrificium, quod Christus ipse cruenta specie olim in Cruce pro totius mundi peccatis obtulit. Hæc qui fide verè Christiana credunt, improbare, damnare, blasphemare non possunt. Vnde non est improbandus Campanarum vsus, quarum sonitu istorum admonemur, nisi surdis canant. Similiter quod tépore tonitruorum pulsantur Campanæ, nullus merito improbauerit, cui modò mens est sana, atque stat immota. Cùm enim naturaliter homines horridos tonitruorum mugientium fragores, pallidasque nubium crepitantium coruscationes extimescamus, quòd non raro plurimos videamus illis subitò ac repentè perculsos, extinctos, exustos, vt de vinearum hirculo, rubigine, exacinatione, aut crambo; de segetum strage, notaque agricolis calamitate nihil dicamus, an non merito optimo publicas ad preces pij commouentur, ne Deus Opt. nobis iratus plagas infligat Ægyptias? aut immissiones per angelos malos?

Ad tonitrua cur sonent Cápanæ.

Ad hæc quia naturale physici docent Campanis pulsatis inesse aduersus fulgurum, aut tonitruorum iniurias remedium; quis, obsecro, nisi mentis inops damnarit eas ad propulsandum aëreæ iniuriæ periculum adhiberi? Vnde & per Gallias, Italiam & Hispaniam aiunt rusticos æramenta magno fragore concutere, varias pelues personare, vasaque " omnia ænea concrepare, vt maiori non tam sonitu, quàm " consequente aëris motu excitato dissipetur nubium impen- " dentium crassitudo: quò reddita viciniori aëri naturalis " tenuitas vicinis noceat leuius corporibus dira tempestas. "

Causa physica cur Campanæ ac æraméta pulsentur in tempestate ac tonitru.

Hunc quidem in modum sese habere causam physicam nemo, nisi aut omnis philosophiæ rudis, aut physiologiæ imperitus negauerit. Sed adiuuari hanc causam naturalem, imò efficaciorem atq. valentiorem fieri diuinis piorum precibus, Ecclesiasticis imprecationibus, & verbo Dei nunc est declarandum fusius.

Processiones publicas diebus Rogationum probat Lutherus, vti & vexilla S. Crucis & lectionem Euangelij, cótra aëris tempestates ac dæmonū noxas.

Siquidem sanctificari omnia verbo Dei & oratione pia ex D. Paulo rectè Lutherus docet lib. de Capt. Babylonica. sed aduersus aëris pestilitatem & Cacodæmones in aëre grassantes, eorumque noxas, infestasque iniurias quantum valeat verbum Dei, siue lectio Euangelij solemni Germanorum more diebus Litaniarum, siue Rogationum in agris recitata, à nullo efficacius discant isti generosi Confessionis Augustanæ patroni, quàm suo à magistro Martino Luthero, eiusdem Confessionis auctore: cuius hæc sunt verba ex breui instructione, quid in Septimana Rogationum faciendum sit. Vbi postquam abusus varios in processionibus illis publicis designari solitos meritò reprehēdisset, ac Crucis insignia & vexilla „ indignè tractari admonuisset, modumq́. ista castigādi osten- „ disset, duo autem in his Rogationum diebus petenda sunt „ (inquit Tomo suarum Enarrationum siue Postillarum maio- „ rum in Euangelia Dominicalia, edito anno 46. apud Heruagium, fol. 484.) Primum, vt fruges in agris pro sua clemētia tutetur, vt aëra purget, non solùm vt commoda pluuia terrę gremium imbuatur, vt aër ad vtilitatē frugum temperetur: sed multò magis, ne ille inficiantur, nosque cum pecoribus per esum & potum harum, pestem, scabiem Hispanicam, febres, & alios morbos nobis contrahamus. Paulus enim 1. Timoth. 4. inquit creaturas per sermonem Dei & precationem sanctificari. Vnde namque pestilitates, & alia morborum genera, quàm quòd noxij genij aëra inficiunt? Hinc frumentum & vinum tentantur, atque ita nos, Deo id permittēte, nostras ipsorum fruges esitando & bibendo mortem & graues corporum afflictiones nobis conciliamus. Idcirco Euangelia in propatulo & sub dio in agris leguntur, vt per verbi diuini efficaciam, Cacodæmones in aëre degentes frangantur, & cælum purum seruetur, quò frumenta intacta maneant, sicque nostris vsibus commodè inseruiant. Quamobrem hu- „ iusmodi Litaniæ seriis animis & cum omni reuerētia agitan- „ dæ sunt, maximè autem verbum Dei pio studio tractandum „ & audiendum, neque quicquam dubitandum sermonē Dei „ virtutem suam exerturum in fruges & aëra, nequid damni „ aërij illi genij frugibus dare queant. Postremò illud omnium

Codex Basilieñ habet Pręedicationē, sed lego precationem.

Dæmones aëra inficiunt, frugibusq́. nocet, auctore Luthero.

Dæmones in aëre degentes, lectione S. Euāgelij frāguntur: & cohibentur, ne noxam inferant frugibus, aut vitibus, teste Luthero.

Euangeliū sub dio lectū suam exerit vim in aërē & fruges, ne noceant dæmones aërij, ait Lutherus.

maxi-

maximè petendum est, vt creaturas Deus benedictione sua dignari velit, non solùm sicut iam dictum est, ad corporum nostrorum commoditatem, sed etiam ad animarum saluté, ne miseræ animæ hinc pestem,& diram contagionem sibi asciscant.

Audis hîc Christiane lector de illo non vbiq. impuro Lutheri ore per verbi Dei in agro lecti, & sub dio recitati efficaciam Cacodæmones in aëre degentes frangi, coërceri & prohiberi ne noceant frugibus aut hominibus. Cælum quoque purum seruari, ait, quò frumenta intacta maneant, nostrisq. vsibus salubres inseruiant. Audis preterea nequicquam Christiano dubitandum Dei verbum virtutem suam exerturum in fruges & aërem, ne quid damni, aërij illi spiritus frugibus dare queant. Ad hæc Deum sua benedictione dignari creaturas suas, quibus conseruandis, aut tutandis sacrosancta Euangelia apud Germanos sub dio solemniter ad quatuor orbis plagas decantantur. Quòd si de his ambigere fas non est Lutheranis discipulis, ecquid ingenui pudoris reliquum putes nouis istis Anonymis Confessionis Augustanæ defensoribus: qui nos, imò suum Euangelij noui Apostolum, si Christo placet, Lutherum impietatis damnare audent? quod Deum Opt. supplicibus imploramus votis, vt sua benedictione creaturas suas nobis conseruet intactas & inuiolatas.

Cælum purum seruatur vt segetes, intactæ maneant fulguribus, aut dæmonibus inuiolatæ ait Martinus Lutherus, per lectum in agris Euangeliũ, more Germanis solemni.

Si tanta est lecti sub dio Euangelij efficacia, teste ipsorum magistro, vt Dei verbi publicè lecti virtus cælum purget, aëra tueatur, à geniorum maleficio fruges seruet, vinum à dæmonum noxa defendat, an nullum existimabimus Campanarũ pulsantium fructum, quæ inuocato Dei nomine non solùm aërem naturaliter mouent, ne quietus aut segnior corrumpatur, aut dæmonum præstigias & maleficia admittat: sed pios etiam auditores admonent vt Deum comprecentur, ne hostem in nos, nostráue grassari patiatur? A Deo namq. omniũ Domino hæc expectamus supplices beneficia frugibus, vinetis, hominibus salutaria; vt suas creaturas cælesti dignetur benedictione, atque à malorum spirituum liberet incursione, noxiaque tueatur ab infestatione. Quod omnium verissimè à Luthero esse traditum pius lector ambigere nequeat,

qui Orthodoxorum ſcripta vel à limine ſalutauit. Iſta enim imprecatio veriſſimū eſt exorciſmi genus, cuius veteres ſcriptores D. Auguſtinus, Ambroſius, Origenes, & ipſe adeò D. Cyprianus diſertiſſima oratione meminêre. Proinde vt Eccleſiaſticæ huius deprecationis, ſiue exorciſationis, ſiue adiurationis non ſacramentalis efficacia piis ſit notior (nam de Sacramentali, quæ Baptiſmum præcedit, dudū diſſeruimus) locum vnum ex Origene depromere fuerit operæpretium. Is igitur contra acerrimū Chriſtianæ religionis hoſtem Celſum Grammaticum diſputans, atq. impias eius blaſphemias (quarū non diſſimiles & hodierni Eccleſiæ hoſtes Grammaticotheologi, maiori neſcio impudentia an inſcitia, obijcere non verentur) refutans, Tantum abeſt (inquit lib. 7. fol. 928.) vt dæmones veneremur, vt precibus & ſacrarum literarum recitatione profligemus eos ex obſeſſis hominibus. & ex locis ſibi dicatis, interdum etiam ex animalibus, nonnunquā enim vt hæc quoque lædant, operantur dæmones. Sic & lib. eodem ſuperius, fol. 908. teſtatur plebeos pleroſque ſolis precibus, adiurationibusque ſimplicibus quoddam dæmoniorum genus eijcere.

Eccleſiaſticę deprecationis contra dæmonum iniurias efficacia Catholicis olim notiſſima ex Origene Adamantio.

Recitatio SS. Scripturarū dęmones profligare ſolet.

Quòd ſi tanta eſt, teſte Adamantio, ſolius orationis atq. Sacrarum literarum recitationis virtus & efficacia, vt dæmones profligare ſoleāt Chriſtiani ex obſeſſis hominibus, ex animalibus dæmone agitatis, ex locis denique ipſis dicatis: item vt plebei ſolis precibus & adiurationibus ſimplicibus dæmones eiiciant, ecquid mirum, ſi eiſdem precibus & Euangeliorum lectione agros muniamus aduerſus aëris tēpeſtates, aut vineta aduerſus Cacodæmonū incurſationes, aut fruges aduerſus noxias malorum ſpirituum infeſtationes? Verùm vt hæc pudore ſui magiſtri victi concedant fortè aduerſarij, negabunt tamen, qua ſunt peruicacia, legitimè Campanas Sacro crucis Dominicæ ſigno inſigniri & conſecrari: ſiue vt arguti Confeſſioniſtarum patroni cum vulgo ruſticè loquūtur, baptizari. Acerrimè namque Catholicos de ſuperſtitione, manifeſtariaq. impietate accuſant fol. 188. quòd vſum ſimilium rerum non reliquerimus à ſuperſtitione incontaminatum, ſed portentoſas, inquiunt, ceremonias impietatis & dementiæ

Antiquitus ante annos 1300. Chriſtiani lectione S. ſcripturæ pellebāt dæmones ex obſeſſis hominib. ex animalibus rabidis, ex locis ipſis dicatis. Obſerua lector alias fuiſſe laicorum adiurationes ſimplices, alias Exorciſtarum.

Ruſticè planeq. impropriè Cāpanas aduerſarij aiunt baptizari.

mentiæ pleniſſimas reppererunt, quibus & Cāpanæ diuini nominis prophanatione deteſtáda, & ſumptibus grauiſſimis incantarentur, ad hoc vt earum pulſu & ſonitu tempeſtates grauiores fulminū, grandinis, tonitruorum in aëre ſedaren-" tur, & ſpiritus maligni ac Cacodæmones aërem turbantes," fugarentur.

Campanas incantari criminātur Apologetici impiè ac Lucianicè.

Dira certè criminatio, de qua vt iudicium ſuum pius lector nonnihil ſuſpendat, per Chriſtum oro atque obſecro, ne nos temerè damnet inauditos; ſed Alexandri M. exemplo alteram aurem nobis ſeruet integram, minimeq́. noſtri odio anticipatam. Deteſtandi diuini nominis, aiunt, prophanatione à nobis Campanas incantari, vt tempeſtates ſedarentur, & Cacodæmones fugarentur. Bona, imò ſobria verba, quæſo, ô viri Euangelici!

Eccleſiaſticas variarum Dei creaturarum conſecrationes non eſſe impias, vti appellant Anonymi Confeſſioniſtarum defenſores, neque deteſtandas diuiui nominis prophanationes, ex ſuperioribus pio equidem, candidoque iam liquere arbitror lectori, qui nullo partium præiudicio animum huc adfert anticipatum. Si enim Apoſtolicus ille, vereq́. Chriſtianus, ſi quis omnium alius, Epiſcopus, clariſſimusque Chriſti martyr D. Cyprianus, ritè atque Euangelicè docet conſecrandum eſſe Chriſma, quis tam fuerit ſui oblitus nominis Chriſtiani, vt tam eximio viro, illuſtriſſimo Chriſti martyri, ſanctiſſimo Apoſtolorum diſcipulo impiá deteſtandæ diuini nominis prophanationis notam inurere, nedum ſacrilegum incantationis crimen auſit exprobare?

Si D. Cypr. non eſt prophanator, aut incātator qui S. oleū conſecrat, cur Catholici audimus magi & Idololatræ, qui Cāpanas, aliaq́. diuinæ maieſtatis inuocatione humanis vſibus conſecramus.

Non igitur Eccleſiaſtica rerum bonarum conſecratio, impia eſt prophanatio, aut diabolica incantatio; ſed pia diuinæ maieſtatis inuocatio, religioſa diuini nominis ſanctificatio: quæ cùm omnes ad res aut legitimum in vſum conuertēdas, aut nobis ſalubriores efficiendas legitimo, imò pio diuini nominis cultu adhibeatur, omnē profectò excedit inſaniæ modum, quod tam atrociter Catholicos iſti delecti Confeſſioniſtarum patroni citra omnem culpam hîc criminantur. Si enim omnia, quod Lutherus affirmat Captiuit. Babylonica, per verbum Dei & orationem ſanctificantur; vti panis, ait,

cera,

cera, ſal & aqua, quid ni & Campana nobiliſſimo Dei elemẽto humanis vſibus comparata? Cùm enim inficias ire Chriſtianus homo nequeat Cacodæmonem Deì permiſſu ad hominum, iumentorum, vinearum perniciem, aut agrorum calamitatem abuti ſubinde fulgurum vi, grandinum ictu, tonitruorum impetu, tempeſtatum incurſu, ventorum procella, quis tam ſui oblitus videri poſſit nominis Chriſtiani, vt hiſce malis impendentibus, aut periculis intentatis non liceat qua via, qua ratione occurrere, pioque remedio profligare?

Si Dei optimi max. aut Chriſti Domini nomen inuocare hoc in periculo citra ſuperſtitionem licet; cur non & cum ſacro Dominicæ crucis ſignaculo? quẽadmodum ſuperius demonſtrauimus non modò D. Antonium, Hilarionem, Martinum, alioſq. viros verè Chriſtianos ad omnẽ metũ, aut periculum ſeſe hoc diabolis tremendo ſigno conſignaſſe & obmuniiſſe: ſed Lutherum quoque veſtrum metu noui illius Turcici nuntij perculſum, & Iulianum Apoſtatam incurſione dæmonum dum magiæ dabat operam, exanimatum?

Nam ſi in Ægypto piis Iudæis aduerſus angelum illum exterminatorem, ſiue maleficum & latrocinantem præſidio fuit Dominicæ crucis typus, literæ Tau figura in oſtio expreſſus, cur non & nobis eandem fidẽ habentibus profuerit eadẽ Crux Dominica religiosè aduerſus eundẽ hoſtem infeſtiſſimum frontibus, oſtiis, aut pectoribus impreſſa?

Crux vna & eadẽ nũc tuetur homines, pecora, domos aliasq́ue Chriſtianorũ poſſeſſiones à dæmonibus: Quæ olim per ſuum Typum Iudęos in Ægypto defendit: vtriſq. nãque fides in Chriſtũ eadem.

Quòd ſi iſtis delectis Confeſſioniſtarum Apologeticis vel ex dimidio eſſet nota indefeſſa ſimul & infeſta Cacodæmonum in Chriſtianos rabies, inſidiæ, ſtratagemata, non indignarentur, nedum tam grauiter offenderentur ſuis fratribus non parùm cautioribus, quòd omnes adhibent depellendæ iniuriæ atque propulſandi omnis periculi machinas.

Dæmones ſubinde in hominũ corpora & poſſeſſiones diuino nutu accipere poteſtatẽ:

Qui enim vel ſemichriſtianus eſt, inficiari non poteſt Cacodæmones diuino ſubinde habere permiſſu, vt inobedientium Dei filiorum, nedum impiè infideliũ aut ſacrilegè claudicantium poſſeſſiones affligant, iumenta lædant, agros populentur, ipſa denique humana corpora vexent, collidant, occidant; vt nihil iam de exemplo D. Iob, aut aliorum piorum Dei cultorum dicamus. ex quo liquet & ſanctos Dei filios,

ſubinde

ſubinde Dei arbitratu per Cacodęmones horribiliter excruciari, affligi, vexari. certè de paganis & infidelibus iſtud eſt longè indubitatiſſimum: quod plagæ illæ Ægyptiæ omnibus non Lucianicis & Epicureis proclamant. Teſtatur enim diuinus ille Rex Propheta Dauid Deum Opt. Ægyptiis puniendis inflixiſſe immiſſiones per angelos malos, ſiue vti eſt in Græcis hodiernis ἀποσολὴν δἰ ἀγγέλων πονηρῶν. Sunt & Spiritus in vindictam creati, Eccleſiaſt. 39.

quæ auguſtiſſ. Victoris Chriſti ſigno, S. Crucis tropheo cohibeatur.

Cùm enim damnati illi, ſuaq́. malitia miſeri ſpiritus Diaboli hoc boni habeant officij in Dei regno, terra, mariq́. protenſo, quod in republica Carnifices atq. tortores, ecquid mirum, ſi obiecto ſibi Dominico victoriæ, qua iam olim victi perierunt, trophæo territi miteſcant, diſcedant, aufugiant? Dominicæ enim Crucis figuratio frōti, ſiue pectori ex fide Chriſti impreſſa, quid obſecro aliud eſt, quàm tacita quædam diuini auxilij inuocatio religioſo, veréque Chriſtiano ritu poſtulata? Qui enim frontem, pectúſue crucis Victoris Chriſti ſignaculo ex fide armat, an non inuictum inſidianti hoſti diabolo clypeum obiicit? An non auguſtiſſimum Chriſto Domino diaboli victori trophæum erigit, cuius præſidio munitus infeſtas illius oppugnationes vincat, frangat, euadat?

Eccleſiaſt. 39.

Dæmones ad vindictā creati, & ad tormenta infligenda rebellibus Dei filiis.

Hoc ipſum victrix Dominicæ crucis trophæum, cùm tam manifeſtam in homine ſit nactum aduerſus Cacodæmones poteſtatē, an fruſtrà quis dixerit rebus conſecrandis adhiberi, vt nihil plus bona Dei creatura ſuo Domino homini adferat vſus, aut commodi, quàm habeat naturaliter?

Sed quis Chriſtianorum tam fuerit vecors, vt ſacram diuini nominis inuocationem homini dicat prodeſſe, creaturis reliquis in hominis ſui domini vſum conditis obeſſe, aut ſaltē non prodeſſe? An non omnium Deus eſt conditor? Si naturalem igitur vim æramentis indidit Deus optimus vt fulgetra pallentia compeſcant, tonitrua mugientia atque frementia frangant, grandineas certoq́ue noxias innocuè diſſipent procellas, quis mente tam fuerit parum ſobria, vt Deum Opt. in auxilium per Chriſti nomē communibus piorum ad æramenti tinnitum precibus inuocatum ſentiat neceſſariis ſuorum filiorum deeſſe vſibus?

In Ægypto vmbraticus Crucis Dominicæ typus oſtiis impreſſus Cacodæmonem latrocinantem fidelium Iudæorum abigit corporibus, primogenitorum liberat cædibus, totiſque adeò arcet ædibus; an non & vera Chriſti Domini Crux fide apoſtolica fronti, pectori, oſtiis, aliiſque rebus impreſſa ſimile quippiam poſſe fuerit conſentaneum?

„ Sed incantatio magica eſt, inquiunt, & diabolica ſuperſti-
„ tio impietatis, & dementiæ pleniſſima ritu Idololatrico Cam-
„ panas baptizare.

Iſthec atrocia conuitia ſunt non argumenta; maledicta ſunt, non enthymemata fidem facientia: quæ ſi à fidei hoſtibus Iudæis, Turcis, aut Paganis in Catholicam iactarentur Eccleſiam, minus ſanè piis hominibus facerent ęgrè. ſed cùm à fratribus, à Chriſtianis, & (ſi Chriſto placet) ab Euágelicis tanta animorum cótentione obijciuntur, vt ſacrilegum corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, defendatur & augeatur ſchiſma, dolorem parit piis incomparabilem, nec verbis vllis explicabilem. O Chriſte Ieſu clementiſſ. Domine, in quæ nos ſeruaſti tempora, vt iſthæc audiamus: vt iſthæc audiamus, inquam, ab Euangelicis, à purioris tuæ doctrinę, ſi ſuperis placet, defenſoribus!

Verùm his querelis aliò reiectis Deum precati ſupplices, vt cęcam iſtorum miſerorum inſaniam commiſeratus cæcos redaperiat fidei Chriſtianæ lumine oculos, ne res ſacras, diuinoq́. cultui dedicatas prophano damnent iudicio; nos quídnam his in rebus dudum propoſitis piè agat Catholica Dei Eccleſia paucis exponamus.

Cauſantur præclari iſti Confeſſionis Auguſtanæ defenſores Idololatrico ritu Campanas baptizari. Atqui nullum demonſtrant, nedum conuincunt hac in re cultum Idololatricum. Mera enim maledicta ſunt, mera conuitia, quòd affirmant hanc Campanarum conſecrationem eſſe magicam incantationem, diabolicam eſſe ſuperſtitionem. Hęc ſiquidem affirmaſſe non ſuffecerit, nedum exprobraſſe: ſed demonſtratum oportuit ecquid hac in re geratur ritu Idololatrico, aut impia ſuperſtitione. Nullum enim alium Deum his ritibus colimus, nulli Deo ſeruimus, nullum cultum

nulli

nulli, prçterquàm vni Deo viuo, & vero his rebus exhibemus.

Quòd enim non ſit magicum, nedum Idololatricum res inanimas ſacris ritibus de more adhibitis cõſecrare, ſiue ſanctificare, diuinoque vſui dedicare, ex ijs quæ dudum liquidis Orthodoxorum Patrum ſententiis demõſtrata diximus, liquere opinor.

Si enim ritu Apoſtolico teſtibus DD. Baſilio, Auguſtino, Ambroſio, Cypriano, (ſi modò vllam apud homines Chriſtianos illi Sanctiſſimi Patres merentur fidem) ritè atq. adeò religiosè aqua Baptiſmi, & Chriſma conſecrantur, cur non & Campana? Illa, inquies, ad Sacramentorum vſum pertinent, vt legitimè adhibeantur: hæc res dementiæ & impietatis eſt pleniſſima.

Sed rem ipſam, quæſo te lector Chriſtiane, citra conuitia inſpiciamus. Ecquid, obſecro, habet impietatis ſacrum Crucis Dominicæ ſignum, Campanç ad Dei cultum & pium populi Chriſtiani vſum comparatæ imponere? An plus habeat, quàm idem S. ſignum indere pani, aquæ, aut oleo? an dementiæ affine videtur Dei nomen inuocare ſuper Campanam, & non ſuper aquam, panem, aut Chriſma? Si aqua ad diuini nominis inuocationem ſanctificatur, & ad diuinum cultum ſiue myſticum populi Dei vſum conſecratur, cur non & Campana?

Campanarum conſecratio nihil amplius habet ſuperſtitionis quàm panis aut Chriſmatis conſecratio.

Sed non fuit, dixerit quiſpiam, Dominica crux Campanis imprimenda, quòd apertam habeat ſuperſtitionis ſpeciem. Atqui citra omnem ſuperſtitionem Conſtantinus Magnus florente illo Chriſtianæ doctrinæ ſeculo non ſeſe modò, ſuóſque milites illo Labaro Cruce Chriſti aurophrygiata inſignito armauit: ſed ipſa quoque militum ſuorũ arma crucis ſignaculo exornauit atque condecorauit. quemadmodũ videre eſt in Hiſt. Eccleſiaſt. Sozo. lib. 1. cap. 8.

Campanis non magis impiè ſignum S. Crucis pingi, quàm aurato illi Conſtantini A. Labaro.

Hanc porrò trophæi Dominici figuram non ad ornatum ſolùm, aut fidei profeſſionem: ſed ad militum quoque fiduciam augendam, præſidiumque diuinitus poſtulãdum fuiſſe armis inſcriptam ex eo liquet, quòd Chriſtiani illa ætate ex maiorum ritu & corpus, & lectulos, teſte Tertulliano, imò ſua oſtia atque limina S. Crucis ſignaculo inſigniebant; quemadmodum

modum & Iulianus Apoſtata Chriſtianis hominibus exprobrare non dubitauit. quibus exemplis fit manifeſtum ad certum contra hoſtes inuiſibiles Cacodæmones præſidiū fuiſſe crucem Domini piè iam olim vſurpatam. Quòd autē & contra corporales hoſtes, aut pericula bellica Crux Domini certiſſimo ſit præſidio, ex Conſtantini Magni exemplo liquet: cuius Labari ſigniferum teſtatur Euſeb. Cæſarieñ. nullo vnquam telo fuiſſe læſum. Hoc ipſum magis D. Martini factū illuſtrat, qui tanta Dominicæ crucis fiducia fuit obarmatus, vt Iuliano ſuo Auguſto ignauiam exprobranti, cùm diutiùs ſtipendia facere nollet, reſponderit, Ego ſigno Crucis, non clypeo armatus, inquit, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.

S. Crucis ſignū etiam aduerſus hoſtes corporales & ſpirituales eſt certiſſ. amuletum, exemplo Iuliani Auguſti, magicis dediti.

Quid, quòd Iulianus ipſe Theomachus quando Idololatriam aliquot ſophiſtarum impietate illuſus profitebatur, auſpiciaque & extiſpicia vaniſſima ſectabatur, tantam expertus eſt diuinam eſſe victricis Crucis imagini ſuo capiti dudum, licet prophanato & impiato, vel tunc priſtino de more impreſſæ vim, vt terrore panico ad ſuum auſpicium ſiue extiſpicium concurſantium dæmonum perculſus, non niſi in priſtino deſertæ religionis amuleto inuenerit auxilium. Metum enim incuſſum alio non potuit ſemel atque iterum, ait Gregorius Nazianzenus, remedio depellere aut amoliri.

S. Crucis ſignū littoribus impreſſum maris ſæuientis vndas repreſſit, teſte D. Hieronymo.

Quòd ſi quem offendit Chriſtianos rei corporali, atque brutæ ſignum Crucis Dominicæ cum diuini auxilij fiducia ex fide imprimere, is obſecro meminerit D. Hilarionē & in arena maris ſæuientis trinam pinxiſſe Crucem: ſed qua diuini auxilij fiducia, quo ſalutis publicæ fructu operæpretiū fuerit ex D. Hieronymo eius æquali paucis commemorare.

Poſt Iuliani illius apoſtatę interitum memorabilis fuit toto orbe terræmotus, quo maria ſuos egreſſa terminos nouū minabantur mortalibus diluuium. tanta enim tempeſtate quatiebatur, vt naues ad prerupta de latere montium pependerint. Epidauritani autem in Dalmatia, videntes vndarum moles, fluctusque frementes, & gurgitum montes ſuis inferri limitibus, veriti ne ſuum oppidum, quod eueniſſe cernebant, funditus ſubuerteretur, ingreſſi ad D. Hilarionē, quaſi

ad

ad prēliũ proficiſcẽtes eũ in littore poſuerunt, vt ſuis precibus « impendẽs amoliretur periculum. Qui cùm tria Crucis ſigna « (inquit D. Hieronymus) pinxiſſet in ſabulo, manuſq. contra tenderet, incredibile dictu eſt, in quantã altitudinẽ intumeſcens mare ante ipſum ſteterit quaſi ſaxeum & immotum, ac diu fremens, & quaſi ad obicẽ indignans paulatim in ſemetipſum relapſum eſt. Vides hoc in exẽplo pie lector (quòd D. Hieronymus aſſerit Epidaurum, totamque illam regionem ſua ætate prædicaſſe) quanta cum diuini auxilij fiducia etiam contra barbarum illud elementum, cùm piè, tum ſalutariter verus Dei cultor D. Hilarion ſacra Cruce fuerit vſus.

Crux in ſabulo picta barbarum arcet elementũ: quod intumeſcẽs velut ſaxeũ ſtabat, & à littore diſcedebat.

Cùm autem nemo ſuperſtitionis notare audeat, quòd ille vir verè Chriſtianus, cultorque Dei admiranda miraculorum patratione eximius tria in ſabulo victricis Crucis ſigna pinxerit: ecquur nos hac flagellamur calumnia, quòd Idololatræ ſumus quia diuinum nomen, ſacraque ſigna ſimilibus in rebus prophanamus? Ecquid, obſecro, ſabulum noſtris ęramentis habeatur nobilius? Vtrum brutum magis intumeſcens illud mare ac fremens, an aër horridis tonans mugienſque tonitruorum fragoribus? Quòd ſi ad Dominicæ Crucis ſignũ, & orantis preces, manuſque in Dei nomine protenſas conſtitit mare ſuo in limite quaſi ſaxeum; ſubſtiterunt vndarũ moles; ſtabant immoti gurgitum montes: an quod illic videntibus Chriſtianis contigit vt mare vna parte quaſi obriguerit, & altera molliter fluxerit? nos nobis non idem pollicebimur de ſono per æramentũ Crucis Dominicæ ſigno piis cum precibus ſanctificato vnà cum filiorum Dei orationibus ex fide Chriſti in aëra diſperſo, quàm dudum in ſabulo ac littore Epidauricorum figurato?

Quòd ſi quem malè habet, Catholicos confidere ſono ſacratæ Campanæ propulſari dæmones, huic, obſecro, in mentem veniat iſtud adeò non eſſe ſuperſtitioſum, vt ſit robuſtæ, ac verè maſculæ in Chriſtũ fidei germaniſſimũ. Nullus enim ſui nominis Chriſtiani videri velit ita oblitus, vt neget fieri poſſe, quod Chriſtus promiſit, vt mons, exempli cauſa, Ronſeſalius, Ethna, Apenninus Chriſtianorum precibus in Oceanum ſiue Adriaticũ deportetur. An ergo magnopere à fidei

Maiora poſſunt Chriſtiani orãdo, quàm tonitrua ſedare. Exemplo fuerit nobilis illa Chriſtiana Legio fulminatrix olim dicta A minori.

analogia cēſeatur alienū ſi piè confidimus Deū patrē clemētiſſimū obnixis ſuorū filiorū precibus exoratū infeſtos dæmonas ad ſacratæ ſuo diuino cultui Campanæ ſonitū depellere?

Certè ad nomen Domini Ieſu inuocatum tota dæmoniorum cohors nequit conſiſtere; ſed mox in fugam, ſuasque in nebulas ſuis cum terriculamentis, ſpectris atque præſtigiis piorum obtutibus non rarò offuſis, redigitur. quemadmodū ex D. Antonij, Hilarionis, aliorumq. vita teſtibus D. Athanaſ. Hieron. piis lectoribus perſpicuum fiat.

Porrò Campanæ ſonum in Dei nomine ac per ſignū Chriſti vnà cum fidelium precibus emiſſum incredibilem poſſe habere vim contra dæmonum latentes inſidias illud D. Donati Epiſcopi Euoriæ in Epiro facinus forte, non minus quàm memorabile demonſtrat: quo ſaliuam ſui oris vnà cum Dominicæ crucis ſigno in Draconem immaniſſimum iaculatus occidit. quemadmodum ad Chamepylas Epiri vicum contigiſſe narrat Sozom. lib. 7. cap. 25.

D. Donati Epiſcopi in Epiro facinus memorabile, quo per S. Crucis ſignū trucidauit draconem.

Non ergo deteſtanda eſt diuini nominis prophanatio, quòd conſecrandis Campanis diuina pietas in auxilium piis filiorum ſuorū precibus ex Chriſti fide inuocatur, aut quod ſignum victricis Crucis Cāpanis imprimitur ſiue inſculpitur: ſed eximius eſt Dei opt. max. cultus, atq. pręclara quędā fidei Chriſtianæ profeſſio: quæ piis permiſta, fultaq. precibus confidit Deū opt. max. ad auxiliū, ſuorumq. filiorū defenſionem per Chriſtum inuocatum ad depellēdas Cacodæmonū iniurias, ſiue clades, calamitates, inſidias minimè defuturum.

» Atqui protentoſas adhibetis ceremonias, aiat quiſpiam de
» illorum grege, impietatis & dementiæ pleniſſimas in Cam-
» panis baptizandis.

Iſtud nemo conceſſerit, qui modò meminerit non verè, neque propriè baptizari Campanas.

Campanas non baptizari, ſed cōſecrari ceremoniis quibuſdā ad baptiſmum alludentibus.

Iam verò pluſquàm puerilis eſt erroris ex ruſtica, imò abſurda vocis homonomia tam atrocem ſtruere calumniam. quaſi Sacramēti vis & effectus rebus brutis, & inanimatis tribuatur, quia nomini baptiſmi vulgo imperitè appellatur.

Etſi ergo Campanę dicantur à quibuſdam abſurdè admodum, vti & calices Phariſæorum, baptizari, etiam nomine impoſito:

poſito: non tamen vllus apud Catholicos tam reperiatur ſtolidus, qui hac de re percunctatus illas in peccatorum reſpõdeat remiſſionem baptizari, ſed diuino cultui dedicari, adeóque ſanctificari, & ritu legitimo conſecrari: hoc eſt, ſacro vſui deputari, vereq́. dicari.

Quòd ſi quædam piæ huic conſecrationi admiſcentur ceremoniæ Christiano baptiſmo ſimiles, & ad huius inſtar vſurpatæ, id niſi fit rudiores erudiendi atq. myſticum quid ſignãdi cauſa: qualia ſunt quod nomen imponitur ad aliarũ Campanarum diſcrimen, aut alia de cauſa politica. Similiter quòd funem omnes trahunt, in publici conſenſus fit ſymbolũ, vna quaſi voce profitentiũ ſeſe vnius corporis Eccleſiaſtici mẽbra concorditer huic Cãpanæ ad Dei cultum conſecratæ, piisq. ſuis vſibus dedicatæ nomen imponere, quò vna ab altera diſtinguatur. Nam cùm alia vtantur Campana ciues ad Tribunal conuocandum, alia ad vigilias collocandas, alia ad portas claudendas ſiue aperiendas: quid mirum ſi ad varios pietatis Christianæ vſus variis vtamur Campanis?

Nomen cur Cãpanis indatur diſcriminis cauſa.

Cætera quæ arguti Confeſſioniſtarum apologetici adferũt de Campanarum abuſu, quòd quidam ad quæſtum, vti in ditiorũ funeribus, abutuntur: alij ad ſuperſtitionẽ, die S. Ioannis aut vigilia Agathæ: rurſus ad pompam & oſtentationem: Hæc, inquam, omnia meræ ſunt nugæ, nihil ad cauſam hanc diſſidij tam pernicioſi à Catholica Dei Eccleſia conſtituendam, aut defendendam apud pios lectores, prudenteſque rerum arbitros valituræ.

Ex Campanarũ abuſu ſophiſticãtur aduerſarij.

Quis enim ſui compos animi ex impio piarum rerũ abuſu, eóque non publico, ſed auarorum aut ſimpliciorum aliquot homunculorum proprio, res alioqui pias, legitimas, religioſas damnet?

Nam quod Eraſmi ſuffragio probatum volunt de Campanis ad funera opulẽtiora perſonantibus, multumq́ue fatigatis, quis doctorum virorum ignorat apud Christianos etiam hac ætate fieri, quod ſuis de moribus D. Auguſtinus iam olim eſt conqueſtus? Multa in funeribus, inquit, fiunt, quæ non mortuorũ auxilia ſunt, ſed viuorũ ſolatia. quò equidẽ pompam funebrem aulicam propemodum paganam, inſignia milita-

Abuſus funebris pompæ D. Auguſt. ſeculo.

militaria, galeas, ſaga, gladios, clypeos, paludamenta, togatos, & criſtatos equos; & neſcio quæ non militaria omnia pertinere arbitror.

His ſi annumeres immodicum Campanarum ſtrepitum, qui magis ad ſeculi gloriam faciat vti alicubi moris eſt maximam Campanarum non ſonare niſi Carolini aut Philippici aliquot numerentur, quàm ad pietatem & commiſerationem excitandam, hoc eſt, communem pro fratre hinc emigrante orationem fundendam, per me ſanè licuerit.

De lana caprina rixantur Cauſidici Confeſſioniſtarum patroni.

Cæterùm quòd nugantur de Monachorum contentione ſuper Campanæ pulſu ad Aue Maria: Item an eis pluribus, quàm vna vti liceat Campana, quis tam fuerit perditè otioſus vt hac de lana caprina, quod vulgo dicitur, cùm catis iſtis Confeſſioniſtarum cauſidicis velit rixari? Certè multum iſtis Theologis & Conſiliariis politicis ſuperſit otij oportet, quibus illas tricas tanto improbo ſtudio colligere vacauerit.

Quia igitur his in abuſuum miſcellaneis lepidi iſti Confeſſioniſtarum defenſores ſibi erant conſcij multas ſeſe cumulaſſe nugas, grauibus quidem viris vt indignas, ita quæ nec ſerium vllum adferant momẽtum ad rem tam immenſi ponderis conſtituendam, hanc de Campanis accuſationem
» bella concludere voluerunt coronide. Mittamus interim
» (inquiũt fol. 191.) quod iure pontificio ſtatutum eſt de Cam-
» panis, vt dum populus aliquis eſt excommunicatus, ſeu interdictus, ne vlla Campana pulſetur. Meritò ſanè iſta miſſa facitis, quòd nihil merentur reprehenſionis: ſed ſi candido conſiderentur oculo, plurimum habeant momẽti ad religionis Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ in primis diſciplinæ rationem conſtituendam atque ſartam tectam conſeruandam.

Rectè Cãpanas non pulſari, vbi publicum eſt interdictum.

Cùm enim inficiari nemo queat, cui Euangelicæ doctrinę pietas cordi eſt, iuſtiſſimis de cauſis non ſolùm priuatas, ſed res etiam publicas interdicto Eccleſiaſtico, adeóque diræ illi excõmunicationi interdũ ſubijciendas, ecquid obſecro iuſtæ offenſionis repererũt Cõfeſſioniſtæ, ſi excõmunicationis ſiue interdicti tẽpore omnia illa ſileſcãt ſigna, que ad Cõmunionem, ſiue publicum Dei cultũ nunc iuſta de cauſa (vti caſus fert) ſuſpenſam, ſunt inſtituta? Sed quàm fuerint arguti iſti

Aſyſtaton.

Con-

Confessionistarum delecti defensores his in accusationibus confingendis suiim memores, hæc vna res satis pio lectori declaret, Campanarum vsum initio istius calumniæ fatentur commodum ad plebem conuocandum, vt sciant, inquiunt, fol. 188. qua hora conueniendum sit in Ecclesiis ad conciones audiendas, & sacra peragenda. Qua in re absque omni superstitione rectè ad bonum ordinem in Ecclesia seruandum, sicut aliis rebus externis & indifferentibus etiam Campanis vti possumus. Sui sunt obliti aduersarij præ calumniandi rabie.

Si igitur ad audiendas conciones, & sacra peragenda citra superstitionẽ vsus Campanarũ adhibetur, quam obsecro meretur reprehensionem, si ad tempus quoddam ipsarum vsus suspenditur? Nam si sacra tempore, Interdictionis peragere secundum Canones non licet, rectè & Campanarum vox conticescit, quando iusta de causa non licet sacra peragere. quemadmodum antiquissimis legibus constitutum Catholica iam pridem obseruat Ecclesia.

Quod qui rectè considerarit, non stultè, nec temerè maiores nostros silentium Campanarum sub Parasceuen constituisse agnoscet. Cuius causam cùm non ignorent aduersarij, nimirum vt Apostolorum metu & tristitia per triduum illud latitantium silentium populo significetur, maiorem in modum admirandum est, tam pias ceremonias in diabolicas ab istis conuersas esse calumnias, vt affirmare non vereantur isti Confessionistarũ defensores hinc liquere Papatum, id est, Catholicam Dei Ecclesiam, magicis superstitionibus, aiunt, & diabolicis præstigiis inundatum ac propè demersum esse, ornamentis omnibus sublatis.

Atqui isthęc maledicta maiori nixa esse calumnia, quã Argumenti soliditate piis lectoribus equidem perspicuum esse confido: quę namque de magicis crepant superstitionibus, & diabolicis euomunt præstigijs, quibus veram Dei Ecclesiam apud Catholicos blasphemant inundatam ac propè demersam, non prolixiorem apud candidos Iudices mereri arbitror Apologiam, quam nos summo iure tueri, ac religioso animo propugnare, quod piè atque legitimè nostris à maioribus Dei verbo cõformiter fuit vsurpatũ. Porrò quod attexunt, omnia

esse à Catholicis Ecclesiæ Dei ornamenta sublata, mera putidaque est calumnia, quæ responsione nulla apud æquos rerum arbitros habet opus.

CAP. LIII.

Ritus Ecclesiastici, qui sunt exercitia pietatis.

Expositis illis ritibus parasceuasticis, quos ad pietatis Christianę diximus facere aut conseruationem, aut pij officij admonitionem: nunc ad illud rituum genus est accedendum, quod ipsa pietatis habet exercitia: qualia sunt Horæ Canonicę, processiones solemnes, Stationes, peregrinationes religionis ergò, litaniæ diebus Rogationum, spectacula vulgò diebus palmarum, Parasceues, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, atque Annuntiationis Dominicæ exhibita. Item Ieiunium Quadragesimale, & Rosaria diuinę orationis Dominicæ quasi flosculis exornata, dies festi Christianis solemnes.

fol. 173. 175. 177. & 179.

Hæc enim omnia, quæ Euangelici isti (si Christo placet) Confessionistarum defensores cultus vocant superstitiosos, magicos, & diabolicos, Idola papistica, impia & Idololatrica dogmata; si ad suum atque legitimum referantur vsum, ipsissima deprehendentur verè esse pietatis Euangelicæ exercitia multò sanctissima, Deoq. longè gratissima.

Horæ Canonicæ an Idolum Papisticum.

Quòd horas Canonicas in catalogum referunt cultuum, quos dicere non verentur fol. 173. superstitiosos, & Idola Papistica, satis arguit vel hoc vnum, quàm non sint animo satis sobrio, menteq. sui compote. Quid est enim in horis Canonicis, obsecro te lector Christiane, quàm sacrosanctæ preces, aut diuinarum scripturarum lectiones? Horum alterutrum quis vnquam sobrius repudiarit, aut mente constans improbarit? An non perpetuus in illis est Psalmorum diuinorum vsus, tam diurnus quàm nocturnus? an non ad singulas horas diuinis psalmis sacrosanctũ subtexitur diuinarum scripturarum capitulum? Quòd si alicubi sacris miscētur historiæ diebus festis minus certę, aut non Canonicæ, nullo licet negotio resecare, aut castigare, vbi id fuerit certò depreheñsum. Quod enim irreprehensibile est, probat Catholica Dei Ecclesia, vti PP. Concilij Nicęni tradunt Cano. IX. Et huic vitio iam pridem per Concil. Laodicenum Cano. 59. fuit occursum: qui & nunc à Conc. Tridentini Patribus renouatus, in vsum

restat

restat reuocandus. Imò iam dudum Romæ opera sanctiss. D. Pij. V. Pontificis Max. orbi laudatissimo exēplo est præscriptus, edito nouo Breuiario Romano. Nos quoq. Ruremundę atq. Nouiomagi idem faciendum dudū decreuimus. Proinde Horis Canonicis, cùm nihil sit quod cum ratione reprehendatur, mirum in modum videtur absurdum, ecquur aduersarij tam sacrosanctum diuinæ pietatis exercitium Idolum ausint appellare Papisticum, aut ritum superstitiosum?

Certè apud æquos rerum arbitros verè deprehendantur hoc in Catalogo rituum Ecclesiasticorum promeriti, vt in ipsos quadret illud, quod vulgò dicitur, Cæci de coloribus. Quod vti verè quadrat in illos Consiliarios politicos: ita atrociori cum nota in Theologos ipsorum sacros horum rituum congestores dicatur, quod Ordinum Protestantium simplicitate abusi, bonum dicunt malum, & malum bonum. Vnde cum pseudoprophetis illos manet væ illud horribile, ni in tempore resipiscant. quod illis Deus Opt. sua largiatur benignitate, qui omnes vult fieri saluos, & nullum perire.

Esa. 7. Væ qui bonū dicunt malum.

Quò autem liqueat quàm manifesta hîc vtantur malitia isti delecti Confessionistarum defensores ad suam sacrilegam defectionem, parricidalemque Ecclesiæ Christi diuulsionē defendendā; paucis demonstrabimus horarū Canonicarum vsum verè Euangelicū, exordiūq. ipsarū verè Apostolicū.

Origo Canonicarū horarū ex Apostolicis eruitur fundamētis

Christus Dominus diuinæ voluntatis, & quid Deo in primis gratum, conscius suos discipulos frequentissimè ad assiduam hortatur orationem, Oportet semper orare, inquiens, & non deficere.

Istud Apostoli non solùm rebus complerunt, vti Paulus frequēter suo demōstrat exēplo: sed suos quoq. discipulos ad indefessam exhortatur orationē. Volo viros, inquit, orare in omni loco. Vnde & Christianos legimus sub annū ferè Domini 38. pro Petro Apostolo Ierosolymis captiuo sine intermissione, siue vti Lucas habet, ἐκτενὴς precatione assidua orasse Dominū, id est, & diurnis & nocturnis horis Deū fatigasse, adeoque exorasse. cæterū quia non omnibus ea est mētis cōstantia, vt negotiis Ecclesiasticis dediti, nedū seculi curis, aut corporis impediti, mentē ad cælestia gerāt suspensam. Apostoli etiā ipsi

Act. 12.

Tẽpus orandi certũ ab Apostolis Præscriptum.

certá ſibi deſtinarunt orandi & loca & tempora : quibus toti Deo contemplando & orando vacarent. Hinc Spiritu ſancto pleni Petrus & Ioannes aſcendebant ad templum Salomonicum ad horam, teſte D. Luca, orationis nonam: quá nos hodie Veſperas dicimus; ætate D. Auguſtini laudes Veſpertinę appellabantur. Quod Apoſtolorum exemplum piis maioribus noſtris certiſsimum fuit ſtato tempore orandi pręſcriptum.

Auguſt. de Ci. Dei 22. cap. 8.

Act. 14.

Similiter Petrus ad meridiẽ vſque ieiunans in domus partem editiorem aſcendit, ne orantem Coriarij diſtraheret officina, aut operariorum turba.

Proinde cùm de die Petrus certis, ſtatisq. orarit horis, meridianis & pomeridianis ſiue veſpertinis, quis tam pietatis omnis fuerit expers, vt dicat Petrum aut noctẽ ſolidam, aut ſaltem aurorá precibus vacuá trãſegiſſe? cũ pietatis cultores moneat Spiritus ſanctus; Iuſtus cor ſuum, ait tradet dilucuIó ad vigilandum ad Dominũ qui fecit illũ, & pro delictis ſuis exorabit. Hinc Dauid toties ingeminat ſeſe mane oraſſe, mane ad Deũ vigilaſſe. Itẽ ſeſę immaturè ſiue intẽpeſtiuè, hoc eſt, τῇ ἀωρίᾳ, tẽpore nondũ diurnis laboribus idoneo deprecatũ. Vnde & alios hortatur, vt nocte manus extẽdant in Sancta, id eſt, vt ardẽtibus precibus noctu inuigilẽt. Certè D. Paulus in vinculis detentus de nocte cum Sila orat act. 16. vti & Chriſtus Dominus de nocte abiit ſolus in montem orare.

Eccleſ. 17. Manè orandũ docet Spiritus ſanctus. Pſal. 5. & 62. Pſal. 118. Coph. Nocte orandum hortatur Dauid.

Act. 16.

Sed hæc fuiſſe priuatæ orationis genera quis dixerit, nõ horas Canonicas. Atqui ſi priuato licet, atq. piũ eſt, imò oportet iuxta Chriſti Do. verba, ſemper orare & nunquàm deficere, qui ſui bene compos dixerit impiũ Chriſtianos congregatos quotidie ad aurorá, aut crepuſculum vná Deo Opt. communiter fundere orationẽ? An non Paulus hoc diſertè præcipit. I. Timoth. 4. obſecro, ſiuę moneo fieri obſecrationes, interceſſionesq́. pro omnibus hominibus? Quod mandatũ Pauli quia de publica oratione agit, nõ poteſt priuata vnius Presbyteri, aut Diaconi precationę pręſtari. Habemus ergo Chriſtiani mãdatum de publica prece in cõmuni fratrũ congreſſu ad Deũ Opt. fundẽda: ſed tempora nondum fortè habemus ita ſtata, quæ ſuis exemplis maiores noſtri ab Apoſtolis eruditi,

Paulus ad publicas communesq́ue hortatur preces.

Tempora ſtata orãdi ſiue cantandi ex Apoſtolorũ ætate oſtenduntur.

nobis

nobis per manus tradidêre; quæ illustres aliquot illis Apostolorum temporibus vicini scriptores suis in monumentis contestata reliquerunt.

Testatur Plinius epistola ad Traianū August. Christianos suæ ætatis, id est, Anno Do. fere 100. conuenire stato die ad Hymnos antelucanos Christo dicendos: quos nos Matutinos dicimus à Matuta, id est, aurora. Audis Hymnos, id est, Dei Laudes, & Psalmos, audis antelucanos Hymnos, id est, auroræ tempus ab illis Apostolorum discipulis fuisse precibus dedicatum. Sed quósnam Hymnos, aut quósnam Psalmos cantillarint, siue recitarint, parui refert in presens: cū nullus negarit pium quosuis Psalmos Christo, in quibus de ipso est scriptum, vti ipse qui veritas est, Psalmos interpretatur, per auroram recitare. Quod & aliàs publicè factum docet Epistol. 1. Corinth. 14. & Colossen. 3. Ephes. 5.

Hymnos antelucanos canūt Christo Christiani, id est, matutinas horas: Matuta enim priscis aurora fuit.

Ætate Apostolica fuisse Psalmos Dauidis Christo decantatos.

Demus igitur initio nullum fuisse certò prefinitum Psalmum, aut certum etiam Psalmorum pensum præscriptum; sed quem vel legendi ordo offerret, vel lectoris, siue concionatoris animus Christi spiritu afflatus iudicaret recitandum, aut Antistitis statueret auctoritas promendū. Ad hec vetustissimæ commemorant Historiæ fuisse & Apostolorum preces lucernarias, quas vocabant Επιλυχνίους: quarum fragmentum huc depromere fuerit operæpretium. Troparion siue Canticum Apostolicum Lucernarium sic habet.

Lucernariæ Apostolorū preces: quæ nobis Completoriū.

φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς,
οὐρανίου, ἁγίου, μάκαρος Ἰησοῦ Χριστέ,
ἐλθόντες ἐπὶ τὴν ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινὸν.
ὑμνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα θεόν.
ἄξιος εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς ἀσίαις
υἱὲ θεοῦ ζωὴν διδοὺς. διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει.

Troparion Epilichnion, siue Canticū lucernariū, ab Apostolis natū Græcus populus quotidie vsurpat.

Quod sic Latinè vertatur.

Lux hilaris sanctæ gloriæ, Patris immortalis, cælestis, Sancti atque Beati IESV CHRISTE.

Eius est mētio & vsus in Euchologio, ad Vesperas Græcorum.

" *Posteaquā ad solis occasum peruenimus, lumē cōspicati vespertinū, laudamus* DEVM PATREM, ET FILIVM, ET SPIRITVM SANCT. *Dignus es omni tēpore festis letisq. prædicari vocibus* FILI DEI, *vitæ dator! Quapropter te mūdus digna studet celebrare gloria.*

Hunc verò Lucernarium hymnum, siue Tropariō & Canticum esse verè Apostolicum præter alios vnus D. Basilius ille Magnus abundè fecerit contestatum. tantæ namque auctoritatis eum habuit, vt eius fragmento vel potissimum fidei Christianæ caput, de Spiritus sancti deitate censuerit confirmandum atque stabiliendum. Aduersus Eunomianos namq. decertans post testimonia D. Irenæi. Cle. Romani, Eusebij Palæstini, Origenis, & Africani historici testimonia, etiam hunc Christianæ Ecclesiæ recitat hymnum, qui illis patribus concorditer Spiritum sanctum, eadem glorificatione prædicat Deum. Rabidis enim Pneumatomachis post illos præclaros Orthodoxæ fidei Heroas etiam vetustissimum illum Catholicæ plebis hymnum ceu Aiacis clypeum, ad tutandā paternæ atque Apostolicæ doctrinæ traditionem obiecit. Sed ipsum Basilium audiamus. Quod verò aliàs fortassis humile

Diuus Basilius aduersus Eunomianos illud Lucernarij Canticū citat, tanquā Apostolicum.

» esset, ait cap. 29. de Spiritu S. vt in medium produceretur;
» necessarium est autē ei, cui nouatio vitio vertitur, ad testimo-
» nium, hoc ipsum ob temporis vetustatē apponā. ἔδοξε τοῖς πα-
» τράσιν ἡμῶν μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι: ἀλλ' εὐ-
» θὺς φανέντος εὐχαριστεῖν. καὶ ὅστις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτων ἐκείνων τῆς
» ἐπιλιχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν. ὁ μέντοι λαὸς ἀρχαίαν ἀφίη-
σι τὴν φωνήν. καὶ οὐδενὶ πώποτε ἀσεβεῖν. ἐνομίσθησαν οἱ λέγοντες· Αἰνοῦ-
μεν πατέρα καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα θεοῦ.

Ita legit Exemplar Erobenianum, anno L I. Et Codices Parisień. quibus vsus est R. P. Godefridus Tilmānus Carthusianus: sed Paulo aliter alij Græci, vti superius.

Quod latinis sonat: Visum est patribus nostris gratissimum vespertini luminis beneficium non silentio suscipere: sed statim vt apparuerit, gratias referre. Et quidem Lucernariæ gratiarum actionis verborum quisnam fuerit auctor, dicere nequiuimus. Populus tamen vetustissimam edit vocem: ac nemini vnquā impiè agere existimati sunt, qui dicunt, LAVDAMVS PATREM, ET FILIVM, ET SPIRITVM DEI.

Huius vetustæ pietatis nō obscurum relucet vestigiū apud plurimos, qui ad allatas Lucernas, aperto capite sibi mutuò æternam Dei Opt. precantur lucem.

Huic Epilichniis similes Lucernarias preces cōmemorat Socrates lib. 5. cap. 21. fieri solitas Ierosolymis, in Hellade, & Thessalia: sed suæ factionis studiosior (quod ex cap. 2. lib. 6. conuincitur, vbi D. Chrysostomum temere arrodit, quòd in Pœnitentes ipsi videretur indulgentior) aculeum fixit, quo istud indicat veluti ad morem Nouatianorum peragi.

Socrates historicus Nouati partibus studuit in historia.

Quasi verò nō sit longè vero similius hanc precandi cōsuetudinem

tudinem

tudinem illos Schismaticos vnà cũ aliis veræ pietatis aliquot capitibus ab Ecclesia Ierosolymitana expilasse. Illas igitur Lucernarias preces alij quotidie: alij, vt in Cypro, & Cæsarea Capadociȩ, die Sabbati, & Dominico semper sub vesperum: vbi accensis lucernis, Presbyteri & Episcopi scripturas interpretantur. Hæc igitur fuère Apostolica quædam assiduæ orationis, siue Canonicæ precationis rudimenta. Sed vt increuerint, dicendum. Vt enim rebus omnibus sua quȩdam est infantia, sua adolescentia, suum denique senium: ita & pietatis atque religionis quædam est pueritia, quædam adolescentia, ætasque matura & florida.

Rudiméta Canonicæ, siue assiduæ precationis, quæ apostolicã spirant originem.

Crescente igitur indies Christianorum populo, cepit aliquid certi, & quasi præscripti publico conuentui, sanctæque concioni proponi pro vt temporis qualitas, aut auditorum mores postulare videbátur: nisi fortè in præfecti Ecclesiastici arbitrio fuerit relictum: quod equidem arbitror.

Hinc enim orta varia, varias per Ecclesias precandi psallendique formula. Quid igitur varias fuerit per prouincias initio obseruatum, nondum nobis quidem licuit discere. Verum illud incredibili animi huius gaudio apud præclarũ Apostolorum discipulum D. Clementem Ro. legimus fuisse sua Apostolica illa ætate de more Apostolorũ certos Psalmos designatos, qui & ad Aurorã, & ad vesperam quotidie dicerétur.

libro 2. Cóstitutionũ Apostolicarũ. ca. 63.

An non hîc vides lector Christiane horarum Canonicarum, id est Matutinarum & Vesperarum exordium? Sed ne quid resideat scrupuli, ipsa verba Grȩca recitabimus. Posteaquàm orationes exposuisset cur Christianorum cuique sit mane ac vesperi ad Ecclesiam veniendum, hortatur vt quotidi omnes conueniant, ψάλλοντες καὶ προσευχόμενοι ἐν τοῖς κυριακοῖς, ὄρθρου μὲν λέγοντες ψαλμὸν τὸν ξβ. ἑσπέρας δὲ τὸν ρμ. μάλιστα δὲ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου, καὶ ἐν τῇ τοῦ κυρίου ἀναστασίμῳ τῇ κυριακῇ σπουδεστέρως ἀπαντᾶτε, καὶ τὰ ἑξῆς.

Psallẽtes & orantes in Dominicis ac tẽplis, Mane dicentes; Psal. 62. Vespere centesimũ quadragesimum, maximè verò hoc seruetis in Sabbato, & in die Resurrectioni dicato. Verùm in die Dominico diligentius conuenite, laudem Deo laturi, qui per Iesum cuncta condidit, & illum ad nos misit, atque

Kyriaca vocat, quȩ Latini Dominica, Germani sua Græcis germanissima lingua appellãt kyriken, & kyrken pro tẽplis Christo Domino dicatis.

Psalm. Deus deus meus, ad Matutinas, laudes, vti & nũc cantatus.

Psál. Do. clamaui ad té, Apostolorum ætate ad Vesperas decantatus, vtĩ & nunc feria Sexta.

Qualis fuerit olim Missa Dominicalis.

mori permisit,& à mortuis excitauit. quam enim excusationem afferre potest Deo, qui in hoc die non conuenit ad audiendum salutaré de Resurrectione sermoné? in quo tres orationes stantes concipimus in memoriam illius, qui tertia die resurrexit, in quo Prophetarũ lectio habetur,& Euangelij prędicatio,& sacrificij oblatio, atque sacri cibi dispensatio.

Hæc fuêre horarum Canonicarũ exordia Apostolica, hæc earundem initia Euãgelica. Cùm igitur videas Christiane lector tam sancta, tam Apostolica, tam Euãgelica horarum Canonicarum, id est, precationũ stato suo tẽpore piè reddendarum exordia, an non furere, vereq. insanire conuicti sunt, qui horas Canonicas, diuinasq. statas preces cultus faciũt superstitiosos, aut Idola blasphemant Papistica? Ecquid enim sunt aliud, quàm ordinatio planè Apostolica: imò ex Christi Do. mandato concepta, atq. exẽplo eius exorta? Sed iã quónã modo increuerint,& religioso auctario diuinũ istud cælestiũ meditationũ pensum fuerit paulatim auctũ, explanandũ veniat.

Capitulũ ad horas singulas vestigium repræsentat sacrę scripturarũ lectionis in singulis Synaxibus siue cõuentibus, vt fides aleretur, ait Tertull.

Psalmis igitur Apostolico more Christo siue ad auroram, siue ad vesperã decãtatis, non est existimandũ illam synaxim, siue populi conuentum, siue solemni aliqua lectione scripturarum, aut precatione publica fuisse finitã: quemadmodum & hodie videmus singulis horis recitari capitulum, id est, breuem scripturæ S. sententiam tempori congruam: & addi collectam, id est, communem omnium fratrum nomine precem Deo Patri fusam, & per Do. Christũ conclusam. Quid autẽ Apostoli peculiariter his in synaxibus legerint aut orarint, nobis est hactenus incognitum: nisi quòd apud Dionysiũ Areopagitam mentio est hymnorum Dorothei sui magistri Apostolici. Extat & fragmentũ Apostolici hymni vespertini, quod nuper recitauimus.

Vetus Testamentũ ab Apostolis in Ecclesia lectum.

Vt autem Psalmi & Cantica Ecclesiastica à Christianorum conuentu concinebantur: ita & scripturarum veteris Testamenti lectio ex Apostolorũ instituto frequentabatur, quẽadmodum Origenes disertè testatur Homil. in Iosue. Sic & D. Petrũ ordinasse vt Euangeliũ. D. Marci in Ecclesia legeretur, testis est nobis Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 2. cap. 15. Imò D. Paulus 1. Corinth. 14. docet non solùm

Euangelia in Ecclesiis ab Apostolis legebantur.

diuinas

diuinas Scripturas fuisse in Ecclesia lectas: sed etiam á doctoribus, siue prophetiæ dono præditis duobus, aut tribus explanatas: aliis omnibus auscultantibus & diiudicantibus. Hunc igitur in modum suas Matutinas & Vespertinas synaxes siue Missas, siue Horas Canonicas agebant Apostoli.

Concio scripturarum lectarũ interpres habita ætate Apostolorum.

Missas prisci appellarunt, quas hodie dicimus Horas Canonicas.

Iam his duabus duntaxat synaxibus, Matutinam dico & Vespertinã Apostolos diem transegisse, totóq. reliquo tẽpore inerti otio, solidamq́. noctem ignauo somno fuisse deditos, aut non aliis quoque horis statis orasse, ecquis ausit affirmare? Si Ierosolymis in conspectu hostium, & capitalium persecutorum non dubitant templum gregatim accedere ad horam orationis Nonam, id est, tempore Pomeridiano, sub horam nobis tertiam, an hunc orandi morem eos prætermisisse dixeris, vbi iam sua agebant in libertate, & quadam veluti halcyonia tranquillitate, suaq́. in Ecclesia alicubi à procellis libera Deo assiduè laudando deditissima?

Vide Cassia. & Regulam D. Benedicti.

Certè exemplo Dauidis nocte ac die ipsos Deum laudasse est consentaneum, quod de D. Paulo & Sila Lucas testatur: vti & Danielis exemplo, tempore sacrificij Vespertini: quod Lucernariæ illæ preces loquuntur maniféstius, quàm vt piis lectoribus longiori oratione pariamus fastidium. Imò quis illum reprehenderit, qui ad Dauidis formulam eos septies in die laudem Domino reddidisse asserat?

Testatur D. Hieron. Comment. ad cap. Danielis 7. tria illa tẽpora, quibus diuinus Propheta in die flectebat genua, Deúq́ue confitens adorabat, Traditionem Ecclesiasticam intelligere, Tertiam Horam, Sextam & Nonam.

TERTIA. SEXTA. NONA.

Varias autem Synaxes, siue Christianorum conuẽtus cùm ad communem omnium precationem, tum ad S. Eucharistię communionem, quas nũc Horas vocamus Canonicas, Prisci Missas, variéque olim fuisse obseruatas, videat lector studiosus apud Socrat. lib. 5. cap. 21.

Et quidem quod ad præsens institutũ de statis orandi, siue psallendi temporibus attinet, nulli pio non poterit non vehementer probari, cui modò aut orationis assiduæ virtus est nota, aut pium colendi Dei institutum cordi est. Qui probè per-

Quibus nõ possint nõ probari Horæ Canonicæ.

perſpecta habet ingentia Dei opt. per Dominum Chriſtum Ieſum nobis aut hîc largita beneficia, aut in poſterũ pręparata, non poteſt nõ cũ Dauide proclamare, Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum! quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Si hiſce atque aliis de cauſis meritò ac rectè toto ex corde laudandus eſt Deus, cur non & toto tempore, dum iſthic tetrico miſeri viuimus in exilio? Sed tantis Chriſti Do. beneficijs nõ omnes Chriſtianos fore ingratos Dei ſpiritus ore Dauidis prædixit. Expoſitis namq. Pſal. 71. incomparabilibus Chriſti Do. donis, quibus ſuum bearet populum, nobile adtexuit Elogiũ, προσεύξονται περὶ αὐτοῦ διαπαντὸς, ὅλην τὴν ἡμέραν εὐλογήσουσι αὐτον, adorabunt ipſum ſemper, tota die laudabũt eum. Quod diuini ſpiritus oraculum, cùm per Horas Canonicas impleatur, quiſnam omnium, cui vel pietatis vnciola eſt reliqua, eas queat improbare, nedum impietatis accuſare, aut temerè damnare?

Pſal. 71. Dei Spiritus prædixit fore, qui Chriſtum tota die laudarent, aſſidueque Canonicas Horas ipſi concinerent.

Eximius ille Prophetarum Dauid Rex, cui conſtitutũ erat de Chriſto Epinicijs, ſacriſq. odis celebrãdo, egregius Pſaltes Iſraël, per quem Spiritus Domini loquutus eſt, cùm Arcam Dei, honore, quo potuit, maximo in Tabernaculum ipſi præparatum traduxiſſet, ſuæ iudicauit eſſe in Deum gratitudinis, vt perpetuos pſallendis Dei laudibus, commemorandiſque diuinis beneficiis præficeret Cantores, Aulædos, Cytharædos, & qui canoris Cymbalis, Lyris, Cytharis, omnique inſtrumento muſico perſonarent, tubis iugiter clãgerent, nablis, argutiſq. æramentis concreparent.

Dauidem grata in Deum pietas coëgit aſſiduos conſtituere Cãtores qui indefeſſas Deo laudes omnegenis harmonia pſallerent.

Horum alios voluit auratis nablis arcana cantare; alios pro Octaua ſonoris ſiſtris canere Epinicia; alios melodiam iubilationis cõcinere; alios coram Arca Dei iugiter tuba clangere. omnem hũc chorum muſicum tanta pompa, tam feſta, tam auguſta ſpecie inſtructum, qui aut temerè aut ſtultè Sanctiſſ. virum, diuinæque voluntatis peritiſſimum in templum Dei inuexiſſe dicat, an ſatis habeatur ſobrius?

Cuius igitur furoris fuerit hæc, & eiuſdem generis omnia ſuperſtitionis, aut Idololatriæ accuſare? quod nũc Catholicis

vitio vertitur. Verùm ab isthac infami Anonymorũ Confessionis Augustanæ patronorũ criminatione nos illustre Dauidis exemplũ vindicauerit apud æquos bonos omnes iudices.

Quos enim iussit Psalmos variis musicorũ generibus decantandos,& variis instrumentis modulandos ante Arcã Domini,nouimus Christiani, qui solo titulo nõ viuunt cõtenti, quàm solidas Dei opt. laudes habeãt, quã gloriosa contineãt Christi Do. victoris,nostriq́. Saluatoris singularis Epinicia.

Scopũ igitur institutæ à Dauide Propheta perpetuæ Psalmodię coram Arca Domini, qui vel per transennã perspectũ habet,non poterit non summoperè laudare sanctissimum pij viri institutũ. Testantur autẽ diuinę literę Dauidẽ cõstituisse corã Arca Domini Leuitas,qui ministrarẽt ac recordarentur operũ Domini,& glorificarẽt,atq.laudarent Do. Deũ Israël.

Quod singulare pietatis eximiæ opus vero Dei cultu cumulatissimũ, iugiq́. exercitio statis sacrificij quotidiani temporibus exhibendum,si tam fuit Deo gratum, vt ad nostram doctrinam & æmulationem sit in Sacras literas relatũ,ecqua fronte nos audeant personati isti calumniatores aut impietatis,aut idololatriæ sugillare, quòd perpetuas Dei laudes Horis Canonicis comprehensas in templis Deo opt.max.decantamus? Si ille laudatur,quòd iugiter suos psallere instituerit, quòd assiduas Dei laudes celebrãdas ordinarit, cur nõ & illi iustã merentur laudẽ,qui statis saltem horis quotidie student Deũ suis laudib. prędicare,& supplicibus precibus cõciliare?

An quis mortaliũ nimias Deo referat gratiarũ actiones?an vllus Dei cultus sit immodicus?an quis Deo plus ęquo se gratum studeat exhibere?an quis recordandis & cõmemorandis Dei opt.in nos beneficiis vnquam peccarit?

Has laudandi assiduè Dominum Christũ causas Religiosi maiores nostri considerantes,non satis putauerunt bis,ter,de die conuenire ad communes fundendas Deo preces: sed ad pij Psalmodiam Dauidis septies Deum laudibus celebrare, grataque commemoratione præstita sibi, suoque populo ingentia beneficia prædicare. Sic enim variis diei quasi stationibus,vigiliarumque mutationibus Deum laudare non modò lassitudini & fragilitati obnoxiis fuit commodius : sed etiam vtilius , quòd hæc psallendi varia per temporum inter-

Vtilitas maxima ex certis Horarum Canonicarum interuallis.

interualla, diuersitas mẽtis fastidium, atque animi torporem pellit, adeóque profligat: quæ ex perpetua earundem rerum æqualitate oboriri solet. Tædium etiam, quod animi quadam grauedine, ac quasi fatigatione ex iugi earũdem rerum similitudine mortalibus ægris nascitur, hac ratione vincitur: quo tædio animus tentatus facilè ad futiles, vagasque cogitationes dilapsus à proposito & oratione sæpe aberrat. quod vti D. Basilius eruditissimè tradit, cap. 37. quæstionum diffusius explicatarum: ita verissimũ esse testantur passim Cantores Ecclesiastici: quibus Domini Canonici nostræ ętatis plerique omnes cùm onera iugiter psallendi, perpetuoque cantandi imponant importabilia, ipsi ea ne digito quidem dignantur attingere: quõd de Pharisæis ait Dominus, quorum iudicio nostrum erit multò grauius & acerbius, quòd tam ingentia accipiamus Ecclesiæ stipendia, quorum officia tamen non præstamus: ac ne labiis quidem, vt illi, Deum honoramus, aut preces horarias reddimus. Sed si Canonici, qui vocantur, sua noscent bona: si suam probè cognitam haberent in Ecclesia functionem, assiduè pro Dei populo deprecandi: si denique Angelicas suas Deum iugi Hymno cum Cherubim laudandi agnoscerẽt partes, quas nunc, prò dolor, animi dulci fortuna, rerumque copia ebrij tenebræ à delitiarũ luxu offusæ faciunt tum insipidas, tum molestas; non tam segnes, torpidi atque fastidiosi in præstando suarum Canonicarum Horarum penso reperirentur. Quod vt magis perspiciant, nos hîc ex D. Basilio sanctissimæ rei ac verè Angelicæ originem perstringemus.

Canonicorum quorundã Pharisaismus, qui Cantoribus imponunt onera intolerabilia, quæ nec digito attingere dignãtur.

Causæ quæ ignauos Clericos ad ardẽtes Psalmorum preces suis Horis reddendas extimulent.

Cùm ad orationem, inquit Serm, de Instit. Monachorum, nulla non vitæ pars oportuna habenda sit: quia tamen datis quibusdam interuallis ab illa psalmodiæ, genúque flectionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maximè horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille David ait, Media nocte surgebam ad confitẽdum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. quem sanè Paulus quoque & Silas secuti reperiuntur, cùm in carcere positi, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem Propheta,

Cur stata orãdi atque psallendi interstitia olim in Ecclesiis instituta.

Fontes Horarũ Canonicarũ ex D. Basilio licet eruere: qui eos in scripturis sacris demõstrat.

Vespere,

Veſpere, Mane, & Meridie. Quin & Spiritus ſanctus circiter horam diei tertiam miſſus fuit, ſicut ex Actis accepimus. quo tempore, cùm propter variam illam linguarũ efficacem vim Phariſæi diſcipulos irriderent, negauit Petrus eos ebrios eſſe, qui ea loquerentur: ſiquidem horam illam tertiã fuiſſe. Porrò Nona Dominicæ paſſionis memoriã refert, illius quæ vitæ noſtræ cauſa ſuſcepta eſt. Verùm quoniam item hoc eſt apud eundem Dauid, Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ; tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam ſeptenarium orationis numerum conficiunt; bipartitò diuidenda meridiana oratio eſt; ita videlicet, vt pars vna cibum præcedat, altera ſubſequatur, quò perpetua hæc nobis formula ſit Deum ſepties per ſingulas dierum conuerſiones laudibus celebrandi. Ita D. Baſilius: quæ hîc ſtrictim delineauit, alibi perſequitur latius, Quæſtionibus fuſius diſputatis cap. 37.

Cur ad ſingulas Horas Canonicas agēdæ Deo gratiæ. Canonē appellat D. Baſilius, quod alij Horas Canonicas.

Poſtquàm docuiſſet cur nulla ex cauſa negligendæ eſſent viris religioſis, perpetuoque Dei cultui deuotis preces tempore certo præſcriptæ (quas ſuperius Canonem appellarat, quòd in earum ſingulis quædam peculiaris eſt Dei in nos beneficiorum commemoratio) Hunc in modum ſingularum Horarũ, quas ad illius imitationẽ dicimus Canonicas, exponit variæ gratiarum actionis cauſas.

Ad Matutinũ cur laudandus Deus.

Matutinum quidem tempus Orationi, ait, eſt delectum, vt primi animi ac mentis noſtræ motus conſecrẽtur Deo: neque vllius rei curæ ante aditum ad nos demus, quàm nos in cogitatione de Deo oblectauerimus: ſicut ſcriptum eſt, Memor fui Dei & delectatus ſum. Neque corpus prius ad functionẽ muneris alicuius moueamus, quàm illud fecerimus, quod dictum eſt, Orabo ad te Domine, mane exaudies vocẽ meam: mane aſtabo tibi.

TERTIA.

Tertia verò Hora, vt in ea ad orationem ſurgatur, fratresq. omnes in vnũ congregentur, licet diuerſis in locis, alij in aliis operibus ſint occupati: idque ea re, vt admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc ipſam Horam Apoſtolis datum fuit, vno eodem animo cuncti illum venerentur, ab eoque petãt, vt & ipſi digni ſint, qui ſanctificationem ſuſcipiant: ſimulque

O vtinã aurea hæc D. Baſilij verba Clerici noſtri atq. Religioſi ſatis ſibi haberẽt medi-

tata! Certe alia pietate ac deuotione suas Canonicas Horas deo persoluerét, atque statis, certisq. interuallis lectitarent, nec simul conglomerarent.

vt salutaris sibi doctrinæ, & recti itineris dux esse, & auctor velit, illum imitátes, qui dixit, Cor mundú crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis, Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma. Et alio in loco, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: atque ita denuò ad intermissa opera redeatur.

Quòd si fortè aliquos vel propter operum, vel propter locorum naturam eo tempore abesse longius contigerit, quám vt vnà cum reliquis præstò esse possint, ij, vbicunque fuerint, ea necessariò ibi exequi debent, quæ cómuniter statuta sunt, nihil hęsitantes omnino; quia vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, inquit Dominus, ibi in medio eorú sum.

SEXTA.

Porrò Sexta Hora Sanctorum exemplo necessariam esse orationem iudicauimus, apud quos est, Vespere, & Mane, & Meridie orabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. In qua quidé vt liberemur ab incursu & dæmonio meridiano, nonagesimus etiam Psalmus recitetur.

NONA.

De Nona verò, quòd ea ad orationem nobis necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, quòd Petrus & Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis Nonam.

VESPERÆ.

Completo verò iam die, pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterque nobis euenerint, gratiarum actio succedat, ac eorum quæ vel per consensum, aut secùs contra animi sententiam prætermissa sint, Confessio: ac sicubi latés delictú aliquod admissum fuerit verbis, operibúsue, aut etiá corde, pro his omnibus oratione adhibita veniá nobis à Deo comprecabimur. Siquidem ad similia peccata iterum euitáda, valde vtilis est præteritorum consideratio. Idcirco Dauid dicit, Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris cópungimini.

Confiteor vnde apud quosdam legatur in Completorio.

Psal. Cùm inuocarem, sub noctem olim dicebatur. vti &, Qui habitat in adiutorio.

Tum autem primis iam se noctis intédentibus tenebris, sequitur petitio, vt quies quam sumus capturi, inoffensa, & ab omni perturbatione ac vitio libera sit. qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet.

De

De tempore autem dimidiæ noctis, quòd id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est à Paulo & Sila in Actis. Scriptum est enim sic, Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum. Atq. hoc quidem etiam Cantor Psalmorum confirmat, sic dicens, Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

Nocturnus vnde originem ducat.

Act. 16.

Pòst anteuertendum diluculum est, & ad orationem surgendum, cauendumq. ne dies nos in lectulo dormientes opprimat; & ille imitandus, qui dixit, Præuenerunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua. Porrò ex his omnibus, quæ diximus, statis tẽporibus, nullum ab ijs prætermitti debet, quorum vitæ propositum est, vt quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei & Christi eius referant. Atque vtilis etiam, meo quidem iudicio, hæc in orationibus & Psalmorum decantationibus, quę certis temporibus fiunt, diuersitas est atq. varietas, ob eam causam, quòd in perpetua similitudine & æqualitate rerum animo, nescio quo modo, torpedo quædam plerumque oboritur atque tædium, eaque re aliud agens, ad futiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem, varietateq. cùm Psalmodiæ, tum singularum Horarum rationis mẽtisq. studium ipsum renouatur, & attentio instauratur. Hunc quidem in modũ de Canonicis horis D. Basilius. quibus in verbis etsi disertè nulla fiat quotidiani Sacrificij, siue Latinę Missæ, siue Græcanicæ Liturgię mentio; non tamẽ arbitrandum, silentio esse hanc potissimã Dei laudẽ adobrutam, quæ hac de causa nomen meruit Eucharistia. Siquidem hanc statam precem sub hora Canonica Sexta, siue Meridiana complexus esse existimari debet. Nam Serm. 1. de Instit. Monach. admonet bipartitò diuidendam orationem Meridianã: vt vna cibum præcedat: altera subsequatur. In antemeridiana igitur gratiarũ actione illa etiã Liturgica est comprehensa, vti hodie videmus, & claris verbis antiquiss. suffragantur Scriptores. Eundẽ namq. Psal. 53. Versiculũ, Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, Euthymius Basilij studiosiss. discipulus interpretaturus, annotat illis vocibus tẽpora trium magnarũ Synaxeon signari, quas, inquit, Collectas dicimus: puta, Matutinum, Vespertinum, & Ministerium: quod fortè dixit

Ad diluculum olim laudes, quæ dicuntur, decantatæ.

Piorum Clericorum atque Monachorum scopus quisnã esse debeat.

Synaxis Liturgica, siue Summa missa est D. Basilio in Sexta Hora comprehensa.

Tres magnę Synaxes quotidie apud Græcos matutinũ, missa & Vesperę.

dixit Liturgicum à Liturgia,quæ publici Sacrificij habet ministerium, quæ Missa, etiámnum hoc nomine apud Græcos ab Apostolorum vsque temporibus vocatur Liturgia, vti ex D. Luca cap. 13. Actorum perspicuum est. In hac autem Sacrificij Liturgia, quæ Latinis nomine æquè ambiguo Missa dicitur, (vtrumque enim nomen tam Græcis, quàm Latinis veteri more ad alia etiã pertinet diuina officia, vti apud Cassianum & D. Benedictum est videre) Apostolos non solùm Sacros Hymnos, diuinosque Psalmos legisse existimandum est: sed publicas etiam preces, quales D. Paulus suo præscripsit Timotheo, adhibuisse. Huius rei testem adducimus D. August. qui epist.59.illas Paulinas voces diuino Missæ Latinę sacrificio eruditè admodum demonstrat respondere.

Horæ Canonicæ olim etiam dicebantur Missæ.

Actor. 13.

Synaxis Liturgica est Latinis summa Missa.

Orationis formulã in Missis solemnem esse D. Pauli ait August. Epist. 59.

Sanè vt Collectæ festorum & Dominicarum Apostolicam spirant pietatem: ita suauissimam simul & aptissimã habent concinnitatem,gratissima conditam breuitate,incomparabiliq. verborum Energia,vocumq. Emphasi illustratam.

Collectæ Apostolicam spirãt pietatẽ, & Spiritum Christi redolent.

Quod de Collectis diximus,idem & de Secretis precibus, simul & de Communione, siue Complenda, quæ pro abituriente populo funditur,est accipiendum.

Quanquàm omnium Ecclesiarum non idem planè est orandi hac in Liturgia vsus, idem orationum ordo, aut verborum forma; quod & hodie apud Latinos vsu venit, cùm aliter Romana, aliter Mediolaneñ. aliter Hispanieñ. D. Isidori Missa celebretur: tamen res ipsa vna est atque eadẽ, nõ magis hoc orandi ritu varia, quàm homo nunc serico,aut sago,nunc Leuidensi vestitus,aut purpura.

Secreta sunt preces ad sacrificium pręparatoriæ secretiores, quòd non canantur, sed mystico peragãtur silẽtio,quasi sacerdote Dei & hominum mediatore, sanctã sanctorum ingresso.

Cæterùm Apostolos illam publicam pro variis hominum generibus orandi formam condidisse, qua etiámnum Romana toto Latino orbe vtitur die S. Parasceues Ecclesia,nũc est demonstrandum.

Precãdi formulam in Missa die S. Parasceues esse Apostolicam.

Cùm Pelagiani hominum omnium ingratissimi cælestẽ Christi Domini gratiã oppugnarẽt, audi obsecro vnde huius saluberrimi pharmaci efficaciam statuat Cælestinus vir deuotissimus iuxtà ac eruditissimus.

Præter Apostolicæ sedis inuiolabiles sanctiones, inquit Epistola prima ad Episcopos Galliæ, cap. 11. obseruationum

quoque

quoque ſacerdotalium Sacraméta reſpiciamus,quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia Catholica vniformiter celebrantur; vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum plebi Præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud diuinam clemētiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum congemiſcente Eccleſia,poſtulant & precantur,vt infidelibus donetur fides, vt Idololatræ ab impietatis ſuæ liberētur erroribus,vt Iudęis ablato cordis velamine,lux veritatis appareat,vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt Schiſmatici ſpiritum rediuiuæ caritatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, vt denique Catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis aula miſericordiæ reſeretur.

Ex formula orãdi publica rectè colligitur publicum Eccleſiæ dogma.

Apoſtoli mandarunt orandũ pro Iudæis & hæreticis.

Hũc publicum Eccleſiæ pro infidelibus gemitum illa etiãnũ vox ſonat, flectamus genua: ad quam olim tota humi prouoluebatur Eccleſia.

Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrant effectus: quandoquidem ex omni errorũ genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filij caritatis ſuæ, & ex vaſis iræ, faciat vaſa miſericordiæ. Quod adeò totum diuini operis eſſe ſentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio,laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

Quis obſecro tam eſt Chriſtianæ diſciplinæ rudis, vt hîc non videat publicas illas preces, quas tota Europa die S. Paraſceues Deo optimo fundit hiſce verbis delineatas? Habes ergo pie lector Apoſtolicas Matutinas, habes Apoſtolicas Veſperas, habes & Apoſtolicas Miſſas ſiue Litanias tempore diuini ſacrificij Euchariſtici ſolitas celebrari.

Hiſce exordijs alij pios ſubinde addidêre alias preces, aut Doxologias, quemadmodum alibi erit oſtendendum fuſius. D. Ignatium Apoſtolorum diſcipulum Hymnos, Reſponſorios, ſiue τὰς ἀντιφώνας in Sacroſanctæ Triadis laudem ſtato tempore decantádas in Synaxibus Eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe diſertis verbis Socrates lib. 6. cap. 8. affirmat.

Apoſtolicis precibus pij ſuas ſubinde addidêre.

Ignatius cum Apoſtolis conuerſatus,inquit,Viſionem Angelorum per Reſponſorios, Hymnos, Sanctam Triadem laudantiũ vidit,& modum viſionis Antiochenæ Eccleſiæ tradidit. Vnde & ad omnes iſta traditio permanauit.

D. Ignatius Antiphonas adiecit.

Protestantes per Germaniã ctiã- num pleriq. Horas Can. seruãt.

Hisce Apostolicis originibus natas Horas Canonicas, siue preces statis temporibus Deo opt. decantandas, qui inter Euangelicos moderatioris sunt ingenij non arroganter respuũt, aut cæca temeritate impietatis damnant: nedum istis cum personatis Confessionistarum patronis Anonymis (qui velut personati de plaustro loquuntur, quod in buccam venit, omnia Theonino dente arrodẽtes) idololatriæ accusant: sed suis etiam in Ecclesiis seruandas statuunt.

Synod. Torgeñ. Lutherana decernit Horas Canonicas obtinẽdas, an. 48.

Hinc in conuentu Torgensi à Duce Mauritio anno 48. indicto Wittenbergenses Theologi Melanchthon, Eberus, atque Forsterus cum aliis eas decreuerunt obtinendas. Capite enim de Missã sic definiunt. Horæ etiam Canonicæ (inquiũt fol. Tt.a.) in illis oppidis in quibus anteà hoc fieri consueuit, accinendæ.

VVirtembergeñ Confessio easdẽ probat.

Similiter & Confessio VVirtembergensis approbat Horas Canonicas & Psalmodias, quales D. Ambrosium instituisse refert D. Augustinus lib. Confess. quibus tamen alias esse antiquiores, ex ijs quæ dudum dicta sunt, liqueat.

Agenda Eccles. Saxonicarũ Horas Canonicas præscribit suis ministris Confessionistis, cum Hymnis Eccles. & Magnificat.

Sic & Agenda Lunenburgẽsium Ecclesiarum certos Psalmos ad Vesperas Sabbathi, profestis ac festis cantandos præscribit cum Hymnis Ecclesiasticis, & Magnificat. fol. E. iij.

Sic & Illustrissimi D. Iulij Ducis Braunswyceñ. agẽda pleniorem Canonicarum Horarum retinet speciẽ, cùm suis pręcipit vt in Vesperis canantur Psalmi 3. 2. vel vnus cum Antiphona Dominicæ, vel festi. Deinde Capitulum, siue Lectio scripturæ noui Testamenti. quam vult per Adolescentulum recitari. Deinde Responsorium siue Hymnum Ecclesiasticũ de Tempore. Tum Magnificat latinè interdum (nam & Psalmos vult decantari latinè ex versione antiqua, vsitata, latina inquit fol. 371.) interdum Germanicè. & vbi est organorum vsus, alternatim vult cantari Cantici huius Virginei Versiculos per organa. Sequitur Collecta cum Benedicamus Domino. Quæ Vesperarum forma an à nostra Catholicorum dissentiat, in conspicuo est. Sed maiori animi huius voluptate aspeximus formam Horarum Canonicarum, quas in Monasteriis præscribit studiosis. MANE namque ad Campanæ pulsum conuenientibus, Psalmus post communes preces recitatur

Vespetę qua forma fiant apud Braunsvvyceñ.

Synaxes siue Horas orandi varios statuit Dux Iulius.
1. Ad Auroram.

citatur ab vno, clara voce. DEINDE ad alteram Synaxin hora 8. aut 9. studiosis cõuenientibus cantantur Psalmi tres, vel duo cum vsitatis Antiphonis de tempore. tum legitur totum caput latinè, ac germanicè ex vet. Testamento; quod per duos hebdomadarios fieri statuit. Deinde Benedictus accinitur; sed alternis diebus Symbolum Athanasij cum Antiphonis de tempore & Collecta. TERTIAM iubet fieri hora quarta, quando in Choro cantantur duo Psalmi, Antiphona de tempore, Capitulum noui Testamẽti, Magnificat, vel Nunc dimittis, alternatim, cum Collecta. POST Cœnam vult eos conuenire ad precem Vespertinam, vbi Psalmus vnus legitur cum precibus communibus & oratione Dominica. Hîc vides Lector Christiane Horas Canonicas, siue Synaxes monasticas quatuor. Itaque non erit de reliquis tribus difficilis concordia, vt septem Horas Canonicas nobiscum recipiant.

2. Hora 8.

3. Pomeridiana.

4. Vespertina

Quæ qui considerarit pressius, agnoscet nullam esse hac ex re amplius dissentiendi causam, nedum iustam esse Ordinum Protestantium excusationem, cur Catholicam deseruerint Ecclesiam.

Quare cùm ex Apostolico more Christiani orarint Nocte, ad Auroram, Mane, ad Tertiam, id est, nobis Nonam antemeridianam. ad Tertiam pomeridianam, ad Vesperá, ad Lucernas, quid obsecro est in Horis Canonicis, quod non Apostolicam redoleat; imò planè recipiat & spiret originem, luculentamque inde nõ hauriat imitationem? Modus orandi ex communi Christi Domini & mandato & exemplo conuenit, tempus congruit, hora consentit. Cùm igitur Horas Canonicas Apostolicæ demonstrauerimus originis, certæque ipsorum imitationis, quas & Theologi VVittẽbergenses, alijq. Protestantes obtinendas, disertis admodum verbis statuunt. Nunc ad Processiones religiosas procedat oratio defendendas.

CAP. LIIII.

INTER alia Christianæ Religionis capita, quæ religiosi illi Confessionistarum Patroni immani furore lacerata ineptissimè dictitant blasphema, Idololatrica, & Diabolica, obstupui cùm ad Processiones Religiosas, siue dies Crucis, in-

Processiones publicę an meritò aduersariis improbatæ.

quiunt folio 175. & quæ fiunt in die S. Marci, inquiunt folio 177. & in hebdomada Rogationum, in præclarum istum suũ
» Idolorum papisticorum referunt Catalogum.
» Istæ Processiones enim religiosæ quid obsecro iustæ habeát
» offensionis, si æquo, imò si Christiano iudicio considerétur? An non fidei Christianæ, imò & diuinæ adeò promissioni cõsentaneum est, facilius plurimorum preces exaudiri, quàm vnius? An non ita Christi promissum nobis pollicetur, vbi duo vel tres in nomine meo fuerint cõgregati, ibi sum in medio ipsorum? Quid igitur æquum est nos de clementissimo Patre nobis polliceri, vbi totus Christianę Ecclesiæ grex orandi Deum Patrem pia deuotione congregatur, votisque supplicibus ardenter deprecatur.

Certè vt priuata oratio Deo est gratissima: ita publica longè est ad impetrandum, quod postulamus, efficacissima. Præclarè namque à D. Basilio dictum, vbi Tyanæos ad concordiam fuisset variis exemplis hortatus, oratio ipsa ad Deum fusa, inquit epistola 68. μὴ ἔχουσα τοὺς συμφωνοῦντας, ἀσθενεστέρα πολλῷ ἑαυτῆς, quæ nõ est Comprecatores nacta, multò est seipsa languidior atque debilior.

Litanię à publico habent nomen, q. d publica & omnium communis deprecatio.

Quod vt Maiores nostri suos quoque admonerent, publicas has Christianæ Ecclesiæ preces dixerunt, Litanias, quasi τοῦ λίτου, siue τοῦ λάου ἢ λέου, populi orationes. Quæ tã sunt antiqui exempli, vt & D. Basilius 63. epistola ad Clericos Neocæsarieñ. eas cõmemoret, atq. ætatem D. Greg. Taumaturgi, mirabiliumq́. effectoris resipere videantur. Eas licet nonnihil immutassent Neocæsarieñ. laudat tamẽ Basilius; qui & se & suos aliud nõ agere docet, quàm suis pro peccatis λιτανεύεσθαι publica prece Deo opt. supplicare. Sic enim D. Basilij locus ab interprete minus explicatus, est reddendus.

Processionum antiquitas.

Hasce Processiones publicas & Ecclesiæ Litanias ab illa Apostolica vsq. antiquitate, omnis semper vbique locorum, tam per Germaniam, quàm Græciam frequentauit Ecclesia Christiana: quæ Romæ tam fuêre celebres, vt stationes inde omnibus notissimæ videantur natæ. De his singulatim dicere si pergamus, opus nobis excrescat maius Iliade. Quare vela contrahentes pharmacum insanis istis Anonymis Ecclesiæ

momis

momis parabimus, vt exiguum, ita longè omnium saluberrimum ex Reuerendi sui magistri Lutheri, quem virum Dei appellare, Sanctumq. Prophetã scribere non dubitant, Narthecio depromptum. Hic igitur quanti faciẽdas, & quàm reuerenter ac religiosè colendas has Processiones, quæ diebus Crucis, siue D. Marci, siue hebdomada Rogationum solẽni ex more apud Germanos celebrãtur, sua docet concione planè aurea: quæ etiámnum Tomo Postillarum maiorũ añ. 46. Basileæ apud Heruagium extat impressa. Postquàm abusus earum varios iusta de causa reprehẽdisset, verumq. eas castigandi remedium demõstrasset: modum ostendit vt religiosè peragãtur, efficaciterq. impetremus, quod illis piè à Domino Deo petitur, communibusq. votis postulatur.

Ex Lutheri Narthecio insanis calumniatoribus, remedium paratur.

Processiones quomodo reformandæ, ac qua pietate colendæ.

Sic igitur habet ista Concio, quam verè diximus auream. In omnibus Litaniis, aut supplicationibus sic agamus (inquit fol, 484.) vt res nomini conueniat, fiatque Litania, hoc est, " supplicatio illa ex vera & seria fide, qua Deum suarum pater- " narum promissionum admoneamus. "

Qui hoc facere nequit, domi maneat, & à supplicatione abstineat, ne Deum plus irritet, quàm alij precari possint. Quanquàm, prò dolor, supplicationes illæ solemnes in sceleratissimum abusum iam cesserint, vt pleriq. omnes in eis sese ostentent, & inanibus fabulis, ac risu pio suppliciis vtantur.

Prudens hîc reticeo alia flagitia, quæ in his patrãtur. Adde furorem paganarum Litaniarum, quæ potando, & in pandochæis transiguntur. Cùm insignia ac vexilla ita tractantur, vt non mirum esset, si vno anno Deus nobis exitium adferret. Quid multis? eò illæ redierunt, vt iam maiores causæ sint, eas cum feriatis diebus tollendi, quàm olim fuerint instituendi. Hîc Episcopis & prophanis etiã Magistratibus aduigilãdum esset, vt abusus illi vitarentur. Deinde adtexit, quid tum piis agendum, quid à Deo postulãdum. Duo autem in hisce Rogationum diebus petenda sunt: & quæ sequuntur, dudum commemorata in Campanarum pulsu cõtra aëris tẽpestates.

Abusus Processionum per Episcopos tollendi.

Ex hac Lutheri doctrina etiam apud Protestãtes plurimos perseuerauit hæc publica processionum Ecclesiasticarum ceremonia in hunc ferè diem vsq. celebrata, quemadmodum

Nicolaus Amſdorfius teſtatum facit Confeſſione ſua, quam impuriſſimus homo vocat puri Euangelij: vbi deplorat miſer quoſdã Proteſtantes rituũ & ceremoniarũ mutationes inuexiſſe in Eccleſias Lutheranas: qua vna re illas ait per Germaniam diſſipatas & perturbatas. Nam in hunc diẽ, inquit, plurimi in talẽ inciderũt errorẽ & diſſipationẽ, vt neſciãt vbi nã ſint, aut quid agendũ: adeò vt vnà cũ Euãgelio (puta Lutheri) etiã aquã & ſalẽ conſecrent, & cũ aqua, Crucibus, Vexillis, & Cereis Dominico, aliiſq; diebus proceſſiones per Eccleſię ambitum celebrent, more Paganorũ, offerant & Miſſam faciãt; ita vt difficulter ad rectũ (veritatis noui, ſcilicet Euãgelij) iter ſint redituri. Ita quidẽ nugator ſtolidiſſimus de Proceſſionibus iudicauit aut potius delirauit, ſui magiſtri Lutheri oblitus: qui illas Proceſſiones docet admodum neceſſarias.

Lutherani Proceſſiones celebrant cum Crucibus & Vexillis, aqua ſacra, & Cereis.

Sic enim habet Concione dudũ recenſita ex tom. Poſtill. Quocirca quãquam nullo non die noſtra tempeſtate ſupplicationes cum rigida corporis caſtigatione peragendæ eſſent, ad auertenda tam horrenda omniũ ſcelerũ diluuia, maximè » in his regionibus, commeſſationibus, perpotationibus, otio » & vitiis, quæ ex hiſce ſequuntur deditiſſimis; vti Deus tandẽ » aliquando gratia ſua nobis affulgeret, quò donis ſuis ad ani- » mæ ſalutem & corporis ſalubritatẽ vteremur: ſic vt hæ ruris » opes, tam ad corporis, quàm ad animæ ſanitatem tutandam » adminiculo nobis eſſent.

Cur Germanis Proceſſiones neceſſarias docuerit Lutherus.

Quam Lutheri doctrinã, ſi & Academici VVittembergeñ. conſideraſſent accuratiùs, non tam futiliter de Proceſſionib. à Duce Mauritio in vſum reuocãdis propoſitis reſpõdiſſent. Euocati enim Torgam Octobri menſe anno 48. Melanchthon, Paulus Eberus, & Forſterus cum aliis, ita ad Religionis conciliandæ capita reſponderunt.

Academici VVittembergeñ. ſuo refragantes Magiſtro Luthero, cenſuerunt abolendas Proceſſiones propter abuſus & feminarũ raptus à nobilibus.

» Proceſſiones (inquiunt, actis Conuentus fol. SS.3.) iudica- » mus impedimentum aliarum neceſſariarum operarum, & no- » tum eſt multa turpia facinora in magnis Proceſſionibus perpetrata fuiſſe, & potentes quoſdã dominos formoſas feminas ex Proceſſionibus raptas abduxiſſe. Quales verò laudent Litanias ſubtexunt: Contrà autẽ, vero ſtudio in Eccleſijs veræ querelæ, & precationes vnà cum Litaniis ſeruari debent. O præ-

Quaſdam Litanias approbant Theologi VVitenbergeñ.

præclaros Theologos, qui rem multò ſaluberrimam, & iudicio ſui Apoſtoli Lutheri neceſſariá propter, neſcio quos, abuſus volunt abolendá! An quia in nuptialibus Conuiuiis multa patrantur facinora etiam illa cenſeant abolenda? Sanè ſi & illa deleant, vbi ergo ſaltent graues iſti Theologi? Euangelicũ enim putant ſi ſuis tripudiis conuiuia cohoneſtent nuptialia, quemadmodum videre fuit Philippum Melanchthonẽ ſeniculum multorũ riſu Ratiſponæ in Cæſareo Colloquio coronatum choreas ductitantem. Sed potentes quidam domini formoſas feminas ex Proceſſionibus, vti ſolent, abripient. O facinus Euangelicis Primatibus dignum! an non idem faciant in nuptiali conuentu?

Anno 54. Philippus Melancht. coronatus ſaltat & tripudiat in nuptiis Ratiſponæ, tẽpore Colloquij, à Cæſare Ferdinando indicti.

Sed his facinoribus alio eſt opus pharmaco: quod raptum & graſſatorum coërceat violentiam. Non ſunt bonæ, piæq. conſuetudines abolendæ, vt quorũdam facinora caueantur: ſed legitimis occurrendum eſt remediis. Verùm principibus ſuis adulari malunt iſti Grammaticotheologi, quàm ſeuerum Euangelicæ doctrinæ iter monſtrare. Illud enim plus ad farinam.

Quòd ſi & iſti Academici VVittenbergeñ. & perſonati Confeſſionis Auguſtanæ defenſores ſeſe germanos profitentur Lutheri diſcipulos, non poſſunt non eius doctrinam exoſculari, atque cum illo, vnáque nobiſcum in gratiam redire, piamque concordiam Chriſtianis viris dignam religiosè colere, conſtanterque fouere nullo diutius ſchiſmatis ſacrilegio violabilem.

Sed quidnam his in precibus aduerſarios offendat, ex aliis iſtius ſui impij Catalogi notis licet colligere. Sic enim fol. 176 ſua fictitia Idola enumerant. Litania, inquiunt, qua inuocantur ſancti, Salue Regina Hymnus, Cæterũ cùm hæc Litania, ſiue Sanctorũ Catalogus ad inuocationẽ adhibitus pertineat ad generale Controuerſiarũ caput de Sanctorũ inuocatione, non erit à propoſito alienũ, lectorẽ ad ſuperiora remittere: vbi fuſiſſimè iuxta & liquidiſſimè Vet. PP. teſtimoniis confirmatum eſt, Sãctorum inuocationẽ doctrinæ certò Catholicæ, indubitanterq. orthodoxæ eſſe conſentaneam, ſolidiſq. diuinarum Scripturarum exemplis ortam & cõſtabilitam.

Hymnus Salue Regina pius eſt demonſtratus ſupra Antitheſi prima.

Quod

Quod autem ad Hymnum Salue Regina, attinet; quid obſecro habet impietatis, ſi pium eſt Sanctam Dei Genitricẽ inuocare, vt pro nobis oret? quemadmodũ ſupra eſt demonſtratum exemplis Orthodoxorũ Patrũ Naziãzeni, Athanaſij, Auguſtini, à Catholica Dei Eccleſia ante annos plus minus 1300. piè ſolitum factitari.

Rectè Sanctorũ Catalogũ recitari in Litaniis.

Quæ illinc altius repetita, etſi candido lectori ad obtinendam auitæ Religionis fidem meritò ſufficiant Hîc tamẽ Corollarij loco adijciemus, quæ ſolemnem Catholicæ Dei Eccleſiæ Litaniam longo Sanctorum catalogo recenſitam à Sãnarum blaſphemiis vindicent.

Nemo ſe tam ab omni ratione alienum profitebitur, qui quod ſingulatim facere licitũ eſt, neget generatim etiã, ſiue cumulatim fieri legitimè. Vt, ſi vnum Regem, aut alterũ rectè conceſſeris coronam geſtare, tributaque imperare, ineptè alios idem poſſe ieris inficias? Sic ſtupidus ſit oportet atque perabſurdus, qui illegitimam aſſerat Litaniam, quæ Sanctorũ inuocatorũ habet Catalogũ: cùm tamẽ certiſſimis Orthodoxorum Patrũ teſtimoniis, liquidiſq. exemplis demonſtratum fateatur oportet Sanctos fuiſſe annis minimum 1400. orthodoxè inuocatos.

Vide Antitheſin primam.

Sanè qui D. Auguſt. audit pios illos threnos, quibus inuocat D. Cyprianũ vt ſeſe adiuuet. D. Hieronymi ad D. Paulã, vt ſerui ſui meminerit: D. Ambroſij ad D. Petrũ & Martyres: D. Athanaſij ad D. Virginem: D. Baſilij ad 40. Martyres: Nectarij ad Theodorũ: Nazianzeni ad D. Baſiliũ. Prudẽtij ad D. Laurentiũ: aliorumque ad alios: an tam ſit væſanus vt Patres iſtos orthodoxos aut Idololatriæ arguat, aut quod illi ſingulatim piè, ac religioſè fecêre, dicat generatim impiè fieri?

Quid autẽ in Eccleſia vel Ambroſiana, vel Auguſtiniana fiat, magno animi huius dolore nondum diſcere licuit.

Vide Euchologium Venetiis impreſſum.

Verùm quid Græcis paſſim in more eſt, operæpretium eſt ſtrictim cõmemorare. Quæ D. Baſilij aut Chryſoſt. nomine extat Liturgia Græcanicæ Eccleſiæ notiſſima, diſertè Sanctorum tum Apoſtolorum, tum Martyrũ, & in primis Deiparæ Virginis Mariæ apud Deum meminit, vt eorum precibus, & interceſſionibus exaudiantur & adiuuentur.

Qualis

Qualis & apud Latinos pridie S. Paſchatis ad fontem con ſecrandum hymnus ille, Rex Sanctorum, decantatur. Similis eſt Litaniȩ forma qua Græci etiamnum vtuntur apud infirmos, quando extremum S. Vnctionis peragitur Sacramentũ. Nam vbi Latini vulgatam recitamus apud ægros Litaniam, Græci dum æger vngitur orant, vt pro ipſo intercedant Sancti. Sic enim habet Euchologion, fol. aa. *v.* πρεσβείαις καὶ ἱκεσίαις τῆς παναχράντου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου μαρίας τῶν ἁγίων ἐνδόξων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων καὶ τὰ ἑξῆς. Interceſſionibus atque ſupplicationibus incontaminatæ Dominæ noſtræ Dei genitricis Mariæ, & ſanctorum glorioſorum atque vſquequaque celeberrimorum Apoſtolorum. S. Ioan. Chryſoſt. Baſilij, Nicolai Georgij, &c.

Ex hac Grȩcanica precandi formula in Liturgijs vſitata, & apud ȩgros repetita videtur nata, quæ Latinas occupat Eccleſias: ac præcipuè illas, quȩ per Germaniam vtramq. fuêre vnquam ſub Chriſti nomine conſtitutæ. Has enim cùm Græci homines vt D. Chilianus, & ante hunc D. Apoſtoli Pauli diſcipulus Creſcens, S. Eucharius S. Felix Thebanus apud Turegium: aut à Græcis inſtituti, vt Albanus, Willibrordus, Bonifacius, noſtros auos cùm primum ab Idololatriæ tenebris ad Chriſti lumẽ reuocaſſent, ſuis ſacris, Myſterijsque diuinis legitimè imbuerint, lingua Græca (ſed proculdubiò multis verbis populo anteà expoſita) peragendis. Siquidem in hunc vſque diem Traiecti ad Rhenum, quod Batauorum eſt, feria 4. ante Sabbathum ſitientes, Catechumeni ad Baptiſmũ admittendi Symbolum Apoſtolorum Græcè recitant, quod ſic ad verbum quotannis cantatur. Piſteugo iis theon Patyra, pãta cratora piijtin vranu cheges: & quæ ſequũtur. Sic & Gloria in excelſis Græcè modulis noſtratibus apud Fuldam, ſiue D. Albanum, ni fallor, extare codicibus miſſalibus pridem nobis commemorauit vir doctiſſimus Georgius Wicelius.

A Græcis Magiſtris Germani paſſim ſua dedicêre ſacra.

Hanc originem Religionis noſtræ à Græcis acceptam teſtatur & Græca Sancti Euãgelij Græci lectio die S. Dionyſij in occidentali Francia iuxta Pariſios: & die S. Kiliani in vera Francia Herbipoli.

Talis eſt & Litania Græcolatina in hunc vſque diẽ apud

t Tra-

Traiecteñ nostrates vsitata, quæ quotannis diebus Rogationũ plateatim decantatur.

D. Thomas an Germaniæ Apostolus. Ecclesia Traiecteñ. D. Thomã Apostolorũ facit tertium. Litania Græcolatina etiãnum vsitata diebus Rogationum apud Traiectum Batauorum.

Ea post longum Sanctorum Apostolorum (vbi tertio loco D. Thomas quasi Germaniæ Apostolus post Petrum & Paulum celebratur, cui & prima apud illos fuit Christianorum Ecclesia in Dei honorem dicata) aliorumq. sanctorum latino carmine decurrentium Catalogum tetrasticho hoc Græco latino clauditur:

Agne Dei Patris, qui mundi crimina tollis,
Optatæ pacis munera dona tuis.
Kyrie pantocraton ÿsos sodÿsse ke pantes
Sub Basileos ymon Xriste eleison ÿmas.

Quod scribarum barbarie ita est deprauatũ, longoque vsu quasi protritum, vt nos, aliosq. viros sanè nõ ineruditos haud leuiter exercuerit: Cui iam fuliginosa, si sic restitutum legatur, non nihil natiuæ lucis accedat.

Kyrie Pantocrator iÿsos sose apantas
Sy Basileus ÿmon, Christe eleison ÿmas.

Hæc Græcolatina Litania Germanis inferioribus etiamnum ad Rheni ostium vsitata non leui est argumento hunc Sanctos longo Catalogo precandi ritum à Græcis nostrę fidei per Germaniam vtramque disseminatoribus, & propagatoribus fuisse ortum. Quæ Litania cùm sit & scripturarũ testimoniis nixa, & luculentissimis Orthodoxorum Patrum testimoniis demonstrata atque constabilita, nos aliosq. ad vnum omnes Catholicæ Ecclesiæ filios aduersus insanos quorundam ardelionum clamores, nefariasq. Apostatarum blasphemias facilè defendant, & in auita religione immotos stabiliant atque imperturbatos.

CAP. LV.

Spectacula Christi Do. in in cælũ ascendentis, &c. piũ admodum habent vsum.

Porrò quæ de spectaculis die Paschæ, Ascensionis, aut Annunciationis Dominicæ, populo fieri solitis nugantur aduersarij, nescio equidem quorsum spectent, nisi vt Turcicam Christiano orbi inducant Christianismi abolitionem. Ecquid enim mali habet, nedum sacrilegæ impietatis, aut diabolicæ Idololatriæ, populo in memoriam ingentia illa multoq. maxima Christi Domini annunciati, nati, passi, resurgentis, ascendentis, & Spiritum S. cælitus suos in Apostolos iuxta pro-

promiſſum emittentis, quotannis renouare, grataque acceptorum Dei beneficiorum commemoratione, ad gratiarum actionem, & ſeriam imitationem, piamque ęmulationem excitare? Hæc enim Dei opt. beneficia ſi docendo & legendo, adeò & pingendo, pium eſt Chriſtianis ſæpe in memoriam reuocare, quis niſi Iudaico Chriſti odio excæcatus, aut Turcica potius Chriſti inuidia rabidus, neget prodeſſe ſummopere illa ipſa viuis exemplis refricare, & quantum res patitur, ad viuũ repræſentare? Quid enim aliud ſunt iſta ſpectacula, quàm viuę Laicorũ Hiſtoriæ, quibus multò efficacius humanus mouetur animus, quàm ſi idẽ priuatim legat, aut ab alio etiã lectũ publicè audiat. An enim ad ſeriã Chriſtiano homini pœnitentiã perſuadẽdam, & agendam, cupideq. ſuſcipiendam aliquid valeat efficacius, quã quòd maiores noſtri aliquot locis initio quadrageſimæ viuã Adæ pœnitẽtis voluêre peccatoribus Adæ peccatoris æmulis imaginẽ exhibere? Fuit enim hoc moris publici nõ paucis in locis, cuius clara veſtigia etiãnum noſtra ætate perdurare in Eccleſia Halberſtadieñ. teſtatur B. Rhenanus, cuiꝰ verba hîc aſſcribere fuerit operępretiũ.

Viua exempla humanũ animum plus mouent, quàm hiſtoriæ aut lectiones.

Tertullianus libro de pœnitentia (inquit) meminit exomologeſeos, id eſt, actus pœnitentiæ, cuius adhuc clarũ veſtigium extat in Halberſtadiẽſi Eccleſia, quæ eſt in Saxonibus. Quã rem & Pius Pontifex, & poſt hũc Volaterranus in literas retulerũt, ſed velut ritũ barbaricum. neuter enim intellexit. Volaterranus inſtitutum vocat inauditum. eſt autem huiuſmodi: Singulis annis eligitur aliquis è plebe, qui Comœdiam pœnitentis ac cõfitentis agat. Is in capite Ieiunij quadrageſimalis ad templũ adductus in cultu lugubri, & qui pœnitentẽ deceat: nimirum caput obuolutũ habens, poſt ſacrũ inde eijcitur. Perq. totos illos quadraginta dies nudis pedibus vias vrbis terit, templorũ moles circuit, tantum nõ ſubintrat, nec cũ quoquã ſermonẽ miſcet. Canonici huic cibum præbent, quẽ ille qualẽ qualem boni cõſulit. Non indulget ſomno, niſi poſt mediã noctem, idq. in plateis. At in die, quę Dominicę Cœnę dicata eſt, ad tẽplum reducitur, & à Sacerdote non abſq. longis, ſed pulchris ceremonijs abſolutus, à plebe ſtipem accipit. hunc Adamũ vocare ſolent. Atque hoc eſt quod nonũ caput

Comœdia pœnitentis publicæ quotannis olim acta ad cõcitandos animos populi ad ſeriam peccatorum pœnitẽtiam ſuſcipiendam initio quadrageſimæ.

His non abludunt quæ Traiecti Batauorũ fiunt per quadrageſimã: vbi populus totus templo eijcitur, & ad pœnitentiam

per Archidiaconi vmbrã reuocatur, e uestigiò: tũ in templũ reductus post preces publ. ac manus Episcopalis impositionem absoluitur ac reconciliatur hũc quidẽ in modũ nos fieri vidimus sub annum Do. 1550.

„ Agathensis Concilij præcipit, & refertur etiã à Gratiano dist.
„ 50. Est autem tale: In capite quadragesimę omnes publicè pœ„ nitentes, qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repręsentent Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent Decani, id est Archipresbyteri, Presbyteri Parochiarum, & presbyter pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secũdum modum culpę pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Post hęc Episcopus in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem pœnitentię Psalmos in terrã prostratus cũ lachrymis pro eorum absolutione decãtet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, manus eis imponat, aquã super eos benedictã spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita cooperiat, & cũ gemitu & crebris suspiriis eis denunciat; quod sicut Adã proiectus est de Paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis suis abijciũtur. Post hæc iubeat ministris, vt eos extra ianuas Ecclesiæ expellat. Clerus verò prosequatur eos cũ Responsorio, In sudore vultus tui vesceris, &c. Vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atq. cõmotam, nõ paruipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cæna rursum ab eorundem Decanis & Presbyteriis Ecclesiis liminibus repręsententur.

Imaginum venerandarũ origines ex Panoplia petendæ: quas aliquãdo dabimus locupletiores.

Imaginũ vsum legitimũ probat Lutherus ipse.

Imagines valde vtiles ex scriptura Lutherus asserit, qui se Iconoclastarũ facitur hostẽ.

Sanè quisquis pio candidoque animo hanc viuam pœnitentis Adæ imaginẽ, aliásue omnes tam ligneas quàm argenteas considerarit, ac quidnam sibi velint mente Christiana fuerit meditatus, profectò eas non poterit non vehementer approbare. Legitimum enim ipsarum vsum, qui est animo id significare, quod externa oculis repręsentat specie, vbi considerasset Lutherus, disertè Confessione suæ fidei fol. 56. anno 44. sub vitæ finem loco testamenti edita profitetur, sese illas ex scriptura, fidelibusq. historiis admodum vtiles habere. Vbi etiam adtexuit, Etsi liberum faciat habere imagines, tamen sese ab Iconoclastis dissentire. Proinde viderint præclari isti Confessionistarũ defensores, quónã ore audeant sese Lutheri discipulos profiteri, aut Confessionis Augustanæ Lutheranam

nam doctrinam professæ iactare propugnatores, qui pias imagines vel sui magistri iudicio scripturis & historiis nixo admodum vtiles, reijcere atque proterere audent, imò pro Idolis impiè accusare, adeoq. sacrilegè damnare. Sanè Protestantes per Saxoniam, & Svveuiam imagines suis in templis reuerenter habent.

Lutherus suos istos Anonymos Confessionistarũ patronos impietatis damnat.

Consensus de Imaginibus quas habet VVittemberga, & Vlma, reuerenter Crucem atq. Imaginem Christi faciunt Idolum impij Cõfessionistarum Apologetici.

Ad eundẽ insanorum Idolorũ Catalogum à pijs istis Confessionistarum Patronis friuolè, planeq. ridiculè consarcinatum pertinet & Asinus ille palmis coronatus, & rami palmarum, inquiunt fol. 177. Osculum Crucis, & adoratio, Crux reponenda in sepulchro Domini, eleuatio Statuæ in die Ascensionis. Siccinè vobis hæc Idola videntur? an ita porrò insaniatis, vt solemnem illam etiam pedũ ablutionem die Cœnæ Domini huc accensere audeatis? Sed à vestra blasphemia legitimus horum omnium vsus apud prudentem lectorem ista facile vindicarit: nimirum, hæc eo quotannis stato peraguntur die, vt grata omnibus redeat memoria eorum omniũ, quæ Christus Dominus nostri redimendi caussa passus est, nostriq. erudiendi caussa & dixit, & fecit. Quinimò istorum quædam fieri suo exemplo mãdauit. Et vos debetis, inquiẽs, alter alterius pedes lauare.

Hic sanè mirari subit quónam consilio & non reliqua enumerarint isti delecti Cofessionistarum defensores rituum Ecclesiasticorum genera, quos tristissimis illis Dominicæ passionis, siue hebdomadis sanctæ diebus solemne est passim per Christianas fieri Ecclesias? Cur non inter sua fictitia Idola cõmemorant Christi Domini Crucifixi imaginem plerumque de suggesto, quando sacrosancta eius Passio die Parasceues populis pro concione exponitur, monstrare solitam? Cur non reprehendunt quòd die Parasceue Crux Christi populis solemni illo cantu Græco, Latinoq. ostenditur, quo viua ipsis Crucifixi pro sese Domini sui Christi Iesu imago, & oculis & mentibus viuidius inseratur, imprimatur, infigatur? Certè & hæc erant sugillanda, Idolomaniæque cauterio inurenda, si rem, quam agunt, bona fide agere constituissent. Sed quia sibi conscij hac ex re liquidissimum piis omnibus fore ipsos Iudaico rapi odio, Turcica furere insania, An-

tichriſtiano excęcatos inſanire in Chriſtum Domini furore, ſi indubitatiſſima hæc gratiſſimæ memoriæ de Dominica paſſione ſigna in ludibrium, imò reprehenſionē fuiſſent auſi protrahere, conſultò abſtinuerunt. Narrant ergo, neſcio quas pueriles, & aniles nugas, ſtrepitus inquiunt, fol. 177. qui fiunt inſtrumentis ligneis in tēplis die Paraſceues Domini. Itē preces matutinæ, addunt eodem folio, quæ fiunt cum tumultu ad ſepulchrum Domini, O bella Idola Papiſtica! tumultus ſolemnis, puerorū ſtrepitus crepitaculis excitati ligneis.

Matutinæ tenebroſæ atque puerilis ille ſtrepitus ſophis iſtis Cōfeſſioniſtarum Patronis ſunt Idola Papiſtica, ſi Chriſto placet.

Hæc forenſium rabularum nugamenta, an non magis ridenda (imò deflenda, fonteq. lachrymarum ſanguinearum lugenda) quàm illa ridicula Romanæ ſtultitiæ Deorum, Dearumque nomina Limentinus, Conſus, Lateranus, Vnxia, Victa, Potua, Pomona, Februtis, Panda, Peta, Puta, Patella Melloma Pecunia. Eant igitur Confeſſioniſtæ, & ſuum fictitiorum Idolorum (quæ blaſphemantes confingunt) Papiſticorum Catalogum ad incudem reuocent, videbunt non plus ſeſe inani ſuo, futilique labore profeciſſe ad demonſtrandam fictitiā & ementitā Catholicæ noſtræ Eccleſiæ Dei Idololatriam, quàm Romana olim profecit ſtultitia ad noſtrum verum Deū, vnum & trinū innumera fictitiorum ſuorū Deorum, Dearumq. turba expugnandum, cęloq. exturbandum.

Vide Arnob. cō tra Gentiles.

Sed nouos iſtos, perſonatosq. Cōfeſſ. Auguſt. defenſores, alij Theologi ſuo facilè reprimūt iudicio: qui minus inſanientes ceremonias honeſtas obtinēdas docent. Sic enim Theologi Wittenberg. Melāch. & Eberus cū aliis Conuētu Torgeñ. an. 48. Retineātur veteres & honeſtę ceremonię, quę in vſu ſunt, ęra increpādo, accēſione candelarū in altari, & imaginū vſus.

Conſenſus de ceremoniis honeſtis inter Catholicos ac ſaniores Confeſſioniſtarum doctores.

CAP. LVI.

Porrò nequid Confeſſioniſtarū Patroni ſibi supereſſe exiſtiment præſidij ad rem, quæ in præſens agitur, euincendam in Ieiunio quadrageſimali, in Roſariis Dominicæ orationis, in feſtis diebus omni Chriſtiano populo ſolemnibus (hæc enim ſuam in farraginem fol. 176. & 177. infarciūt inſulſiſſimè) age & hæc Idola, ſi Chriſto placet, oſtendamus nihil minus eſſe, vti ſacrilegè infamantur, quàm Idola Papiſtica.

Anonymis iſtis Idola ſunt ieiunium, Oratio Dominica ſæpius repetita, diesq. feſti.

Si Idolum eſt quadrageſimale Chriſtianorum Ieiuniū, cur non & quadrageſimale Chriſti Domini Ieiuniū? An nos alio

Ieiunium quadrageſimale aduerſarij faciunt magno furore Idolum Papiſticum.

fine ieiunandũ docemus, quàm vt ieiunãtes Deo patri placeamus, Christi Domini filij sui exemplũ nobis prescriptũ imitãtes? An nõ Christus suis ieiunandũ predixit, quãdo ipse spõsus fuerit ablatus? Hinc Paulus tã frequẽter sese ieiuniis macerat, Petrus ieiunijs asperrimis deditus celestia videt mysteria.

Hinc tota Apostolica illa Act. 13 ieiunabat Ecclesia, Christi exemplum imitata, Apostolorumq. vestigia studiosè æmulata: quos ferè quotidianis sese macerasse abstinentiis, atque inediis alicubi testatur Chrysostomus.

Apostoli ferè quotidie ieiunabant ait Chrysost.

An non fuerit hæc Apostolorum doctrina? Certè sic D. Ignatius Apostoli Ioannis discipulus suos Philippenses hortatus, hoc quadragesimale ne spernerent, nihiliue ducerent atque violarent Ieiunium, Ætiologiam subtexuit Euãgelicam. τοῦ χριστοῦ γὰρ φησὶ ἔχει τὴν μίμησιν, Christi enim habet imitationẽ.

D. Ignatius.

Quod si sanctissimi Christi martyris, Apostolorumq. discipuli non persuadeat istis delicatis Epicuri discipulis Ieiunium quadragesimale ab Apostolis esse nobis traditum, siue à Christo Domino institutum, agedum nunc & aliorum Orthodoxorum PP. in medium veniant sententiæ, quæ nobis istud liquidò contestẽtur. Origenes ille Adamantius homilia 10. in Leuiticum, vbi damnasset eos, qui in Christianam Ecclesiam Iudaica inuehebant ieiunia, sic scribit: Tu ergo si vis ieiunare, ieiuna secũdum præceptum Euangelij, & obserua in ieiunijs Euangelicas leges, &c. Rursus, Nec hoc tamen ideo dico, vt abstinentiæ fræna laxemus, habemus enim quadragesimæ dies Ieiunijs cõsecratos, habemus quartam & sextam feriam: quibus solemniter ieiunamus. Theophilus Alexãdrinus suis per Ægyptum & Thebaidem Episcopis, primo & secundo lib. Paschali. per D. Heronymum conuerso testatur finienda quadragesimæ Ieiunia secundum Traditiones Euangelicas vesperi sabbathi decimo die Pharmuti mensis.

Origenes ieiunij præceptum agnoscit Euangelicum.

Solemnia ieiunia Christianis quæ ante annos. 1300.

Theophilus Alexandrinus.

Traditio est Euangelica ieiunium quadragesimę.

Epiphanius in Compendio veræ doctrinæ contestatur nobis Apostolos tradidisse, vt his diebus quarto & pro sabbatho ieiunium fieret, vsque ad horam nonã: quò impleatur illud Christi, Quũ ablatus fuerit ab ipsis sponsus, tunc ieiunabũt. Rursus infra: Porrò quadragesimam ante septem dies sanctę Paschæ similiter seruare solet sancta hæc Catholica Ecclesia.

Epiphanius.

Ambrosius.

D. Ambrosius eximius saluberrimi huius ieiunij præco, quia culor assiduus, hunc in modū de Quadragesimæ Ieiunio scribit Sermone.23. Christus D. hunc, inquit, numerum Ieiunij Quadragesimæ consecrauit, ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere. Similiter Serm. 25. docet nos propositum nobis quadraginta dierum iter debere conficere, & quibusdam quasi castris nos Ieiuniorum deuotione munire. Sed planius Serm. 27. ostendens hos quadragesimæ dies esse tempus cælestis quodammodo (inquit) medicinæ, Istud autem præceptum Christi medici primum est, vt his quadraginta diebus, ieiuniis, orationibus, vigiliis opera cōmodemus. Ieiunijs enim lasciuia corporis castigatur, orationibus deuota saginatur anima, vigiliis Diaboli insidię depelluntur. Deinde cū his mandatorum obseruationibus fuerit hoc tempus impletum, &c.

Vnum addamus locum ex Serm. 34. qui apertissimè omnium hanc dirimat quæstionem. *Quisquis Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem diuinitus pro salute sua datam prandendo ipse rescindit*. Et infra. Sicut reliquo anno ieiunare præmium est: ita in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, ista necessaria. Illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Rursus Serm. 36. Vbi docuisset hoc Quadragesimę Ieiunium non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione inuentum, sed cælesti maiestate præceptum, addit, » Hæc non tam sacerdotum, inquit, » præcepta, quàm Dei sunt. Atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum: qui in suo loquitur sacerdote, quod idem Ambrosius Sermone.25. exēplo violati ieiunij à Saule indicti confirmat fusius. Si ignorans Ionathas, inquit, qui Ieiunium resoluit, morti addicitur, qui sciens indictum à Christo resoluit Ieiunium, quid meretur?

Ieiuniū Quadragesimæ nó est lex humana, sed diuina, Ambrosio.

Chrysostomus

Chrysostomus Serm. 1. de Ieiunio laudes Christianæ huius abstinentiæ deprędicans, Baptizatus Saluator (inquit) propter nos, & profectus in eremum prius ieiunauit, & tunc signa facere cœpit, non ipse ieiunio opus habens, nos autem do-

docens pro virili Ieiunij præmissionem. Quod autem dies 40. ieiunandum Christianos docuerit, posteà exemplo D. Danielis confirmat, qui Ecclesiæ, ait, præfigurabat consuetudinem, Panem delicatum, ait, nō comedebat. Alij autem pro voluptate sua aliquando bibunt. Vinum & caro non intrauit in os meum, à quibus ieiunat Ecclesia. Vide in veteri (testamento) Christianam vitam!

A carnibus & vino abstinebant olim Christiani per quadragesimam.

D. Hieronymus Epistola ad Marcellam, Nos vnam quadragesimam (inquit contra tres illas fictitias Manichæorum quadragesimas) ex Apostolorum traditione ieiunamus: quam paulò inferius disertis verbis docet esse obseruatu necessariam. Aliud est necessitate, inquit, aliud voluntate munus offerre. Rursus ad Esaię cap. 58. de ieiunijs disputans. Hæc dicimus, inquit, quò ieiunia reprobemus, per quæ & Daniel vir desideriorum futura cognouit, & Niniuitæ iram placauerūt, & Helias, & Moyses 40. dierū esurie Dei familiaritate saturati sunt, & ipse dominus totidem diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solemnes ieiuniorum dies relinqueret.

D. Hieron.

D. Maximus Taurineñ. homilia. 2. de Pentecoste, Sic enim disposuit Dominus, inquit, vt sicut in eius passione in quadragesimæ ieiuniis contristaremur, ita eius resurrectione in quinquagesimæ feriis lætaremur D. Augustinus epist. 119. cap. 15. Ex Christi exemplo docet quadragesimam suam habere auctoritatem, addens cap. 17. hanc ieiunandi, 40. dies ante pascha consuetudinem ceu necessariam Ecclesiæ consuetudinem roborasse. Sicut & Socrates lib. 5. cap. 22. ieiunandi ante pascha per dies 40. consuetudinem ab Apostolis ortam fatetur.

Maximus Taurineñ.

D. Augustinus.

Cōsuetudo ieiunij quadragesimalis est necessaria D. Augustino.

Sed nequid supersit scrupuli, an omnes Catholici Christiani prisca illa ætate senserint ieiunium à Christo Domino esse institutum, siue esse necessariò obseruādum, age in theatrum prodeat infaustus ille Faustus Manichęus, cōtestaturus ecquid hac de re sua ætate Catholicus Dei Populus vbique gentium censuerit. Exprobrans enim nobis, quod & nunc Euangelici, sic scriptum reliquit: Quid verò de illo dicemus, inquiens, quod sanè frustrari quis audeat, aut negare? cum constet hoc inter omnes (Catholicos Christianos) & ęquè per

Ore Fausti Manichæi olim in orbem euomebat Sathan cōtra quadragesimā, quod hodie impuro Lutheranorū ore.

„ orbem terrarum quotannis omni cum ſtudio celebretur in
„ conuentu Catholico. Dico autem quadrageſimam, quam in-
„ ter vos, qui ritè obſeruandam putauerit, abſtinet neceſſe eſt
„ ab omnibus his quæ capitulum (videlicet) 1. Timot. 4.) à Deo
1. Timoth. 4. nobis ad percipiendum creata dicit: & Dæmoniorũ inſuper
vocat abſtinentiam prędictorum. In quibus inſani Manichæi
verè infauſti Fauſti verbis ſi ſeſe iſti Euangelici non agnoſcũt
loqui, mirum ecquid tandem illis ſit mentis reliquum? qui
communi, imò eodem planè nos acerrimè oppugnant elen-
cho Sophiſtico, ex Pauli ſententia minus rectè intellecta. quæ
non de ieiunij abſtinentia loquitur: ſed de perpetua rerum
illarum carentia, ſiue contẽptu, vti Encratitę, atq. Manichęi,
Pythagoræos imitati carnes ceu immũdas reſpuebãt. de qui-
bus Paulum prophetaſſe teſtatur D. Chryſoſt. Ambroſ. Oecu
menius, Photius, Theophylactus, aliiq. Vet. PP. plurimi. fuiſſe
autem toto orbe ſolemne hoc quadrageſimæ ieiunium, illa
„ etiam Conſtantini Magni ætate nobis ſuffragati Canon ma-
„ gni illius Niceni Conc. verè aureus, ad Eccleſiaſticam perti-
„ nens Politiam, vt & alij plurimi illic conſtituti: qui habendũ
ſemel ſtatuit ante dies quadrageſimæ Cõcilium, vt omnibus
amputatis ſimultatibus mũdum Ieiunium, & ſolemne Deo
poſſet offerri.

Locus Pauli ad Timotheũ germanã accipiat ſententiam ex Commentariis Orthodoxorũ PP. pro ieiunio.

Eadem captione Sophiſtica noui ac veteres Sophiſtæ ieiunij hoſtes hæretici vtuntur.

Liquidis his ex Vet. PP. teſtimoniis tam Græcis, quàm Latinis manifeſtiſſimum eſt, Chriſtianum quadrageſimæ ieiunium ab Apoſtolis non ſolũ eſſe traditum: ſed à Chriſto Domino inſtitutum atque mandatum: ideoque longè eſſe Deo Opt Max. gratiſſimum, quòd ad Chriſti Domini exemplum nos hìc Deo gratos reddere ſtudeamus, eiusque veſtigiis ad cæleſtia contendamus, ſpretis carnis voluptatibus, contemptis mundi labentis vanitatibus, neglectis corporis huius intereuntis delitijs.

Facillima concordiæ via de ieiunio, ſi aduerſarij Bucerum admittunt arbitrum.

Quæ Chriſtiani Ieiunij Doctrina cùm tam extet in veterum ſcriptorum monumentis manifeſta, facillimum foret inuenire viam, qua Eccleſiæ hac de re diſſidentes piaquadam concilientur concordia. Siquidem Martinus Bucerus iſtius funeſtiſſimi ſchiſmatis pars haud poſtrema, quo fuit ingenio non infelici, neque inculto, perſpiciebat

probè

probè non posse citra grauissimam Dei Opt. contumeliam, veramq. in Christum Dominum perfidiam aboleri piam ieiunandi ceremoniam. Siquidem memorabilis apud eum extat sententia, quæ sarciendę paci Ecclesiasticæ indubiam sternat viam, si apud Syneuangelicos suos vllam meretur fidem. Cùm enim lib. de regno Christi cap. 12. tradidisset quosdam esse, qui quadragesimæ obseruantiam credunt ab Apostolis institutam (quod extenuandi caussa pauculis tribuit versipellis Sophista, nos concordi Veterum PP. Orthodoxorum sententia demonstramus Apostolis certò esse accepto ferendum) hæc subtexuit verba, quibus ieiunij docet necessitatem.

Ieiunia Christianis Bucerus docet necessaria, & in primis suo populo Euãgelico per Germaniã.

Attamen cùm ieiunia Dominus ipse & Apostoli, (inquit) tantoperè Ecclesiis commendarunt: De Christi certè spiritu & regno gloriari ij non possunt, qui omnino nulla seruant ieiunia. Qui igitur Christi regnum apud se solidè volunt restitutum, hos necesse est, vt ieiuniorum quoque religionẽ repetant: ac vel aliquot dies per annũ, & maximè, si aliqua Ecclesiam vrgeat calamitas, si qui in Ecclesia in grauiora prolapsi sint flagitia, aut si grande aliquod negotium veniat Ecclesiis, ad Dei gloriam suscipiendum, populus in sacrum cœtum cogatur, & ad veram de peccatis agendam pœnitentiam, precesq́, ad Deum fundẽdas ex diuinis scripturis grauissime inuitetur. Quibus diebus, non ab illicitis modò, sed etiam à permissis carnis delitijs omnibus abstinendum est. O magnam veritatis vim, quæ vel inuito sui hostis iuratissimi gutture in vocem erumpit! Equidem Bucere gratulor Ecclesiæ meæ Catholicæ, quòd illustre adeo abs te sua veritas sit nacta testimonium simul, & inuictum patrocinium: Quod de Christi spiritu, eiusq́ue regno gloriari non possint, qui omnino nulla seruant ieiunia. Rursus, Qui regnum Christi apud se (puta per Angliam, & Germaniã tuis fraudibus miserrimè à verò seductas, & à Christi corporis concordia perniciosè diuulsas oues) solidè volunt restitutũ, hos necesse est vt ieiuniorum quoq. religionẽ repetant, diesq́. aliquot per annũ designent, quibus non ab illicitis modò: sed à permissis etiã carnis delitiis omnibus sit abstinendum. Quæ duo axiomata si &

Aliquot dies per annum ieiuniis deputãdi necessariò apud veros Euangelicos.

O seuerũ ieiuniorum magistrũ, qui Curios simulat & Bacchanalia vixit.

„ alij tui Syneuangelici nobis ex animo concesserint, nulla su-
„ pererit grauior hac de re inter Ecclesias dissentiendi amplius causa reliqua excepto vno necessitatis & obligationis capite, de quo postea veniet dicendum. Si namque tuo præiudicio necesse est, ieiuniorum religionem licentiosa, temerariaque vestra nouatione abolitam repetere, atque dies aliquot per annum ieiuniis consecrare, solùm restat inter nos disquirendum, quínam dies sint in vsum reuocandi, quínam ieiunijs dedicandi. An obsecro alij, quàm olim nostris à maioribus constanter, adeoque in hunc vsque diem toto orbe Christiano concorditer obseruati, & ab Apostolis, siue à Christo Do. instituti? Quod vti testimonijs dudum allegatis à nobis est euictum: ita est tam perspicua veritatis luce perfusum, vt tu ipse hoc eodem capite, tui opinor obli-
„ tus, affirmes, quadragesimam & dies alios fuisse olim re-
„ ligiosis ieiuniis consecratos. His ipsis enim vteris vocibus,
„ quando Anglos tuos apud quos tunc Christi regnum, & scriptis venenatis, & verbis, blandis quidem sed impiis, euertisti obliquè perstringens, ac tantùm non obiurgas, quod ex re publica fore quidam putarunt vsum carnium certis diebus interdicere, quò reliquis temporibus carnium copia suppeteret, piscesque commodè possent distrahi: sed non alios dies delegerint, quàm qui religiosis olim, ais fol. 72. ieiuniis fuerunt consecrati. Vbi tua in optatam piis omnibus
„ Ecclesiarum concordiã sese stolidissimè prodit inuidia, Cùm
„ enim hoc ex vestigio liceret fortassis in posterum Deo annuente, benigneque collapsum Dauidis tabernaculum tandem respiciente atque miserante, haud infaustum ad concordiam instaurandam iacere gradum: tu qua laborabas discordiæ Acheronticæ, imò Abyronicæ œstro percitus, inuidia, doles miser vel tantillum esse apud tuas hædorum infeliciss. caulas reliquum, quod vel extrema Christiani ieiunij repræsentaret lineamenta. Deploras enim illos dies à politicis delectos, quibus à carnibus est edicto Regio pueri Eduardi abstinendum, siue piscibus vtendum, qui vt olim fuêre, teipso teste, ieiunijs consecrati: ita & à Catholicis vbique omnibus concorditer obseruati. Sed bene habet, quòd non persua-

Non modo ab illicitis, sed permissis etiam Bucerus legislator necessariò suis statuit abstinendũ diebus ieiuniorũ.

Quadragesimã fatetur Bucerus fuisse olim religiosis dicatam ieiuniis.

Rabida Buceri in Catholicæ Dei Ecclesiæ cõcordiã inuidia ringitur, quòd apud Anglos dies olim ieiuniis dedicati fuerint edicto Regio piscibus & carniũ abstinẽtiæ dati politica ex causa.

ſeris. Stat enim lex illa Regia, quæ vt habet indubitatū Chriſtiani ieiunij modò veſtra fraude aboliti veſtigiū: ita ſemina cōtinet conciliandę aliquādo, Chriſto Do. propitio, piè cū Catholicis cōcordiæ. Hanc verò non impediat improba tua calūnia, quā in Catholicos inuidiæ facibus inflāmatus ſtringis, quòd pia maiorū noſtrorū ieiunia ad Dei cultū inſtituta in Dei contumeliā, ais fol. 72. & in abominādą conuerterint Dei ludibria. Sed quid ita obſecro, bone vir? legerunt apud veteres, inquis, non niſi veſpertinis ſacris peractis eos, qui ieiunabant, cibum ſumpſiſſe, hoc inſtitutū vt ſequi videantur, & cibum non ante veſpertinas preces ſumere, eas preces faciunt hora diei tertia, vel ad ſummum hora quarta, aut quinta: Quod, quid aliud eſt, quàm illudere Deo? Sana verba Bucere: An illudere Deo eſt aliquid de ieiunij ſeueritate in gratiā pij populi remittere? Non inficiamur priſca ieiunia in veſperā vſq. protenſa. Sed ſicuti Germanis noſtris præter vini & piſcium, etiam lacticinij vſum pij maiores indulſerunt: ita & prandij horam, quæ famelicos noſtrates ſtomachos cruciabat immodicè, pręuertendam permiſerūt, ne violandi Eccleſiaſtici præcepti ſiue infirmioribus, ſiue frigidioribus, mollioribus & negligentioribus vlla eſſet occaſio. Cuius ergo maleuolentię, Sathanicæq. inuidiæ eſt Bucere, quod caritatis fouendæ cauſa piis à maioribus indultum eſt poſteris, id calumniandi rabie in hoſtilia parricidalis diſcordiæ alendæ tela conuertere? Non enim ieiunia ad Dei cultū inſtituta (quod veriſſimè doces nobiſcum Euangelio cōformiter Lucæ 2. de Anna Phanuelis) à nobis in Dei contumeliā, aut in abominādą Dei ludibria ſunt conuerſa: ſed ſoluendi ieiunij hora nonnihil eſt anteuerſa.

Dolet ieiuniorum hoſti vel tenuia supereſſe apud Anglos auitæ religionis veſtigia.

Calumnia Buceri virulenta depellitur.

Quod pietatis apud infirmiores fouēdæ cauſa factū eſt, Bucerus in Dei ludibriū factum diabolicè calumniatur.

Ieiunia in Dei cultū inſtituta docet nobis cōcorditer Bucerus cōtra ſuos Syneuāgelicos.

Quantulū quæſo, te vir religioſe pietatis interſit, vtrū ieiunādi tēpus in meridiē protēdatur, an in horā tertiam pomeridianā? Diſcruciabat acrius, fateor, hora prandij dilata: ſed an hoc ſeneſcētis Eccleſię Chriſti ſenio pietatē prouehat, equidē neſcio. Vereor ſi ad priſcam reuoces populos ieiunij ſeueritatē, ne & ipſis ieiunij valde ieiuni ac propè extenuati, prô dolor ac pudor, ne dicam exploſi ſemel omnes aboleas reliquias.

Neque verum eſt, quod calūniandi æſtu tranſuerſum abreptus fingebas ſacra illa quadrageſimalia peragi hora tertia:

Hyperbole Buceri manifeſto mendacio contaminata.

quæ Germanis est nona: sed fere ad vndecimam: hoc est, sub meridiem sacra omnia passim sunt peracta: vbi modò aliqua viget Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantia. Nam effrenes aliquot Monachos aut irregulares Canonicos non moramur. Siquidem quod reprehẽsibile est, Catholica probat Ecclesia.

An vlli prudentium satis habeatur sobrius, qui Christianos omnes diuinũ cultum in Dei contumeliã cum Bucero cauilletur conuertisse, ꝙ nocturnas vigilias iustis de causis in diurnas, siue Antelucanas preces commutarint? Scilicet Reipubl. Christianæ summa ab vna vel altera pẽdet horula, vtrũ Ieiunium ante, an post meridiẽ sit soluendũ. Quod ergo in cõmutando vigiliarũ tẽpore citra omnẽ Dei contumeliã suasit pietas, & publica probauit honestas: id ipsum & in ieiuniorũ hora prçuertẽda extorsit pij populi infirmitas, lãguor, & debilitas.

Sanè vt qui Catholicam Dei Ecclesiam criminandam sibi duxerit, quòd Cœnam Dominicam à Christo Do. vespere institutam, nunc mane, aut meridie peragimus, planè habeatur impius: ita se non carere insanis inuidæ discordiæ œstris declarat, qui tã leui de caussa conatur exitiales sacrilegi schismatis faces accendere, & dilectissima Christiani gregis membra dentibus Theoninis, oreq. furioso dilaniare.

Cuius enim amentiæ est illud Epiphonema, quod Bucerus sub finem huius cap. 12. odio pacis, concordiæq. Ecclesiasticæ ceu pandoræ donum plenissimum euomuit? Vbi enim sale suo nigro Politicos illos Anglos perfricuisset, quòd eisdẽ diebus vtendum piscibus censuerant, quibus Catholici ieiunamus, & à carnium vsu virtutis studio & continẽtiæ exercitio abstinemus, quasi indolescens ac præ inuidia tantum non crepans Bucerus exclamat. Quanto iam magis deceat defugere speciem omnem consensus cum Antichristis, vt in cæteris rebus, ita etiam in delectu ciborum & dierum discrimine! O virum pacificum Bucerum! O concordiæ arbitrum Euangelicum! Quòd maiores nostri sabbathum in Dominicam commutarunt, ne cum Iudçis viderentur congruere: quòd die Dominica pia licèt Ieiunia vetuerint, ne quid eo Manichçis viderẽtur deferre, id furiosus Ardelio anhelanti pulmone vociferatur Anglis Euangelicis de vsu piscium faciẽdum,

Epiphonema Buceri in optatam piis omnibus Religionis cõcordiam sediriosum, atq. Catilina dignũ.

ne vllum supereſſet priſcæ religionis Catholicę veſtigium.

Quid ni igitur Bucere & diem Dominicum nobis concorditer vetas illis celebrandum? Cur Paſcha & alia feſta nobiſcum ſeruãda doces communia? Sed hoc ex vnguiculo pie lector tu iſtum Leonem æſtima, qui omnem cõſenſus ſpeciem Sathanico concordiæ pię odio defugiendum ſuadet.

Neceſſitatẽ Ieiunij ſequi ex lege Chriſti: quę omnes obligat quotquot Canonica non excuſantur cauſa.

Bucerus ſui oblitus, Ieiunia Docet neceſſaria.

Porrò quod ad neceſſitatem Ieiunij attinet, non magnam habet apud pios conſenſus remoram, qui aut vim Chriſtianæ legis, aut Apoſtolicæ traditionis auctoritatem, aut deniq. Chriſti donum legiſlatoris perſpectam tenet maieſtatem. Si namque eſt lex Eccleſiæ Chriſtianæ, quod dudum concordibus Orthodoxorum Patrum teſtimonijs eſt confirmatũ, non poteſt non obligare quotquot nõ Canonica excuſantur cauſa. Quod adeò verum eſt, vt tu ipſe Bucere nõ dubitaris pronunciare, illos de Chriſti ſpiritu, eiuſúe regno gloriari non poſſe, qui omnino (inquis fol. 71.) nulla ſeruant ieiunia.

Qui nulla obſeruant Ieiunia Bucerus cælo excluſos pronunciat.

Grauem cenſuræ iſtius, Bucere, equidem mirabar admodum ſeueritatem, qua ad vnum omnes, & Chriſti ſpiritu orbatos pronuncias, & regno adeo Chriſti excludis, duriterque exturbas, qui omnino nulla ſeruant ieiunia.

Quibus ſcripturis Bucerus doceat ieiunia piis neceſſaria.

At quænam obſecro, tam auſteræ cenſuræ cauſa eſt? Verbum Dei, inquies, quòd ieiunia ipſe Dominus & Apoſtoli tantoperè Eccleſiis commendarunt: ad quod ſtatuendum citas Matth. 6. & 11. 1. Cor. 7. 2. Cor. 6. Præclara ſanè Chriſtiani Ieiunij firmamenta: quę nõ modò Catholicis: ſed tibi etiã Ieiunia tam perſuaſere neceſſaria, vt eorum contemptores & violatores regno Dei auſis excludere.

Si non ieiunantes regno Chriſti excludẽtur auctore Bucero, certè eſt piis ieiunandum vt illo admittãtur

Sed ſi de Chriſti ſpiritu aut eius regno gloriari nõ poſſunt, quod ais, veriſſimè ex Dei verbo, qui omnino nulla ſeruãt Ieiunia, an nõ hoc ex axiomate planè eſt conſectariũ, neceſſariũ eſſe quędã obſeruari Ieiunia? niſi enim eſt neceſſarium, quónam pacto audes nõ Ieiunãtes aut Chriſti ſpiritu orbare, aut Dei regno exhæredare? Quod certè fieri nõ poſſet, niſi legẽ ſibi præſcriptã, adeoq. neceſſariò ſibi obſeruandã impiè violarent atq. nefariè temerarẽt. Tua ergo ex doctrina liquidò ſequitur eſſe quandã Ieiunij Chriſtiani neceſſitatẽ, quę pios religioſis aſtringat ieiunijs, vt nõ temerè atq. inaniter de Chriſti

ſpiritu,aut eius regno queant gloriari.

Sed fortaſſis effugium tibi quęres,quòd nullus dies eſt neceſſariò ieiuniis conſecrandus aut dedicandus. Atqui fateris ipſe quoſdam dies fuiſſe olim religioſis ieiuniis conſecratos: ſed nunc, vti garris, impio carnium, abſtinentiæ prætextu in abominanda Dei ludibria conuerſos. Imò agnoſcis ipſe Patres vetuſtiſſimos pium ieiuniũ nõ modò alijs diebus, ſed die etiam Dominico probaſſe: qui tamen nequid eo Manichæorum (inquis fol. 27.) deferre viderentur amentiæ, ieiunare die Dominico, vt rem ſcandali vetuerunt. Si vetare licuit Patribus hoc die ieiunare, an non eiſdem licuit eſſe quodam die ieiunandum mandare? Certè vt olim Apoſtoli Act. 15. non dubitarunt pro ſua ſibi cælitus data auctoritate ad Antiochenos ſcribere, certamq. viuendi, adeoq. licitis abſtinendi legẽ præſcribere cum obediendi neceſſitate: ita & eiſdem, & eorum ſucceſſoribus ſimiles licuit ferre leges quibus eſſet obediendum ac neceſſariò pijs Eccleſiæ Chriſti filiis parendum.

Bucerus fatetur Patres potuiſſe mandare ne ieiunemus die Dominico. Quid ni ergo poſſint certi diei præſcribere ieiunium?

Iſtud lex Apoſtolici illius Ieroſolymitani Concilij loquitur manifeſtius, quàm vt profuſiore ſit oratione perſequendum. Viſum eſt enim Spiritui S. & nobis, inquiunt diuini Apoſtoli cum ſenioribus Synodicè in Chriſti nomine congregati, nihil vltrà imponere vobis, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato & fornicatione. Audin Bucere, Apoſtolos docere quibuſdã etiam per ſe licitis, & per Chriſtum communibus ſiue permiſſis, eſſe abſtinendum? imò neceſſariò abſtinendum? Viſum eſt, inquiunt Apoſtoli nihil vobis imponere oneris, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων pręter hęc neceſſaria.

Apoſtoli mandant rebus quibuſdam, etſi licitis, abſtinendum neceſſariò

At lex iſta (inquies) fuit temporaria; non inficior: tamen dum lex fuit, ei parere fuit neceſſe: neque citra offenſam, grauiſſimamq. conſcientię læſionem vlli fas erat violare.

Lex quæ ad tẽpus obligat, verè obligat.

Quod mirandum non eſt nos de lege ſentire Apoſtolica: cùm Paulus idipſum de politica doceat Rom. 12. diſertius, quàm vt ſit commemorandum. Ex quo loco vos Euangelici ſtupendo adulandi Principibus ſtudio cæcati, non dubitatis conſcientias docere principum legibus teneri obſtrictas, atq. cum neceſſitatis opinione, atque peccati reatu obligatas.

Adulatores Euãgelici legibus principum aiunt ſuos in conſciẽtia obligari: non item legibus Eccleſiaſticis, ſiue Apoſtolicis.

Quod

Quod cùm ſit plurimis veſtris ſcriptis manifeſtiſſimum, obſtupui vbi hoc ipſo Cap. 12. de Quadrageſima, delectuque ciborum, ais, ſtatis illis diebus ieiunio deputandis abſtinendũ fore à permiſſis omnibus carnis delitijs, neceſſarij cibi tamen (adtexis) & potus abſtinentia, ea cuiuſque conſcientiæ eſt libera permittenda: Quod ſi ita habet, quónam obſecro pacto piis neceſſarium doces quibuſdam diebus eſſe ieiunandum? An non illo die, quem Eccleſia communibus ſuffragiis ieiunio deputarit?

Legibus Ieiunij Bucerus vult ſolutos, quos prius docuit neceſſariò ieiunare.

Certè ſi libera eſt omnibus abſtinentia, conſentaneum non eſt, quod ais, neceſſarium eſſe omnibus, qui ſe ſaluos volunt, aliquando ieiunare. imò ſi omnibus ſemper eſt libera permittenda ciborum abſtinentia, iniquo admodum iudicio non ieiunantes & Chriſti orbaſti ſpiritu, & regno adeò Chriſti dudum exhæredaſti. Sed hæc aſyſtata tibi peperit infelix ille vertiginis Spiritus: quo raptatus & Principibus loqueris grata, & populo placẽtia, & tibi incõſiſtentia. Equidẽ in te agnoſco, Bucere, veriſſimum, quod de Epicuro præclarè ſcripſit Cicero, Verbis eum religionẽ ſtatuiſſe, ſed ipſa re ſuſtuliſſe.

Aſyſtatõ Buceri de libera cibi abſtinentia die ieiunij.

Tu verbis quidem ſtatuis ieiunia, & ijs admodum grauibus, ſeueris ac Catone dignis: qui ea doces neceſſaria: imò à Chriſti regno ceu rigidus Criticus pronũtias alienos, qui omnino nulla ſeruant ieiunia. Cæterùm vbi ad rem ventum eſt, cibi potuſque abſtinentiam cuiuſque conſcientiæ liberam doces permittendam. Quod ſi verùm eſt, nullaque eſt legis de Ieiunio vis, aut conſcientiæ obligatio; ſanè non video quonam pacto verè tradas neceſſarium eſſe Ieiuniorum religionem iam paſſim Anglia & Germania exulantem repetere. Cùm enim omnes ſecundum te ſint Ieiunij lege ſoluti, quia liberam vis cuique relinquendam cibi abſtinentiam, fruſtrà piorum Ieiuniorum religionẽ tui Principes reuocarint. Nam vos populo perſuaſum vultis ſua in conſcientia eſſe ſitum, vt obediant, non obediant. Quod ſi idem de Politicis legibus doceres, mirũ an impunè apud Anglos tuliſſes, Securimq. illá glorioſa SS. Chriſti Martyrum Iohan. Roffenſis & Thomæ Mori nece celebratam, euaſiſſes. At Principibus ad gratiá loqui maluiſti, quàm quod verum tibi conſciebas, literis mandare.

Epicuri more Bucerus verbis Curios ſimulat, & ieiunia piis neceſſaria, ſed rebus negat, dũ cuiuſq. cõſcientiæ vult relinquendam abſtinentiá liberam.

dare. Fortassis pro excusando impietatis istius crimine facere quis dicat, quod ais, necessarij cibi abstinentiá esse cuiusq. conscientiæ liberam permittendam, veluti excluseris non legis obligationé, aut præcepti vim: sed ne quis necessariò sibi arbitretur cibo potuq. interdictú. quasi verò Catholica Christi Ecclesia cuiquá necessario ad vitá interdicat cibo, aut potu? An ægrotis aut grauidis, nedum puerperis: aut senibus, nedum pueris apud nos præscribatur austera abstinétiæ lex? Canones sanè ęquissimè, paternaq. benignitate hac de re statuerunt in Concilijs varijs. Quibus ergo cibus, aut potus est ad trahendam istam misellam vitam necessarius, ij lege Ieiunij sunt soluti: quandoquidem non vt alimentum, sed quasi necessarij medicamenti loco sunt his adhibenda.

Sic igitur Chrysippæo suo sophismate Bucerus, cætera perquàm argutus, sibi miserè illusit, non obligationé legis atque necessitatis opinioné expugnauit. Nam si de necessariò cibo agitur, qui medicamenti modo est accipiendus, ne quis langueat, iam Sophista de lana rixatur caprina. In hoc enim consensus est, vt cibum necessariú vtrinq. omnibus sumendum semper concedamus: sed de sanis ac validis agitur, an lege Ieiunij lata sit liberum non ieiunare: quod modò est demonstratum ex Apostolorum doctrina esse cum necessitatis opinione coniunctum. quemadmodum & Faustus Manichæus apud D. August. Catholicis non erubuit exprobrare.

Hæc missa faciamus, vt reliquo impietatis Catalogo comprehensa veniant expendenda.

Cap. LVII. Oratio Dominica per Rosarij globulos repetita & annumerata ab Idololatriæ nota defenditur.

SED atrociorem videtur habere impietatem, quòd rigidi isti Confess. defensores Dominicam orationé in orbé repetitam damnare audét; adeoq. diris verbis blasphemare. Sic enim fol. 177. suam adornant Idolorum papisticorum farraginem. Rosarium (inquiunt, inter reliquas nugas suas) Battalogiæ. O cæcos! ô miseros! ô cælú! ô terra! Quid enim deploratius inueniatur istis miseris, qui adeò sunt veritatis odio excæcati, adeò blasphemię œstro perciti, vt quod longè optimum est, vereq. diuinum, in nefarium deprauent Idololatrię crimé. Orationé Dominicá recitare, quis, nisi Iudæus quispiá cæcus, aut Mámeluca impius, negarit Deo longè gratissimú?

Si bo-

Si bonum eſt eam dicere, melius eſt frequenter dicere: quia ſemper orandum, ſi Chriſtum potius quàm Epicurum audimus, eiusq. legi obedimus: & nunquam ab oratione deſiſtẽdum. quid autem Chriſtianus oret aut melius, aut aptius, aut Deo opt. deniq gratius, quàm quod ipſe Dei filius hac etiam de cauſa nobis emiſſa cælitus voce commendatus, Ipſum audite, docuit atque quotidianum in vſum tradidit?

Siquidem ne & Chriſtianis ſuis diſcipulis deeſſet orandi aſſiduè formula, qualẽ Ioannes Baptiſta Dei cultor ſanctiſſimus ſuis præſcripſerat, ipſe hanc nobis ad ſæpiſſime Deo opt. fundendam precem condidit, docuit, repetendam iterũ atq. iterum ſedulus admonuit. Si igitur pium, Euangelicum, vereque diuinum eſt hanc Dominicam ingeminare orationẽ, ecquid, obſecro Chriſtiane frater, referat an per digitos ſupputem, an per Roſarij globulos, an alio quouis vſus memoriæ iuuandæ auxilio? quemadmodũ & quoſdã calculis vſos tradunt Hiſtoriæ veteres, ne aut numerus fallat, aut error quiſpiam obrepat. Ecquid enim vetat obſecro, quin mihi liceat bis, ter, decies, vicies, quinquagies diuiniſſimam illã Deo Patri meo cæleſti gratiſſimam regerere orationem? quiſnã pius improbarit ſi de die, ſi de nocte, ſi in itinere, ſi domi, ſi in nauicula, ſi in agro, ſi ad ſtiuam, ſi in hypocauſto meorum mihi conſcius peccatorũ decies, aut vicies Patri noſtro cæleſti obnixus ſupplicem, dimitte nobis debita? An non Dei verbum eſt: Qui conſeruat legem, multiplicat orationem.

Eccleſiaſt. 35. multiplicandã eſſe orationem, vt legem ſeruemus.

Quòd ſi oratio Dominica certum ad numerum repetita ideo eſt ſuperſtitioſa, quia certo repetitur numero; an non & Eccleſiam ſuam Lutherani Confeſſioniſtarum iſti Theologi atq. Conſiliarij politici, imò ſe ipſi damnant manifeſtiſſimæ ſuperſtitionis; quia Kyrie eleeſon iuxta nouatã Lutheri doctrinam ter repetunt, aut ſecundum alios more noſtro nonies?

Cur magis ſuperſtitioſam orationem Dominicã ter, aut nonies repetere, quàm Kyrie eleeſon? quod facit Synagoga Lutherana: ſicuti & certo numero Pſalmos cantillat.

Catholici ergo cùm ſine intermiſſione orandũ ſciamus, nobisq. mandatum vt pulſemus ad aperiendũ, vt quæramus ad inueniendũ, multis precibus ambimus cæleſtẽ illum cæleſtis Patris noſtri Spiritũ bonũ, quẽ dat non credẽtibus; ſed petentibus; ſed ſedulò poſtulãtibus; ſed aſſiduè eflagitantibus. Ideò enim Dominus ſemper orandũ præcepit, vt docet D. Ambr.

Com. ad Ro. 11. quia diues eſt, inquit, non in credentibus, ſed vti Paulus ait, ipſum inuocantibus.

Cæterùm hoſce verè diuinos cæleſtis orationis fructus ſi Cõfeſſioniſtarum Patroni haberent probè ſibi notos, aut aliqua ipſis eſſet pietatis verè Chriſtianæ vnciola, ſiue Euãgelici ſpiritus ſcintillula reliqua, non tam impiè, nedum Iudaicè, imò Turcicè ſacroſanctum hunc aſſiduè precandi vſum blaſphemaſſent, eum appellantes Roſariorum Battologias.

Quid enim refert obſecro, an ad iuuandam precantis memoriam quis formula vtatur Roſarij, ſiue corollæ, an globulis directè pendulis? quid interſit quæſo, an errorem excludat ſupputatio in digitos, an in globulos precatorios? Sed hæc ſunt puerilia, ludicra, imò deliria plus quàm anicularia; indigna ſanè quæ natiuam Germanorum grauitatem ſuis nugamentis occupent diutius.

Cap. LVIII. Dies feſti an Idolum Papiſticũ.

QVARE vt bellam iſtam Anonymorum Confeſſionis Auguſtanæ defenſorum farraginẽ ſemel porcis abiiciamus deuorandam, qua Catholicam infamare Eccleſiam non puduit immaniſſimæ Idololatriæ; age, quod reliquũ eſt Idolũ, vti blaſphemare non verentur, papiſticũ, in medium prodeat examinandum, an obiecti criminis ſit reum, nec ne.

Infiniti dies feſti (inquiunt fol. 178.) mandati ſub pœna excommunicationis & debita obedientia.

Hoc in ritu Chriſtiano feſtorum dierum Anonymos Confeſſioniſtarum Patronos nõ tam videtur offendere quòd diuinus cultus Deo exhibetur, quàm quod certo tempore, & tam frequenter exhibetur, aut potius quòd dies feſti (aiunt) infiniti, ſub pœna excommunicationis & debita obedientia præcipiuntur.

Paucis ergo vbi dixerimus de feſtorum origine, vſu, atque cultu antiquitùs exhiberi ſolito, demonſtrabimus non eſſe Idololatricum tam eſſe dies feſtos multos: non quidem infinitos, vti calumniantur aduerſarij, ſed certos, & iuſta de cauſa olim inſtitutos; quos ſub certa pœna veneranda maiorum noſtrorum auctoritas duxit meritò præcipiendos.

Quòd igitur ad Chriſtianorum feſtorum originẽ attinet, nunc eſt perſtringendum breuius, cùm ipſi Ordines Proteſtantes

testantes nobiscū concorditer, maiora illa festa pristino quodam cultu obtineant: qualia sunt Resurrectionis Domini, Octaua quaque hebdomadæ die sua per vestigia reuolutæ. Item Pentecostes, Ascensionis, Natiuitatis & similia. Origines festorū sunt Apostolicę.

Istos enim dies festos ab Apostolis, eorúmue discipulis fuisse institutos, Sācti Viri maiores nostri, quorum nos pia deuoti sectamur vestigia, disertis verbis tradiderūt. D. Ambrosius in Lucam, Ideo maiores (inquit cap. 17. tradidêre nobis Pentecostes omnes 50. dies, vt Pascha celebrandos, quia Octauæ hebdomadis initium Pentecosten facit. Quos autem dicat maiores, e uestigiò declarauit; vnde & Apostolus quasi Christi discipulus, qui sciret diuersitatem temporum, scribens ad Corinthios, apud vos, inquit, forsitan manebo & hyemabo, & infrà, Manebo autem Ephesi vsq. ad Pentecosten. Consensus Confessionistarum de maioribus festis, Dominica. &c. Ambrosius.

Similiter & D. Hieronymus in Epistolam ad Galatas 4. Illud Paulinum, Dies obseruatis & menses, à Iudaica vindicans calumnia, nihil in Christiana festa quadrare demōstrat, quasi si simile crimē incurramus Quartam Sabbathi obseruantes, & Parasceuen, & diem Dominicā, & Quadragesimæ Ieiunium, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diuersa in honorem Martyrum tempora constituta: quia nō Azymorum, inquit, Pascha celebramus, sed Resurrectionis, & Crucis, & Spiritus sancti veneramur aduentum. Et ne inordinata Populi congregatio fidem minueret in Christo; propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conueniremus. Cui D. Maximus Taurineñ. de Apostolica Quadragesima & Pentecoste suffragatur dudum recitatus. Hieronymus. Causa festorum Christianorum. An Iudaizet Ecclesia certos dies cùm festorum tum ieiuniorū obseruās. Homilia 2. de Pentecoste.

Similiter & D. Epiphanius in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vbi docuisset, quænā essent ab Apostolis præscripta, siue, vti ait, imperata ieiuniorum tempora, addit & quibus diebus non esse ieiunandum instituerint. Die Epiphaniæ, inquit, nec in Quinquagesimæ diebus Pentecostes, nec in festiuitate Resurrectionis, siue die Dominica. Rursum infrà, Preces autem assiduè imperat (Ecclesia Catholica ex Apostolorum instituto siue traditione) cum omni sedulitate & prolixitate ac geniculatione in ordi- Epiphanius. Quando Apostoli mandarūt non ieiunandū.

natis diebus, nocte atque interdiu ad Deum effundere.

Quibus ex testimoniis liquidum est Apostolos quædam Christianæ Ecclesiæ festa instituisse, nõ solùm in Sanctorum Martyrum, quod ait Hieronymus honorem: sed ad fidem etiam Christianam augendam, atque memoriam diuinorum inprimis beneficiorum per Christum collatorum fouendam: ne temporũ volumine, quod ait Augustinus, ingrata obrepat obliuio.

Cur festa olim instituta Christianis.
Augustinus de Ciuit. Dei.

Vnde mirandum sanè quod Socrates Historiæ suæ Eccl. lib. 5. cap. 22. scriptum reliquerit, Erat Scopus Apostolis (inquit) non de festis diebus sancire, sed rectam vitam, ac pietatem inducere. An non igitur Apostoli neque Pascha, neque Pentecosten obseruanda docuerunt? Certè id D. Ambrosius diserta dudum oratione docuit, & Hieronymus cum Epiph. D. Maximo, aliisque Patribus Orthodoxis affirmauit. Hæc festa igitur de quibus alibi fusius (si viuere dabit Dominus) ab Apostolis, eorúmue discipulis instituta cùm isti Confessionistarum Patroni ire inficias nequeant, conqueruntur de festorum multitudine, quam aiunt esse infinitam.

An festi dies in crimẽ idololatriæ vocandi quòd infiniti.

Istud incõsideratius, quàm verius dictum esse, res ipsa clamat. sunt quidem alias & alias per diœceses alia festa, sicuti & temporibus D. Hieronymi diuersa in honorem Martyrum festa pro Regionum varietate: sed nullo modo infinita. Olim fortè maior fuit querelæ locus, cùm plura essent, quàm nũc, festa: sed maiorum pietas ardentior hoc veræ pietatis, diuinique amoris fomento non tam offendebatur, quàm mulcebatur, fouebatur, augebatur.

Quid enim aliud piis maioribus nostris dies festi erant, quàm dulce quoddam æterni illius gaudij atque cælestis lætitiæ præludium? ab omni enim rerum temporalium cura vacui, ab omni seculari negotio alieni, ab omni officinarum opera feriati, nihil istarum prætereuntium rerum solliciti totos sese dabant diuinis laudibus celebrãdis, gratiis Deo opt. max. agendis, cælestibus meditãdis. Hæc enim cùm quotidie, ne dicam assiduè, Christiana pietas quemq. nostrũ præstare postulat. vbi verò maior fuit, flagrantiorq. pietas, frequentiora fuêre quoque festa Christianorum.

Festa piis sunt religionis fomẽta, pietatis nutrimenta, cælestisq. gaudij præludia.

Quid cuiquam die festo piis agendum.

Festa quónam modo Christianè colenda & sanctificanda.

An

An Apoſtolorum ætate, potiſſ. Ieroſolymis, primus ille à “
Chriſti reſurrectione annus aliud fuerit, quàm feſtorum an- “
nus? Erant quotidie perſeuerantes (inquit Lucas Actorũ 2.) “
in oratione & communicatione, & fractione panis. Hos imitati Chriſtianæ pietatis ſtudioſiores quique, deuotionique diuinæ magis dediti totos ſeſe toto animo dedêre diuinis meditandis, atque contemplandis, ab omni tam manuũ “
labore feriati, quàm ſeculari omni occupatione remotiſſimi. “
quemadmodum D. Hieronymus Comment. ad Galatas 4. “
teſtatur. Qui acutius illi quæſtioni (inquit de Pauli loco, “
Dies obſeruatis, & cæt. differens) reſpondent, illud affirmant, omnes dies æquales eſſe, nec per Paraſceuen tantum Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere: ſed ſemper ſanctum Reſurrectionis eſſe diem, & ſemper eum carne veſci Dominica. Ieiunia autem & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſeculo vacant, quàm Deo. nec poſſunt, imò nolunt, toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſq. eſt, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt vel orandi tempora, vel ieiunandi ſemper exerceat?

Annus primus à Christi resurrectione totus ferè fuit festus & feriatus.

Cur pauca festa olim Christianis instituta.

Sic & D. Paulinus Nolanus docet pientioribus atque ardentioribus rerum cæleſtium amatoribus omnes anni dies fuiſſe feſtos: ſed frigidioribus quoſdam certos.

Ex Natal. lib. 9. Piis ardentioribus omnes dies sunt festi.

Primus enim gradus eſt cælo, inquit, *pertexere cunctos*
Continua pietate dies, & tempore toto
Paſcha ſacrum Chriſti cultu celebrare pudico.
Quod ſi mixta ſeges tribulis mihi germinet, & cor
Incultum ſtimulat terreni ſpina laboris,
Vel feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus:
Vt vel parte mei tangam confinia vitæ,
Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.

Illis ergo verè piis hominibus priſcis Chriſtianis initio ſemper erãt feriæ, feſtaq. aſſidua diuinis meditãdis atq. contemplandis Deo dicata: Verũ quia pleriſq. placuit, vti ait Hiero. magis ſeculo, quàm Deo vacare, fuerũt & ſtata quædam feſta omnibus preſcribẽda: quib. ad orationes publicas cõuenirẽt

Feſtorũ certorũ finis, vt fides augeatur docẽdo, & pietas foueatur orando.

vniuerſi,

vniuerſi, ne inordinata cōgregatio populi fidem Chriſti minueret, ſed his ſtatis orandi temporibus & docendo augeretur, & orando foueretur.

Quò enim animus Chriſtianus rebus ciuilibus ſiue ſecularibus deditus, quibus à gaudio illo æterno abripitur, atque mirificè, quin potius miſerè impeditur; ſubinde quaſi ſuis à remoris retraheretur ad cæleſtia iterum toto pectore cōtemplanda, reſpectanda, redamanda, erat annus diebus aliquot feſtis, ceu cælum ſtellis, ornandus, ac veluti interſtinguēdus: quibus cæleſtis ſuæ ille admoneretur originis, ſuæq́. nō obliuiſceretur vocationis alia in vita promiſſæ. Scitè admodum hac de re D. Paulinus.

Annus feſtis, quaſi cælū ſtellis, interlucet ornatus.

Ergo velut cælum ſtellis, & floribus arua,
Temporibusque annos Dominus, ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit feſtis, vt pigra diurnis
Ingenia obſequijs, ſaltem diſcrimine facto
Poſt interuallum reduci ſolemnia voto
Sancta libenter agant reſides per annua mentes.
Feſta parent Domino. quia iugiter
Iuſtitiæ ſeruire piget, delinquere ſuetis.
Parcere peccato labor eſt &c.

Atque iterum.

Inde bonus Dominus cunctos pietatis vt alis
Contegat inualidis niti virtutis ad arcem
Congrua ſanctorum dedit interualla dierum.
Vt ſaltem officijs mediocribus vltima Chriſti
Veſtimenta legant, & eos ſacra fimbria ſanet,
Qui non extorres penitus regione ſalutis
Intra perpetuæ ſtabulant præſepia vitæ.
Longinqui primis, non longo fine ſecundis.

Deferueſcente igitur pietate, ſunt & ſtati dies orandi, teſte Hieronymo, ſicut & ieiunandi ſtatuti: quibus ad preces publicas erat omnibus conueniendum.

Varia feſtorum occaſio, varios pepetit dies feſtos.

Hi autem dies varia ex occaſione laudandi Dei fuêre conſtituti, ſiue ex beneficij per Chriſtū Dominum præſtiti memoria, ſiue ex Apoſtolorum fidei magiſtrorū, Martyrumque de mundo & fidei hoſtibus triumpho, ſiue etiā poſterioribus

ſeculis

ſeculis ex victoria de Eccleſiæ Chriſtianæ aduerſariis reportata. ſicuti eſt feſtum Exaltationis S. Crucis, aliáue iuſta de cauſa, quæ tum Eccleſię Dei pręſidibus placuiſſe potuit. Huc pertinet feſtum Circuncifionis, D. Petri ad vincula, & omnium Sanctorum: aliaque abolendis paganiſmi reliquijs inſtituta.

Verùm vti certis ex cauſis quædam feſta poſteris abierunt in diſſuetudinem: ita non ea vnquam fuit opinio neceſſitatis adiecta, qua nulla cauſa liceret aut publicis abeſſe precibus, aut corporali ſoluere labore, ſiue exercitio aliquo quaſi violare ac prophanare ſeculari. Diſertè namque in Conciliis generalibus declaratum eſt, feſta impunè violari tempore aut meſſis, aut vindemiæ.

Similiter qui in mari agunt piſcandi cauſa. Rurſus etſi ſub excommunicationis pœna ſtatutum ſit, omnes quotannis, ſaltem ſemel confiteri, atque in Paſchate S. Communionem adirę: tamen ne laqueus piis videretur iniectus, id arbitrio relinquitur Paſtoris: ex cuius conſilio differre licet, aut prorogare, aut etiam ad tempus abſtinere.

QVÆ cùm iſti delecti Confeſſioniſtarum defenſores ignorare non debeant (qui ſeſe Theologos & Conſiliarios Principum Proteſtantium profitentur) mera eſt calumnia, quòd aiunt dies feſtos, & eos infinitos, eſſe ſub excommunicationis pœna ac debita obedientia mandatos. Hoc quidem verũ eſt, mandatos eſſe dies feſtos ſub obedientia debita: ſed infinitos eſſe vaniſſimum eſt. ſicuti & illud, quod odij in nos concitandi cauſa adijciunt, ſub pœna excommunicationis, inuida & cæca eſt calumnia.

CAP. LIX. Inuida & cæca calumnia eſt aduerſariorũ, qui ſua ex profeſſione aliud norunt quàm dicunt.

Cæterùm penes Eccleſiam, eiuſque præſides auctoritatem eſſe ſtata, cùm orandi, tùm Ieiunandi tempora inſtituere, ſiue dies feſtos annuos ſuis cum vigiliis, id eſt, ſua iuſta ad orandum & contemplandum cæleſtia cum Paraſceue præſcribere, nulli dubium fieri queat, qui modò illud D. Pauli apud Chriſtianos locum habere meminerit, Obedite præpoſitis veſtris. Rurſus illud Pauli ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam. Quod D. Pauli dictum rectè Con-

Hebr. 13.

Rom. 13.

fessio Saxonica interpretatur de contumacia, quod est peccatum offendens Deum, & auellens, inquit, conscientiã à Deo. At si tam graue est peccatum non obedire magistratui ciuili & politico; quantò grauius non obedire, contumaciter resistere, reluctari, repugnare Magistratui Ecclesiastico, & illi in primis Ecclesię Pastori à Christo omnibus suis ouibus præposito? Qui enim vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. Tantum sanè auctoritatis Christus Dominus nũquam politicis tribuit; quantum hîc suis vicariis Apostolis, eorumque successoribus Episcopis: penes quos est ordinare, aut mandare, quæ ad gregis Christiani salutem æternam pertinent. Vos enim posuit Spiritus sanctus (ait Paulus Episcopis Mileti Act. 19.) regere Ecclesiam Dei: quibus non obedire, ariolari est; & obedire, melius quàm victimæ. Verùm de hac legitima præfectorum Ecclesiæ potestate, alibi erit aptior disputandi locus. Illud vnum nunc commemorasse suffecerit, Apostolos debita sub obedientia, imò cum quadam necessitatis opinione, sicuti ieiunãdi, ita & orandi tempora, siue dies festos instituisse. Nam Antiocheno in Concilio congregati scribunt, Visum est Spiritui S. & nobis, inquiunt, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato. Sicuti ergo Apostoli à certo alimentorum genere mandarũt sub debita obediẽtia abstinere, cur non ad tempus à cura secularium rerum vacare? Certè D. Epiphanius sicuti in ieiunandi ritu Apostolicum agnoscit mandatum: ita & in certo orandi tempore. Preces autẽ assiduè imperat (inquit in compendio doctrinæ de fide, agens de Apostolorũ traditionibus circa ritus ieiuniorum & festorum) Ecclesia Apostolica cum omni sedulitate, & prolixitate, & geniculatione in ordinatis diebus noctu atq. interdiu ad Deum effundere. Sed de hoc ambigere nequit, qui Paschatis atque Pentecostes festa indubiam meminerit habere originem Apostolicam, vti nobis testantur Ambro. D. Maximus, Epiphan. & alij PP. Orthodoxi. Vnde & Concilium illud Magnum Nicenum Apostolicam vindicãs traditionem, S. Paschatis festum certò affixit diei

Collatio magistratus politici & Ecclesiastici.

Actorum 19.

Apostolos quædam cũ opinione necessitatis, siue debita sub obedientia mãdasse.

Actorum 15.

D. Epiphanius.

diei, id est, primæ ferię hebdomadis post plenilunium. quam Sacrosanctam constitutionem quia Lutherus improbè vellicare, imò impudenter arrodere non erubuit, contendẽs fuisse Pascha in certum anni diem reponendum, vt more festorum, quæ vocamus immobilia, suam fixam ac statam teneret sedem, alibi à Iudaicis vindicabimus calumniis. Sed nunc quod præ manibus est agamus.

Lutherus immeritò calũniatur PP. Nicenos, quasi Iudaizẽt, quòd Pascha statuerint certò die Christianis colendum.

Quòd si hos ad vsus verè Euangelicos festa placeret cuiq. nostrum reuocare, non esset iusta de festorũ dierum aut numero immodico, aut abusu querela. Eos igitur si moderãdos quis fratrũ infirmior, siue vti Hieron. loquitur, qui seculo magis, quàm Deo vacare volũt, existimet, in potestate est Episcoporum Germaniæ sic de eis constituere, quemadmodũ apud Christum Iudicem sese rationem reddere posse confidunt. Proinde qui festos dies Catholicis solẽnes animo verè Christiano fuerit contemplatus, eos nisi ad orandum, gratias agendas, beneficia tunc oblata, victorias tum præstitas, diuina meditanda, cælestia contemplanda, & fidem cum primis sacris cum lectionibus, tum cõcionibus, sacrificiisq. fouendã, alendam, atq. confirmandã esse præscriptos adeò inter Idola eos referre non poterit, vt cultum habere verè diuinum, atq. re ipsa Euangelicum profiteri compellatur. Si enim Deus opt. max. orando & ieiunando colitur, quemadmodum D. Lucas in Annæ viduæ Euangelicæ laudem annotatum reliquit, ecquur non etiam Dei cultus est dies festus orationi, cælestium meditationi, & ad regnum illud Dei ac requiẽ æternã præparationi dedicatus? Ecquid enim aliud sibi vult festæ diei requies, atq. operarum vacatio, quàm vt ea de sempiterna admoniti requie, cuius iam præludiũ agimus, nos ad illã præparemus accuratius? Certè cùm istis rebus, quibus festa diximus consecrata, studemus, verè diem festum sanctificamus, quod nobis omnibus diuino præcepto est mandatum.

Vsus verus festorum arguit pietatis auctarium.

Festorũ numerũ posse imminui: & idcirco non esse iustã impij Schismatis causam.

Vnde festorum vtilitas cognoscatur.

Luc. 3. λατρεύουσα colens, obsequiumq. Deo præstans Anna ieiuniis, assiduisq. precibus festa legitimè celebrata, verum habent Dei cultum.

Requies festorũ & operarũ vacatio certũ est æternæ illius quietis præludium: ad quam nos festa piè sanctificata pręparare debeant.

De quo vt facilè inter Ecclesias cõueniat, ita & de festorũ numero. Nam Bucerus hostiũ Ecclesiæ nulli secũdus Christi regnũ in Anglia (si placet superis) instauraturus hãc certorũ temporũ, siue festorum ceremoniã planè docet necessariam. Post-

Concordia dissidentium facillima, modò Confessionistæ suis magistris habeant fidem.

„ Poſtquam enim ex Moyſe docuiſſet quanto religionis ſtudio
„ fuit olim Sabbathũ ſanctificatum,ſubtexuit, Hæc ſanè ſcri-
„ pta ſunt(inquit cap. 12.)ad noſtram doctrinam. Nam licet
ſoluti ſimus omni Moſæ pædagogia: nec Sabbathorum, at-
que cæterorum feſtorum, quæ illi populo veteri præcepit,re-
ligione ita teneamur; vt eoſdem dies,menſes & tempora ſer-
„ uare nos oporteat (eo ſcilicet pacto quo veterem populum
„ oportuit (attamẽ cùm, quæcunq. ad augendã fidẽ in Chri-
„ ſtum facere poſſunt, ea nos multò ardentiore,quàm veteres,
„ ſtudio(vt quib. regnũ Chriſti amplius eſt reuelatũ) inſtituere
„ apud nos,& vſurpare debemus: certè & hoc noſtri officij eſt,
„ vnum in ſeptimana diem religionibus publicè ſanctificare.

Bucerus piè admodũ de feſtis ſentit, lib. de regno Chriſti ad R. Eduardum.

„ Videmus enim perpaucos ad quotidianos ſacros conuentus in templo conuenire, vt primi illi Chriſtiani conuenire ſolebant. Alij enim neceſſitate quærendi victus impediuntur,alios abſtinet neglectus religionis. Quis itaque non videat,quàm ſalutari ſit Chriſti plebibus, vnũ eſſe in Septimana diem, ita ſacris religionibus conſecratum; vt in eo nihil aliud facere operis fas ſit,quã in ſacrũ cõuenire cœtũ, ibique audire verbũ Dei,preces ad Deum fundere, fidẽ confiteri,& gratias Deo agere, & ſacras oblationes facere, diuina ſacra-
„ menta percipere: atq. ita ſingulari ſtudio Deũ glorificare,& fidẽ augere? Hæc enim ſunt vera opera ſacrarum feriarum.

Sabbathũ quonã modo Chriſtianè ſanctificandum piis operibus, ſacrisq. oblationibus ac precibus.

Ea propter,ab ipſis Apoſtolis Dominicus dies his eſt actionibus conſecratus. Quod inſtitutum priſcæ Eccleſiæ religioſiſſimè obſeruarunt. Conſtantinus quoque Imperator illud grauiſſima auctoritate ſanciuit,vt teſtis eſt Euſebius Cæſarienſis, oratione quarta de illius vita. Quem in eo & alij Imperatores ſecuti ſunt,Theodoſius, Valentinianus, Archadius, Leo, & Antoninus: à quibus ſeueriſſimis prohibitum eſt pœnis,exhibere hoc die ſpectacula,aut voluptatibus dare operam: vt in eorum legibus videre licet, quæ habentur in Codice de feriis.

Nota Dominicũ diẽ ab Apoſtolis inſtitutum. Sed quónã Bucere ſcripto Dei verbo? Ita ſe ſuo miſeri iugulant gladio, vt ſuæ libidini faciant ſatis,dum quodlibet probant nullo edocti Scripturarũ teſtimonio: quas à nobis vbique poſtulant.

Quòd autẽ primum ſeptimanæ diẽ potius,quàm ſeptimũ, quẽ ſanctificandũ Deus in lege præceperat,Apoſtoli & priſcæ Eccleſiæ religioſis actionibus dicarunt, duæ cauſæ adferuntur: Vna quòd eo teſtari voluerunt, Chriſtianos Moſæ pæda-

Dies Dominica cur ab Apoſtolis ſit mandata, teſte Bucero.

dago-

dagogia nõ teneri: Altera, vt memoriã Reſurrectionis Chriſti, quæ primo die ſeptimanæ facta eſt, hoc pacto celebrarent.

Dominicis diebus adiecta poſteà & alia quædam feſta ſunt, vt feſtum Paſchæ & Pentecoſtes, obſeruatio Quadrageſimæ, feſtum Natalis Domini, Epiphaniorũ. quin & memoriis Martyrũ dies certi paſſim in Eccleſiis deputati ſunt: & ſingulis quoque ſeptimanis veteres, quarta & ſexta ſeptimanæ, conuentus ſacros & Ieiuniis celebrarunt. Idem fecerunt, quoties ſingularis aliqua Eccleſiam vel premebat calamitas, vel recreabat Dei beneficentia: aut ſolicitam tenebat inſtitutum aliquod magni mométi. Eamq. ceremoniam vel pij Principes indicebant, vel Epiſcopi.

Feſta Martyrũ Bucero probantur: ſicuti & Ieiunia hebdomadæ feria 6, & 4.

Penes Epiſcopos poteſtatem eſſe ait Bucerus feſta inſtituendi.

Quoniam autem in indicendo ſacras ferias id vnum ſpectandum ſit, vt Chriſti populus in religione melius inſtituatur, & ad omnem pietatem amplius inflammetur: diligenterque cauere oporteat, ne qua detur hominibus occaſio, faciendi in Sabbathis Domini voluntatem ſuam, elaborãdum ijs cum primis erit, qui Chriſti regnum cupiunt apud ſe reſtitutũ, vt Dominici diei religio ſolidè reuocetur & obtineat.

Feſta ſuum ad vſum reuocãda ſerio, atq. ſolidè.

Conſentaneum tamẽ eſt noſtræ pietati, & alias certas ferias memoriis ſanctificare præcipuorum operũ Domini, quibus noſtram perfecit redemptionem: vt diem Incarnationis eius, Natiuitatis, Epiphaniorum, Supplicij, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Pentecoſtes. Sed non tam curãdum eſt, quàm multæ ſacræ feriæ inſtituantur, quàm vt Domino, quæcunque fuerint inſtitutæ, verè ſanctificentur.

Cauendum ne feſta noſtra ſint Carnalia, quod olim deplorauit D. Bernardus.

Quantopere enim Dominus deteſtetur, nos in diebus ſuo nomini conſecratis propriam facere volũtatem, & carnis ſectari ſtudia, admodũ horrendis verbis teſtatus ipſe eſt Eſa. 1. & 58. Quocirca quaſcunque obſeruare ferias quibuſque Eccleſijs viſum fuerit, ſummoperè aduigilandum erit, vt Domino illæ totæ ſanctificentur, hoc eſt, vt non ſolùm vtilia corporis opera ijs diebus intermittantur; ſed multò magis euitentur opera carnis. Videmus enim, eò paſſim populũ Chriſti nomine inſignitum, eſſe prolapſum, vt nullis diebus offendat Deum grauius, quàm illis ipſis, qui Dei cultui ſunt peculiariter mancipati.

Abuſus feſtorũ tollendus.

Hoc ipſum pij quotidie ingemiſcunt vbiq.

Quamobrem, qui Principes, Presbyteri & Seniores Ecclesiarum, imò quilibet etiam Christiani, quisq. pro sua portione & vocatione non summoperè aduigilauerint, vt quas Ecclesiæ ferias sacris religionibus dicarint, Domino quoque ab omni populo solidè sanctificentur: hi obligant profectò se omnibus illis peccatis & Dei offensis, quæ illis sacratis ipsi diebus à populo admittuntur.

Cum Saxonib. facilè côueniat de festorum numero.

Hunc in modum Euangelicorum facilè Princeps Bucerus festa, etiam Martyrum, docet piè colenda & religiosè transigenda: quibus multò plura putarũt addenda Saxonici Theologi, quando de Religionis concordia pridem per Germaniã sarcienda pius Augustus Carolus V. satagebat.

Côcordia cum Saxonibus in festis maximis.

Siquidem præclarissimi illi Theologi Wittenbergeñ. alijque ordinum Protestantium doctores plurima festa, etiã non Euangelicæ Historiæ, concedenda profitentur: vt in actis Conuentus Torgeñ. liquet, vbi Paschati & Pentecoste biduũ addunt, Item S. Michaëlis & Angelorum. His alij addenda putarunt quædam alia, & in primis festum corporis Christi. Sic in Lipsico interim cap. de feriis legitur. Feriarũ Catalogus hic esto. Dies Dominicæ, Corporis Christi, festa Virginis Mariæ. vbi cæteris adijciunt, Quarta, quinta, & sexta dies in hebdomada Paschatis diem præcedente.

Festũ Corporis Christi & D. Mariæ festa à Protestantibus ad colendum præscripta. Sic & dimidiũ hebdomadæ Sanctæ.

Confessio VVirtemberg. de festis non digladiatur: quia arbitrio Episcoporum ea relinquit.

Ad hæc iactata illa VVirtembergensis Confessio vti omniũ solidissimè Anonymos istos Confessionis Augustanæ patronos refellit: ita facillimam iuxtà ac certissimã optatæ hoc in doctrinæ capite concordiæ aperuit viam.

Fatemur & hoc (inquit cap. de Ceremoniis) quod Episcopis liceat cum Ecclesiæ suæ cõsensu ordinationes dierum festorum, & lectionum seu Concionum ad ædificationem & eruditionem veræ fidei in Christum instituere.

Agenda D. Iulij Braunsvvyceñ. multa præscribit suis festa, & noua instituit.

Festa plurima etiã Illustriss. D. Dux Iulius Braunswyceñ. agenda præscribit. Inter quæ recenset festum Purificationis Mariæ, & addit festum Cœnæ Domini vsque ad prandium, Sicut & diem Passionis Domini vsque ad prandium: quo die vult passionem Domini & populo legi, & per semihorulam exponi. Festum corporis Christi ait permissu verbi Dei abolendum, vnà cum Assumptionis Mariæ: in cuius locum vult diem

diem S. Michaëlis ſolemniter celebrandum, tanquam vnú ex quatuor feſtis anni maioribus.

CAP. LX.

Turcica hæc calumnia Sacrilegum fouēt Eccleſiæ Dei ſchiſma Cæci proteſtantium Apologetici Anonymi.

QVAM ergo ſit Turcica planè calumnia, quá hîc in Catholicos cæci iſti Cõfeſſioniſtarum Patroni ſtruunt, piis omnibus nunc magis arbitror perſpicuum, quàm vt fuſiore ſit oratione refutanda. Quare huius Antitheſeos 24. epilogum qui æquò expẽderit iudicio, mirum ſanè, ſi riſum teneat: imò ſi à lachrymis abſtineat. Quis enim non lugeat ob tam friuolas cauillatiunculas, mera mendacia, prodigioſasque calumnias Illuſtriſſ. Electores Imperij Rom. Ordines à Catholica Chriſti Ieſu diſceſſiſſe Eccleſia? Sed audiamus, obſecro, quónam pacto delecti iſti Cõfeſſioniſtarum defenſores hanc concludant 24. Antitheſin. Hæc autem quæ hactenus enumerauimus (inquiunt fol. 179.) ſuperſtitioſa, Idololatrica & impia dogmata, & multò his plura & ſimilia, in Papatu inualuiſſe, atque etiámnum vigere ac defendi, id nemo ignorare poteſt, & res ipſa loquitur in omnium defixa adhuc oculis, vbi Papiſtæ obtinent regnum, & quotidianum harum ceremoniarum & nugarum praxin exercent. At verò aduerſus hæc diuina ſcriptura æternum, immobile, & expreſſum Dei mandatum hoc nobis proponit, Fugite Idololatriá. Item: Cauete à falſis Prophetis: quo ſeuerè præcipitur, vt vitemus dogmata impia, & verbo Dei contraria, ac ſeiungamus nos ab his, qui in Eccleſiá Chriſti errores ac manifeſta Idola inuehunt.

Impius aduerſariorum huius 24. Antitheſeos Epilogus.

RESPONSIO LINDANI.

Patronos Confeſſioniſtarum ſua in Sophiſtica præclarè exercitatos ſuis capi Sophiſmatibus.

RECTÈ Dialectici ſuis in rudimentis præcipiunt Tyronibus, Ex falſis principiis non niſi falſum colligi. quam regulam, quæ ſingulare adferat attentis & vigilantibus lectoribus aduerſus Sophiſtarum captiones amuletum, ſi arguti iſti Confeſſioniſtarum Patroni in Sophiſtica, qua ſemper hæreſiarchæ excelluerunt, mirificè exercitati prudenter conſideraſſent, meritò ipſos ſuæ iſtius iam dudum depuduiſſet concluſiunculæ. Quæ enim illi appellant dogmata ſuperſtitioſa, Idololatrica, impia, nihil magis talia ſunt appellanda, quàm Chriſtus Antichriſtus, aut Satanas Deus.

Accuſare non ſufficit Eccleſiá de Idolomania, aut verbo Dei per Catholicos adulterato.

Si enim

Si enim Ecclesiæ dogmata accusasse suffecerit impietatis, aut superstitionis, ecquid tandem Christianis, hoc potissimū seculo, relinquatur saluum, aut supersit vsquam incolume? Confessionistę Catholicis plurima detrahunt variis cum dogmatibus Sacramenta: Caluinistæ Catholicis & Confessionistis verum Christi corpus conantur suffurari: Seruetiani & Poloni Arrhianizantes Catholicis, Confessionistis, & Caluinistis Sacrosanctam expugnare student Trinitatem: Alij impij illis omnibus tandem diuinam etiam (prò impudētiam! ô infandam impietatem!) non verentur eripere maiestatē. Ita nunc furit ille Cacodæmon diuino, quantū apparet, permissu Apocalyptica solutus catena, vt omnem semel pietatē ex hominum mentibus tollat, deleat, aboleat. Quapropter non suffecerit diuinam Religionem cælesti magisterio Catholicæ iam olim Ecclesiæ totum per orbem cōcorditer traditam erroris nefarij, aut superstitionis ethnicæ, nedum impietatis, aut Idolomaniæ accusasse: sed liquidis, minimeque controuersiis id demonstratum oportuit diuinarum scripturarum sententiis, aut luculentis Orthodoxorum Patrum testimoniis comprobatum.

Infestum Cacodæmonis in Christi Ecclesiā studiū tam varium per varios hostes intentatum, magis arguit penes eam esse Germanissimum Dei verbum.

Porrò quā nihil prorsus eiusmodi hac in causa effecerint isti generosi Confessionistarum delecti defensores, Theologi, & Consiliarij politici, piis atq. candidis lectoribus perspicuū cōfidimus. Nam quæ isti per contumeliā dictitant dogmata superstitiosa, demonstrauimus certis ex diuinis scripturis veram Dei Opt. Max. religionem complexa: quæ accusant Idololatrica, ostendimus ex clarissimo Dei verbo verum habere Dei cultum: quæ ipsi deniq. blasphemant impia, genuinam atque Euangelio Christi propriā euicimus indubiis Orthodoxorum PP. testimoniis continere pietatem, germanissimamque Apostolorum Christi spirare doctrinam. Taceo nunc plurima Christianæ doctrinæ axiomata, & piorum rituum capita, quæ nobiscum concorditer obtinent Cōfessionistarum Principes, atque Theologi, non postremi, tanquam Euangelio Christi nequaquam aduersaria: quæ isti temerarij nugatores Confessionistarum Patroni Euāgelio audacter, imò temere pronunciant ex Diametro contraria. Ideoque tanquam

Quàm sit friuola istorū Anonymorum calumniatorum accusatio & Catholicorum oppugnatio plus quā ficulnea.

Quæ delecti Confessionistarum defensores in Catholicis accusant impietatis atq. Idolomaniæ, à Principibus Protestantium nobiscum communiter coli & obseruari.

tanquam Idola insanè reijciunt Papistica: Qualia sunt exorcismus paruulorum, consignatio per S. Crucē per Confessionem Principum Saxoniæ Saxonibus; Item Lunenburgēsium Lunenburgensibus; Item Turingiæ suis Turingis præscripta.

Sic & Lutherus ipse Imagines, & Purgatorium sua in Confessione statuit, quà pro defunctis citra peccatum orari posse tradit. similiter ceremonias nugacissimi Confessionistarū Patroni nugas appellant: cùm Pater Confessionistarum Lutherus eas Christianis facit liberas, omnibusq. si libet, citra peccatum retinendas. quales, inquit, sunt ornamenta Missæ, Cerei altarium, templorum ornatus, & cætera. Imò Confessionistarum pleriq. admodum seuerè hæc statuūt obseruāda.

Luthero aduersari nouos Cōfessionis Augustanę Patronos.

Atqui nugis istis, dixerit aliquis, grauem opponunt arietem delecti Confessionistarum defensores, Verbum Dei, fugite Idololatriam. verùm hanc iam pridem nos, Deo Opt. gratia immortalis, effugisse Do. Christi beneficio singulari nobis gratulamur, asserentes nos prorsus nihil aut seruasse, aut recepisse, quod veram, germanamq. vel sapiat Idololatriā. Quę namq. isti temerè appellant Idola, nequaquàm sunt Idola: sed legitima pietatis Christianæ signa, veręq. religionis Euangelicæ exercitia, ab Apostolis, eorumúe discipulis Euangelio Christi concorditer iuxtà ac cōformiter nobis totum per orbem tradita. Deinde plurima isti Anonymi Confessionistarum Patroni (quos suum meritò puduit nomen profiteri, ne aut fœdæ notarentur inconstantiæ, aut perfidæ damnarētur Apostasiæ) inter Idola cū Lutheranorū hostibus Caluinistis, alijsq. furiosis ardelionibus atq. erronibus accēsent, quæ ipsi Confessionis Augustanæ Professores vel primarij: imò ipsi eius auctores Lutherus, Melāchthon & Brentius vnà nobiscum negant Idola: quemadmodum de puerorum exorcismo, de sacrosancto Crucis Domini signaculo frontibus puerorum imprimendo, de Imaginibus, de Missæ ornamentis, de cereis in altari accensis, aliisque demōstrauimus.

An Catholici non obediant Verbo Dei, fugite Idololatriā?

Quæ isti rabulæ noui Confessionis Augustanæ defensores Idola dicūt, ipsi Confessionis Augustanæ auctores Idola negant, & Principes Protestantium Catholicis concorditer in hunc vsque diem obseruāt.

Quia igitur Catholici dogmata dudū à præclaris istis delectis Confess. defensoribus hac 24. Antithesi oppugnata sequimur, obtinemus, defendimus, nō idcirco habēdi, nedū dicēdi sumus falsi Prophetæ, quod hoc in Epilogo exprobrant,

quùm nihil falſum doceamus:ſed germaniſſimã Euangelij re vera Chriſtiani toto iam olim orbe Eccleſiis per Apoſtolos, eorumq́. diſcipulos concorditer traditam doctrinam conſtanter obtinemus, pioq́. ſtudio conſeruatam poſteris ſtudemus ſartam tectam tradere atque propagare. quemadmodum ex concordi nobis omnium patrum Orthodoxorum ſententia, claroq́. Dei verbo ab initio accepimus.

Quod nunc quia liquidò ſatis candido lectori veritatis magis, quàm contentionis ſtudioſo demonſtratum confidimus, friuolam & temerariam, imò nullam hac ex accuſatione habent Confeſſionis Auguſtanę defenſores cauſam, cur à Catholica Dei Eccleſia diſceſſionem fecerint ſchiſmaque iſtud ſacrilegum (quod Imperio Rom. vereor equidem ne ruinæ æternæ ſit occaſio) tanta cum animorum exacerbatione, infanda fidei Chriſtianæ diſſipatione, lugenda deniq́ue orbis Chriſtiani perturbatione inuexerint. quemadmodum ex iis quæ loco Epilogi ad Illuſtriſſ. Electores, omnesq́ue Romani Imperij ordines venient dicenda, candidis liquebit lectoribus piæ veritatis, quàm ſtultæ Logomachias amantioribus.

FINIS TOMI TERTII.

APOLOGETICI PRO RELIGIONIS CATHOLICAE CONCORDIA

EPILOGVS:

Cui Paręnesis ad Germanos est subtexta.

CANDIDO LECTORI.



Abes hoc tertio loco L.C. Paræneſin, cum Epilogo huius Apologetici pro concordia Catholicæ Religionis, ad Ro. Imperij Illuſtrißimos Principes Clementiſſimos D.D. & Ordines Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores, quòd hominum doctrinis varijs & peregrinis à verò ſeducti, non habent aut defendunt doctrinam Chriſti Ieſu verè ac merè Euangelicam: ſed mutilatam, & Priſcorum hæreſiarcharum dogmatibus adulteratam, ideoq. vix ſemichriſtianam.

Addita eſt Concordiæ Ratio cum Eccleſia Chriſti Catholica longè omnium facillima. Cumq. non ſit in illis xxiiij. doctrinæ capitibus ſuo codice ad Ferdinandum Auguſtum expoſitis nunc maiori ex parte (ſex aut ſeptem exceptis) ferè reconciliatis, iuſta ſchiſmatis Germanici faciẽdi, nedum continuandi cauſa, neceſſariò ipſis redeundum eſſe oſtenditur ad mutuam reconciliationem, fideiq. verè Euangelicæ concordiam, & ouilis Chriſti (cui eius vice Pius V. præſidet) vnitatem, niſi ſuo in paricidali ſchiſmate certò malint perire, atq. infeſtiſſimo Chriſtiani nominis hoſti Turcæ, iampridẽ Germaniæ inhianti exemplo Græciæ, vicinæq. Hungariæ tragica velint fieri præda. Quod omen Chriſtus auertat propitius!

EPILOGVS APOLOGETICI CVM PARAENESI PRO CONCORDIA IN VERO CHRISTI EVANGELIO AD GERMANOS.


INIME arrogás, aut temerariũ, arbitror, vi debitur Illuſtriſſ. Principes, Electores, DD. Clementiſſ. Ordines Ro. Imperij Confeſſ. Auguſt. profeſſores, quòd hunc vobis Apologetici noſtri de fidei Chriſtianæ Cõcordia Tomũ inſcripſimus: cùm veſtri cauſa totũ hoc arduum cumprimis negotiũ nobis ſuſceptũ ſit, atq. concordiæ Eccleſiaſticę à vobis oblatę aliquando conficiẽdę ſpe potiſſimum exantlatũ. Etſi enim mea ſponte ſatis eſſem ad præclará hanc Eccleſiarũ pacẽ omnibus, quibus tandemcũq. hac pro virili licet, aut licebit vnquá rationibus tentandam atq. moliendam propenſus; quum ea nihil hac in vita mihi equidem cõtingat optatius, nihil deſideratius: mirificè tamen blanda ſcripti veſtri cohortatione quaſi calcaribus ſum extimulatus, dum pios omnes vbiq. viros pro ſuis quę que viribus vt collaborẽt, exhortamini ad veritatem cæleſtem propagandam, pacemq. Eccleſiarum cõciliandam. Ad quod officij genus præclarũ ſanè, & quo humana in primis gaudet, colitur atq. ornatur vita, cùm equidẽ me ſi nõ natum, ſtudio ſaltem ſingulari deditum ſentiam, (nam præ cuius ſtudio nihil omni hac in vita fuit vnquam prius, aut antiquius, aut laboratius) totum me peculiariter veſtri cauſa modò illi impẽdere placuit, quòd cæleſtis veritatis Amaſiæ meę amore & vos cũ haud vulgariter inflámatos animaduerterẽ, veſtrá vicem cogerer indefeſſis apud Deũ piis cũ querelis, cũ precibus dolere ſimul atq. deplangere, adeoq. deplorare. Perſpicuum enim Dei Opt. benignitate cùm eſſet vos miſerrimè aliorũ fraude captos imò Sophiſtica ludificatos, verborumq. præſtigijs verè faſcinatos non ſolũ pro theſauro effodiſſe noui iſthac quaſi Euágelij fodina carbones: ſed pro Chriſti doctrina certò Euangelica indubitatam ſuſcipere, colere, defendere veri Antichriſti impietatẽ, certiſſimis priſcorum hęreſiarcharum

rum

rum erroribus contaminatam dānatiſſimis dogmatibus conſtabilitam, atq. fœdiſſimis calumniarū & mēdaciorum nebulis centonum more conflatā, pij omnes quotquot vſquā terrarum veritatis puræ putæ Euangelicę ſunt ſtudioſi, veſtram ſortem perdolēter ferre, iugibusq. lachrymis apud cæleſtem patrem non poſſunt non deplorare. Quàm enim miſera, vereq. toto lachrymarum fonte lugenda, ſanguinolentisq. grumis atque guttis deploranda veſtra ſit cōditio, ſi dignanter audire non erit moleſtū, paucis nunc ob oculos ponere ſtudebimus.

Initio demōſtraturi vos qui Confeſſionis Auguſtanæ defenſionem hoc ſcripto A. Ferdinando Francfordię an. 62. oblato ſuſcepiſſe profitemini, doctrinam tenere atq. tueri non verè, aut merè Catholicam? ſed ſemichriſtianā, prophanisq. priſcorum hæreſiarcharum dogmatibus contaminatam, vereq. impietati Antichriſtianæ conſentaneam, atq. perpetuo cū Vet. Orthodoxorū PP. conſenſu pugnantē, adeoq. verbo Dei diſſentiētem, & ex diametro contrariā. propterea quotquot Cōfeſſionem ſequimini Auguſtanā, nō Dei verbum, vti plerisq. perſuaſum video, ſed humanā ſequi doctrinā; non à Patre cęleſti plantatā, ſed ab illo hominum inimico ſathana bono illi verè Euāgelico ſemini toto pridē per Apoſtolos orbe concorditer diſperſo ſuperſeminatam. vnde & certò eradicabitur, quemadmodū ante aliquot ſecula, licèt ad tēpus olim floreſcere viſa, ſtirpitus fuit ſubinde extirpata. deinde indicatis obiter iſtius veſtri ſcripti Aſyſtatis (nugas enim, friuola, & ridicula, quibus iſtud opus aſpergere, imò attaminare placuit, nunc ſilentio pręteribimus, & manifeſtis veſtrorum cōſiliariorum, imò Theologorū potius mendacijs, vaniſſimisque calumniis, oſtendemus à verò Chriſti Euangelio vos longè aberrare nefario illorum veſtrorū & Theologorū, & conſiliariorū Politicorum ſtudio, doloq. malo deceptos, doctrinisq. varijs, & peregrinis ſeductos. facillimam deniq. ſolidæ ineundæ concordiæ monſtrabimus, Chriſto fauente atque aſpirante, rationem, quòd in iſtis 24. capitibus, propter quæ quaſi ob errores, vti affirmatis, impios atq. prophanos, & ſuperſtitioſa, Idololatrica, & impia dogmata à Catholica receſſiſtis Eccleſia, paricidaleque iſtud atq. ſacrilegum feciſtis ſchiſma, vix 6. aut

Propoſitio. 1. 2. 3.

ſummum octo ſuperſunt doctrinæ capita, vbi vera eſt rerum diſſenſio, aut iuſtum aliquod doctrinæ diſſidium. In aliis enim aut partim factam iam pridem reconciliationem, aut tantùm eſſe verborum pugnā, inanemq́. logomachiam, aut captioſam amphibologiam, homoniam, aut aliam Sophiſticæ fallaciæ ſpeciem; qua incautis, imperitisque illi homines verè callidi, aſtuti, atque verſuti fucum fecêre quidem hactenus: ſed quibus orbi nunc demum oculos mentemq́ue recipienti illudere diutius non poſſunt, neque ludificari. nam & iſtorum inſipientia, quemadmodum D. Paulus de ipſorum auis heterodidaſcalis, priſcisque hæreſiarchis dixit veriſſimè, iam manifeſta eſt, planiſſimeque hoc in ſcripto demonſtrata.

Inuocatio.

Quæ vt ſalutariter ad publicam Eccleſiarum pacem conficiantur, Chriſtum Ieſum, qui omnes vult ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire, ideoque multò magis erraticas ſuas ouiculas ad ſe redire, ſuppliciter precati, vt noſtri omnium miſertus illuminet vultum ſuum ſuper nos, mentisq́ue oculos ingenita omnibus caligine liberatos ſua cæleſti luce illuſtret, ac fontem æternæ ſuæ ſapientiæ cùm primis pacificæ, benignus aperiens dulcem eius guſtum aſpiret, cæleſtique ſui Spiritus ſancti vnctione doceat, quod in rem præſentem quàm maximè faciat, vt qui nobis concordiam quærentibus propitius donauit fidem, largiatur & pacem. Amen!

CAP. 2. Quòd noui Cōfeſſionis Auguſtanę defenſores non tuentur doctrinam Chriſti Euāgelicam: ſed Antichriſti cum priſcis hæreſiarchis.

IGITVR quòd doctrinam non veram, hoc eſt aut plenè Chriſtianā, aut merè Catholicam illo veſtro ſcripto Frācfordiæ A. Ferdinando oblato minimè tueamini, aut propugnetis, ſed impiis priſcorum hæreſiarcharum dogmatibus contaminatam, vereque deformatam, ideoque perpetuò PP. Orthodoxorum conſenſui pugnantem, ipſiq́. adeò Dei verbo contrariam, inde omnibus huc attentis, verumq́ue videre volentibus fiat meridiana ſolis luce manifeſtius, quòd repudiata Eccleſiæ Chriſti Catholicæ (quæ vos Deo pridem S. baptiſmo regenerauit, fide illuminauit, Canonicis, certoq́. diuinis libris dudum inſtruxit, auctoritate iam cum damnatiſſi-

Libri Canonici SS. Scripturarū à Confeſſioniſtis impiè repudiati cū priſcis hæreſiarchis.

tiſſimis, iuratiſſimisque ſuis hoſtibus, diuinos non paucos libros impiè reijcitis, irreligiosè damnatis, ſacrilegè proculcatis. Nam cùm [1] Arrianis Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos; cùm [2] Alogianisq. Apocalypſin. D. Ioãnis Theolog., & Euangeliſtæ; cum [3] Iudęis denique libros Machabæorum à Chriſtiano diuinarum ſcripturarum Canone impiè ſubmouetis. Nihil in præſentiarum dicendum arbitramur quòd renouata Marcionis illius Pontici temeritate auream illam D. Iacobi [4] Apoſtoli Epiſtolam reſpuitis quaſi ſtramineam (vtor enim veſtri Euangeliſtæ, ſi Chriſto placet, verbo mirifico) ſed quam Caluinus acriter retũdit, contendens ex aduerſo illam eſſe Apoſtolico ſpiritu digniſſimã. Nihil hîc dicendũ, quàm non exiguis partibus illos ipſos etiam diuinos libros, quos nobiſcum pro Canonicis concorditer retinetis, habeatis exemplo Marcionis Pontici veſana veſtrorum magiſtrorum perfidia arroſos, imò ſacrilego plagio corruptos, deprauatos, adulteratos. quemadmodum videre eſt in illis primis Lutheri Verſionibus adeò varijs, adeò pugnãtibus, vt ipſum alicubi profiteri hoc ipſum non puduerit. Quòd ſi quis diſcipulorum perfricta fronte inficiari auſit, mox vnus aut alter locus ad Ro. I. & V. vnde ferè omnis controuerſiæ de ſua ſola fide iuſtificante pendent capita, iſtius ſacrilegij fecerint fidem. diſertè enim de ſuo fidelis interpres illud ſolum adiecit. Plura qui cupiat adulteratæ per Euangelicos interpretes S. Scripturæ exempla, Dubitantij noſtri dialogos conſulat.

1 Epiphanius hæreſ. 69.
2 Auguſtinus ad quod vult Deum.
3 D. Auguſt. de Ciuitate Dei.
4 Nicephor. lib. 4 cap. 28. Lutherus præfat. noui ſui Teſta. Caluinus præfat. in epiſt. D. Iacobi refutat Lutheri blaſphemias.

Libri Scripturarum à Confeſſioniſtis retenti, ſunt deprauati more priſcorum hæreſiarchatũ, vt Marcionis, & aliorum.

Lutherum & alios Euangelicos deprauaſſe SS. diuinas ſcripturas & Verbi Dei oracula.

CAP. III. Quòd Confeſſioniſtæ nõ habent Dei verbum, etiam illis in libris, quos nobiſcũ cõcorditer pro diuinis obtinent ab Eccleſia Chriſti ſurreptos.

An cuiquàm igitur mortalium mirum, aut paradoxum meritò videatur vos non veram, aut ſemichriſtianam habere doctrinam qui non verum habetis Dei verbum? Hoc enim à nobis mutuatum retinetis, aut mutilatum: idque non modò partibus aliquot, & capitulis, ſed libris etiam totis: aut ſi quam eius partem nobiſcum concorditer obtinetis totam eandem non habetis integram, incorruptam, inuiolatam.

Porrò vt qui perturbatum, aut adulteratum amat bibere fontem, concupito fruſtratur aquæ ſalutaris fructu: ita & vos, qui omnem veritatis Cæleſtis fontem, Verbum Dei, habetis aut partibus aliquot mutilatum, aut ſententiis variis de-

deprauatis adulteratum, corruptisque locis non paucis perturbatum an mirum sit à verò aberrare, aut non plenam obtinere doctrinam Christianam?

Quod si hoc de scripturis Canonicis caput Illustriss. principes & DD. Clementiss. libeat, positis partium studiis, paulo accuratius contemplari, solùm sanè ad sarciendam Ecclesiarum tam miserè diuulsarum concordiam valeat eximiè.

Complura namque sunt fidei dogmata nunc tempestatis inter Ecclesias controuersa momenti sanè permagni, de quorum concordia ferè tota pendeat Religionis pax, quæ certam accipiant definitionem, si de certis inter nos conueniat scripturis Canonicis. Talia sunt, exempli causa, de operum piorum iustificatione, de eorundem meritis apud Dominum, de solido fratrum hinc nos ad Do. præcedentium auxilio atque suffragio similibusque minimè friuolis aut superstitiosis.

Quæ dogmata dum Catholici pro Orthodoxia, germanaq. Apostolorum doctrina populo Dei proponimus, vobisque opposita ex scriptura Canonica Christianis diuinitus tradita statuimus, adulteri audimus, verbi Dei caupones, falsarij, fermentum humanæ doctrinæ admiscentes. At vestri doctores semichristianam Religionem inuehentes, ecquid obsecro aduersus Catholica illa dogmata, modò memorata dignum afferunt? nempe quòd mali solent debitores, qui vt creditorem fallant, sua inficias eunt Chirographa. Negant enim hunc aut illum librum esse Canonicum, quia ipsorum non arridet palato. Imò quia suo aduersatur stomacho cacochymia & pituitosa venenatarum opinionum quasi humorum saliua deprauato. Haud aliter atque olim Arriani epistolam ad Hebræos, Alogiani Apocalypsin similibus illusi delirijs. quos eosdem cùm & vestri de Canone Christiano abijciunt, an non illis plus, quia posteriùs, insanire sese orbi demonstrant? Sed quò sese totos Anticyra opus habere, helleboroque egere declarent, cum Iudæis quoque libros duos Machabæorum de sacro Ecclesiæ Christianæ resecare malunt Canone, quàm reliquis fratribus Christia-

nis constanter de his, vti de reliquis, consentire. Atqui istud quàm manifesto affine sit delirio quisquis non est phanaticus, facilè perspexerit. hunc aut illum negant librum Canonicum: sed quánam, obsecro, audiamus ratione? an alia quàm olim, vti nuper diximus, Arriani, Alogiani aut Seueriani? aut aliæ Christiano palliatæ nomine pestes? At quur non pari obtinetis auctoritate totum diuinarum scripturarum Canonem in Oecumenicis Ecclesię Dei Catholicæ conciliis iam pridem contra vniuersos veritatis hostes hæreticos, apostatas, Iudæos probatum, qua eius partem? An hîc aliud, quàm cæca ex philautia ortum suum priuatum adferunt iudicium? quod totius Ecclesiæ Dei, quæ spiritum Veritatis ex Christi promisso assiduè habet, sequiturque magistrum, audacter quidem, sed stolidè præferunt iudicio. verùm arrogantissimũ istud contentiosorũ hominum supercilium non solùm modestis toto orbe improbatur Ecclesiæ Christianæ filijs: sed à suis etiam Syneuangelicis extremę damnatur temeritatis, quemadmodum de epistola D. Iacobi dudum diximus, quam contra vestri Lutheri oraculum ille Caluinus censet verè spiritu dignam Apostolico, cùm Iudaica impietate Lutherus appellasset stramineam.

Cæterùm cùm doctores vestri non sint inficiãdo sese à Catholica nostra Ecclesia sua quondam matre quasdam Verbi Dei partes contra Dei verbum mutuatos, sicuti & quædam fidei dogmata, vt fidem Christi ex fide oppugnent, an non phanaticæ videatur dementiæ de vna, aut altera epistola siue libro Canonico ad rauim vsque contendere, cùm & ingentia ex mera eius auctoritate non quidem scripta, sed tacita, silentioq. prodita traditione Ecclesiastica indubij vnà nobiscum communiter suscipiant volumina, reuerenterque plurima obtineant dogmata?

Phanaticorũ est quandã Canonicorum librorum partẽ reuerenter suscipere, partem irreligiosè proculcare: cùm omnia sint vnius Dei spiritus oracula.

Si in quibusdã venerãda & irrefragibilis est Catholicę Dei Ecclesię auctoritas hos libros pro Canonicis approbãtis; illos pro Apocryphis reprobantis, cur non, quæso te, suis in libris omnibus? an nõ insaniæ proximũ, quæ prorsus eiusdem ponderis sunt, parisq. auctoritatis intercernere, vnum pro Canonico reuerenter habere, alterum pro Apocrypho contumaci-

ter execrari? Atqui Canonicarũ ſcripturarũ idem eſt omnino pódus, eadẽ dignitas, par auctoritas: quia eiuſdẽ Spiritus Dei oracula, de quibus cũ Chriſtiani Chriſtianã audire debeamus Eccleſiã contra Iudæos, cõtra hæreticos contra omnes deniq. impios, hoc vel illud pro Verbo Dei agnoſcentẽ atq. definien tem, nullus piis Dei cultorib' reliquus eſt aut dubitãdi aut diſcernẽdi locus. Proinde Illuſtriſſ. Principes & DD. Clemẽtiſſ. ſi hanc Catholicã Dei Eccleſiam vnã illam ex millibus electã Chriſti ſponſam vtraq. aure audire eſſet animus, verã procul dubiò & plenã ſequeremini doctrinam Chriſtianã, quia Dei verbum haberetis totum & integrum, quod nunc ab iſtis Semichriſtianiſmi imò Antichriſtianiſmi (quod mox liquebit) magiſtris perſuaſi ſuſcipitis aut partibus impiè mutilatũ, aut ſententiis non raris neq. momenti exigui ſacrilegè deprauatum, nefarieq́. adulteratum. Vnde nihil admirandum ſi veram Euangelicam Chriſti Domini non obtinetis doctrinam, qui illorum dolo malo ac nefaria veritatis fraude qua nihil perniciosius, illo vero vitæ fonte, id eſt, germano Dei Verbo re vera orbati deliras hominum mente corruptorum ſectamini doctrinas, traditionesq́. verè Pharizaicas pridem ab hęreſiarchis quidem veris Pharizæis Dei Euangelium ſuo fermento adulterantibus ſuperſeminatas, ſed nunc falſo Euangelij noui prætextu Chriſtianis renouatas, & interpolatas. quod iam obiter vt demõſtretur, locus poſtulat. Nã ſi ad dogmata fidei Chriſtianæ deſcendamus, multò fiet quod agitur manifeſtius, nimirum vobis pro Verbo Dei Euangelico meras hominum venditari doctrinas, imò prophana, adeòq́ue impia hæreſiarcharum impudentiſſimè obtrudi dogmata.

Noui Euangelici verè ſunt Semichriſtianiſmi, adeoq́. Antichriſtianiſmi magiſtri.

Hæreſiarchæ veri ſunt Pharizæi, quos noui ſectantur & interpolãt Euãgelici noſtri.

Cap. 4.

Cõfeſsioniſtis pro Dei verbo callidè vẽditari hominũ doctrinas, vereq́. obtrudi ſacrilega hæreſiarcharum dogmata.

Non iſtud ganeratim hîc de omnibus demõſtrabimus Euangelicis, vti alibi oſtẽdimus per Lutherum renouatũ inter alia Sathanæ monſtra Neſtorianiſmum; per Illyricũ, aliosq́ue Arrianiſmum; vti & per Caluiniſtas, qui & Manichæiſmum de baptiſmi inefficacia inſtaurat, atque Anabaptiſtas; per alios alias repullulaſcere veri Euangelij peſtes: ſed quod in præſentiarum agitur agentes, tantum veſtram Euangelicam Confeſſionis Auguſtanæ proteſtantium excutiemus doctrinam.

Vide Dialogos noſtros Dubitantij.

Hæreſiarcharũ priſcorũ peſtes per Lutherum, Caluinũ, Illyricum aliosq́. in Germania repullulaſcere.

Confeſsioniſtarum Magiſtros impiè ſuis Euãgelij loco pha-

Huius

naticos Manichæi furores paſsim obtrudere.

Huius igitur Confeſſionis Auguſtanæ auctores cum Manichæis liberum reiecerunt, adeoq. damnarunt arbitrium improbè ſeruum: nequid à Stoicis illis impijs hæreticorum patriarchis diuerſum, aut à fato illo Stoico alienum facere videantur. ſiquidem Manichæus, quem diſcipuli in Gręcia vitantes nomen inſaniæ, quaſi ipſo doctiores & mendaciores, Manichæum quaſi manna fundentem appellarunt (vti & Lutheri nomen fuit ex loddero expolitum venuſtius) peccatorum originem non libero hominis tribuebat arbitrio: Sic & Lutherus aſſeruit ad hominis ſalutem bonaque opera lib. arbitrium nihil operari, non magis quàm gladius ad vulnus, ſed merè pati. Rurſus, nos ſeruos eſſe in quocunque ſtatu ſumus ſiue concupiſcentiæ, ſiue caritatis. vtraque enim dominabitur libero arbitrio. Item liberum arbitrium figmentum eſſe in rebus, ſiue Titulum ſine re; quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare vel mali, vel boni: ſed omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt. An quid dicatur magis Stoicum, imò Manichæicum? Similiter & Melanchthon omnia neceſſariò iuxta diuinam prædeſtinationem euenire: Voluntati noſtræ libertatem, ait, per prædeſtinationis neceſſitatem adimit Scriptura. Itē fatemur Dei opera propria eſſe, ſiue quę media vocātur, vt edere, bibere; ſiue quæ mala ſunt, vt Dauidis adulteriū &c. Conſtat enim Deū omnia facere nō permiſſiuè, ſed potenter, id eſt, vt ſit eius propria Iudę proditio, ſicut Pauli vocatio. Ita locis Com. an. 21. & Cōmentar. ad Roma.

1.

De lib arbitrio Lutherus renouat Manichæi errores Stoicos.

Operat. in Pſalmos Reſolut. 7. Concluſionis.

De articulis per Leonem damnatis.

Philip. Melāchthon olim verè Manichæus faciebat Dei opus propriū Iudæ proditionem.

Hunc locū, poſteà pudore victus diſpunxit ſuis in locis Cōmun.

Verùm quamquā Philippus vſu ac tempore doctior factus & à Catholicis per aduerſaria ſcripta eruditus hanc præclaram ſuam, adeoque Euāgeliſtæ Saxonici Lutheri doctrinam damnarit, & Stoica iſta dogmata fatalemq. neceſſitatē pluſquàm paganam annis iam plurimis execrari cœperit, quam initio multos per annos Euangelij nomine libris plurimis defenſam nunc appellat Manichæorū furores, & deliramēta contendens aliquā eſſe contingentiam, voluntatiſq. libertatē concedendā; Deum etiā non eſſe peccati cauſam: tamen aliqua adhuc parte in fœdiſſimo impuriſſ. Manichei luto hærēt diſcipuli pleriq. omnes. Sed miſſum faciētes inſanū illum Manichæū, videndū quid ſanioris doctrinæ magiſtri veſtri Euan-

Vide locos Cōmunes an. 36. & anno 38.

gelici ab aliis mutuati hæresiarchis vobis pro Euangelio venditant.

II. Similiter enim cũ Aërio negatis fratres Christianos in Do. piè mortuos adiuuari posse viuorum aut precibus, aut eleemosynis, aut tremendo deniq. Saluatoris nostri sacrificio: quæ tamen Catholica Dei Ecclesia verbo Dei erudita, scripturis verè Canonicis & Orthodoxè intellectis instituta, pręclaris Apostolorum traditionibus stabilita, perpetuo Patrum Orthodoxorum consensu confirmata semper in hunc vsque diem constanter toto orbe terrarum vbique obtinet. vbi dudum Cap. xxx. copiosè iuxtà ac luculenter demonstrauimus.

Protestantes cũ Aërio sentiunt de precibus siue sacrificijs, quæ fiunt pro vita functis fratribus.

III. Stata Ieiunia Ecclesiæ Catholicæ vnà cum Aërio proteruiter reijcitis & conculcatis, quæ ab initio vsque magna semper atque perpetua religione coluit & obseruauit respubl. tota Christiana, vti cap. LVI. ostensum est.

Sic & de statis Ecclesiæ Ieiunijs.

IV. Quod Sanctos Dei homines, imò amicos, adeoq. filios nõ vt Deos adorantes, aut diuino cultu venerantes: sed vt Dei donis ornatos religiosè, vt pro nobis Deum orent, inuocantes colimus, à vobis audimus impij, sacrilegi, idololatræ: sed ad istam blasphemiam iam pridem cum pijs maioribus nostris ab impijs vestris auis Iuliano, Eunomio, Vigilantio, Porphyrio, aliisque obiectam acriterque exprobratam, occalluimus. vt hîc non inuidiosè repetamus eadem ex calumnia olim & Mahumetismum fuisse exortum, cui inuehendo nunc (prò dolor) noui vestri doctores præludunt eximiè. quippe cui doctrinæ capitibus plus minus viginti egregiè consentiunt. quemadmodum Dialog. Dubitantij lib. 2. ostendimus. Hanc autem Orthodoxam sanctorum inuocationem non esse verbo Dei, aut PP. veterum doctrinæ dissentaneam capite primo huius Apologetici est demonstratum.

Confessionistę Catholicos de sanctorum cultu & inuocatione calũniantur quasi Idololatrica cũ Iuliano Apostata, Porphyrio & Vigilantio.

V. Statuas Christi Domini atque sanctorum omnium nobis inuidetis, eripitis, conciditis, manibus, ferro, flamma perditis. sed quid ab Iconoclastarum furore alienum vos patrare iudicabit posteritas? De his vide cap. 55. huius Apologetici.

Statuas & Imagines quidam Cõfessionistarum confringunt & abolẽt.

VI. Iam cuiúsnam illud obsecro est Euangelici Spiritus quod prætextu libertatis Euangelicæ cum Iouiniano, alijsque virginitatis angelicæ hostibus libertatem euertitis Euangelicam?

Confessionistę Cælibatum & castitatis vota cum Iouiniano rident & abolent.

cam? an non omnibus per Chriſtum liberum eſt hoc, vel illo vitæ genere, ſiue in matrimonio viuere, ſiue in Cælibatu? an non omnibus liberum eſt hoc, vel illo cibo vti; carnibus aut vti, aut non vti; vino vti, aut abſtinere?

Hîc quia cum Iouiniano Virginitati, etiam voto ex Apoſtolorum exemplis confirmatæ, matrimoniũ præfertis, quis tam fuerit impudenti ore, vt vos negare auſit priſcam hæreſiarcharum, imò dæmoniorum prætextu noui Euangelij renouare doctrinam?

An proteſtantes renouẽt dæmoniorũ doctrinã olim per Iouinianũ impiè exortam.

VII. Cæterùm vt breuis ſim, cùm Sacramenta Chriſti Domini verè fingatis cũ Marcoſijs, & Archonticis, & Maſſalianis ineſficacia, ideoq. vobis inutilia, an non Chriſtus vobis gratis & fruſtra mortuus eſt? Quum enim profiteamini manere peccatum originale, non tolli baptiſmo, ſed tegi; non aboleri, ſed celari, non ablui, ſed manens tantùm non imputari, an non pro Chriſti Euãgelio impiam Antichriſti tenetis, colitis, propugnatis doctrinam?

Confeſſioniſtæ cum Archôticis Sacramenta Chriſti planè docẽt ineſficacia, & peccata re ipſa nõ tollere, neq. abolere. Vide Epipha. hæreſi 34. & 40. & Damaſcenum de hær.

Paucula hæc quaſi emblemata libuit veſtro ex ſcripto D. Auguſto Ferdinando Franfordiæ anno 62. pridem oblato decerpere, vt totus tandem perſpiciat orbis illud non pro defenſione ſyncerę & Orthodoxę (vti titulus profitetur) Religionis fuiſſe compoſitum, quod ad poſteritatem de ſummorum Ordinum Ro. Imperij erga Religionem Chriſtianam ſtudio extet: ſed verè eſſe pro innouãda, propaganda & defendenda priſcorum hæreſiarcharũ Manichęi, Aërij, Iouiniani, Iuliani, Porphyrij, aliorũq. impiorum hominũ; imò vti Paulus de vobis prophetauit, dæmoniorũ doctrina impia atq. ſacrilega editũ: quę iam olim nõ ſolùm perpetuo PP. Orthodoxorũ cõſenſu ſit iugulata: ſed ſæpius Oecumenicis etiã Conciliis damnata, adeoq. manifeſtis verbi Dei ſentẽtiis anathemathizata. Iſtę ſunt namq. doctrinæ illę vanę atq. peregrinę, à quibus ſuos contribules Hebræos, omneſq. ad vnum Chriſtianos hortatur cauendum, doctrinis, inquiẽs, variis & peregrinis nolite abduci. Quæ ipſiſſima variæ, impiæ, veræq. Antichriſtianæ doctrinę capita quia veſtri Theologi atq. Cõſiliarij politici defenſores Confeſſionis Auguſtanę à ſummis quibuſdam Imperij Ordinibus (vti gloriose in titulo profitetur) delecti

Falſus noui ſcripti Cõfeſſioniſtarũ A. Ferdinando exhibiti Frãcfordiæ Titulus.

Noui Confeſſionis Auguſtanæ Apologetici & Patroni bona fidei dogmata malis

Antichristi & Dæmoniorum Doctrinis permiscent vnde viri boni haberi nequeunt.

delecti cum aliquot sanis doctrinæ verè Euágelicæ capitibus, (quæ mellis loco ne quis fraudem sentiat, illinunt) maleficorum more permiscent boni viri esse non possunt. rectè enim apud D. Ignatium veteri ex Comœdia versiculus ait;

Μηδεὶς ἀγαθὸς λεγέσθω κακῷ τὸ ἀγαθὸν κεραννύς.

Bonus vir dicendus non est, qui bono malum permiscet.

Vide D. Ignatij epist.

Quod si in illos hæresiarchas suæ ætatis dixit verissimè D. Ignatius, qui vnum aut alterum tantùm admiscebant fidei Christianę dogma pestilens, ecquid de vestris istis Theologis Illustriss. principes & DD. Clementiss. censere debetis? quivt vobis fucum faciant venenatis, dãnatis, impiis dogmatibus, quæ à priscis hæresiarchis mutuati emẽdicarunt, nouo nunc Euangelij stibio ea pingentes, palliantes, & interpolantes verum Dei Verbum, doctrinamque purè Apostolicam ac verè Euangelicam perpetuo PP. Orthodoxorum consensu nobis, vestrisq́. maioribus toti orbi concorditer iam pridem traditam nihil dubitãnt contaminare, adulterare, abolere? Mirum enim in modum blandis ac verè Syrenicis verborum præstigiis omni lenocinio Rhetorico, imò Sophistico expolitis fascinatos huc illuc, quo tandem cumque ipsis libet, vos abripiunt, æternã vestram salutẽ ludibrio habentes. Ista enim noua Theologia Veteribus PP. verè incognita, vereq́. omnibus, nisi Dei hostibus, Ecclesiæq́. perduellibus inaudita, quæ vera falsis, vti demonstrauimus confundit (quod verissimè in Academicis Cicero de suę ætatis philosophis nouis dixit) spoliat vos iudicio, priuat approbatione, omnibus orbat sensibus.

An eos iudicio hac in causa præstare dicas, quos in locum lucis verè Euágelicæ, doctrineq́; ab Apostolis certò piis vbiq. traditæ densissimas ac teterrimas hæresiarcharum tenebras inuexisse planè vides? An non omnibus orbati videntur sensibus, qui suas hasce tenebras plusquam Cymmerias, imò verè Ægyptiacas, quia à Domino ad illorum instar pœnæ causa noxiè inflictas pro vero Euangelij lumine, cui ex Diametro repugnãt, totiq́. Orthodoxorũ Patrum cõsensui aduersantur, audent cęco orbi obtrudere? Quod tolerabile videri queat, si in vno, aut altero fidei capite istud nefandissimũ facinus molirentur. sed cũ id sit exẽplis doctrinæ certò Antichristianæ sep-

tenis demonstratum, vbi pro Euangelica Do. Christi doctrina ipsissima Antichristi (quia hæresiarcharum Manichæi, Iouiniani, Aërij & aliorum interpolant Euāgelij pallio dogmata) ecquid frontis putabimus iis esse reliquum, qui Augustanę Confessionis propugnatores tam impudenter suam audent vlterius iactare doctrinam esse Euangelicam? Proinde cùm tota illa nobilis Augustanæ Protestantium Confessio humanæ doctrinæ fermento sit deformata, & deprauata, ni verius dæmoniorum quis dixerit vti demonstrauimus, quisnam obsecro alius exspectari prudentibus viris Confessionis Augustanæ euentus, quàm à Dei filio Christo Iesu est prophetatus? Omnis plantatio, inquit, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Quod quia veteres historiæ Ecclesiasticæ nobis testantur priscis illis hæresiarchis ad vnum omnibus incunctanter accidisse, quorum nunc noua noui Euangelij voce ab orco reuocantur venenata dogmata, ecquid obsecro aliud sperandum, qui illorum ingressi vestigijs, noua ipsorum humanæ sapientiæ superseminant Euangelio per Apostolos semel orbi concorditer tradito semina virulenta, pestilentiaque sui magistri Sathanæ mendacia, quibus nunc totum istum orbis angulum excæcare, imò fascinare sunt ingressi? Verùm vt istorum τῶν γοητῶν prǽstigiatorum, siue vti Paulus vocat, nouæ doctrinæ, imò Pseudoeuangelij magistrorum fascino salutaris adhibeatur aliquando medicina, ad alterum huius Tomi caput veniendum, vt ipsi DD. Illustrissimi quauis luce clarius videatis vos à vero Christi Iesu Euangelio miserè abductos, atque impio istorum improborum hominum studio mēdacijs manifestissimis, sicophantijs prodigiosissimis, calumniis deniq. impudentissimis dolo malo, imò nefario deceptos aberrare.

Matth. 15.
Confessionē Augustanā idem certò manet interitus, quem Christus Do. omnibus prophetauit hæresiarchis, quorū doctrinas illa interpolat & Euāgelij stibio renouat.

Cap. 5.
Quàm improbis planèque illiberalibus artibus à Christi Euangelio ingenui Ro. Imperij ordines sunt seducti à suis versipellib. concionatoribus.

Vt vos igitur à Germana Catholicæ Dei Ecclesiæ doctrina suas ad nouas, varias, peregrinas, impiasq. opiniones abducerent, siue seductos suis imperiis homines isti sanè imperiosissimi seruiētes subiugarēt, durissimoq. seruitutis plusquā Babylonicę vobis, eheu dolor, prô pudor, vobis, inquā, natura liberrimis imposito iugo in vera seruitute sua Ægyptia detinerēt, im-

Captiuitatem plusquàm Babylonicam suis auditoribus inferunt noui isti concionatores à Christiana libertate Dei populum auocantes.

improbè fingunt, mentiuntur, calumniantur Catholicos auitam, priscam, adeoque Apostolicam obtinentes doctrinam aliud docere, quàm vos sentitis, atque iuxta Verbum Dei, perpetuúque Vet. Patrum Orthodoxorum consensum nobis concorditer in plurimis fidei dogmatibus etiámnum creditis, & tenetis: aut germanam illam Orthodoxæ Religionis Christianæ veritatē corrupisse, deprauasse, adulterasse. Quod vt facerent callidius simul & versutius, 24. capita statuunt, in quibus, aiunt præclari isti & generosi delecti Dominos suos Ro. Imperij Ordines Confessionis Augustanæ Professores à Catholicis (quos illi petulanter Papistas conuiciantur) ob doctrinæ errores dissentire, ideoq. ab eis recessisse, sacrilegumque istud, imò paricidale, aut verius exitiale schisma fecisse.

Quæ 24. capita siue Antitheses Christianæ doctrinæ si quis expenderit accuratius, Catalogosque abusuum, siue potius ferragines insulsissimas nugarum, sycophantiarum, mendaciorum, prodigiosarumque calumniarū excusserit pensiculatius, obstupescet, sat scio, rem istam tanti momenti, in qua æternæ salutis cardo versatur, tam mala fide, imò tam perfidè ab istis delectis Confessionistarū Patronis esse actam. Siquidem agnoscet eos (vt nūc illas nugas Canoras de Asino palmis ornato, de Campanæ pulsu ad *Aue Maria*, de Oratione Dominica per Rosarium annumerata, & similia, inter Idola, si Christo placet, Papistica ab istis grauissimis Catonibus accensita, aliaque futilia, friuola, ridicula, planeque puerilia, imò anilia omittamus; asystata denique turpia silentio prætereamus) fœdissimis mendacijs, improbis sycophantijs, vanissimis calumnijs istud bellum sacrū, vereq. sacrilegū audacter aggressos, prorsusq. temerè exorsos. Quod vt Illustriss. VV.DD. semel liquidò ob oculos ponatur, breui tabella illustriores tantū cōprehensas dabimus apertiss. calūnias, meras sycophātias, vanissima mendacia, quæ in Catholicorū fingūt hærere doctrina, quò istac doctrinæ Christianæ à nobis quasi adulteratę caussatione, vos à cōsensu cū vera Christi Iesu Ecclesia absterreant. Cùm enim plurimis in doctrinę capitibus hoc in codice recensitis inter nos sit vera consensio, fingunt illi pręclari Ecclesiarū pacificatores esse inter nos doctrinarū

Mala fide rem summi periculi ab Anonymis cócionatoribus nomine Principum Protestantium esse gestam noua Confessionis Augustanæ Apologia Ferdinando A. oblata.

Anti-

Antithesin, pugnasque irreconciliabiles. quod paulò inferius declarabitur diffusius simul & aptius. Sed nunc mendaciorũ & calumniarum prodeat Catalogus, quibus hoc vestrũ scriptum nomine Ordinum Ro. Imperij Augusto Ferdinando exhibitum contaminare, vestrasq́. Illustriss. DD. infamare delecti vestri Anonymi Confessionis Augustanæ defensores non dubitarunt.

NOBILIORVM ALIQVOT CALVMNIARVM SIVE MENDACIORVM IN CATHOlicam Christi Ecclesiam magis illustrium Catalogus ex noua Confessionis Augustanæ apologia collectus, omissis ijs quæ ex obliquo Catholicam respiciunt doctrinam.

1 *Catholicos nõ tantum densissimis & impijs tenebris inuoluisse religionem: sed prorsus nouum doctrinæ genus inuexisse, plenum horribilium errorum, impietatis & Idololatriæ.* Ex operis Anonymi præfatione fol. 95.

2 *Biblia esse incerta & ambigua prorsus, materiam litis, regulã Lesbiam, Sphingis Aenigma & Ecclesiæ non necessaria.*

3 *Laicos à lectione Bibliorum lingua vernacula arceri.*

4 *Quòd exemplo Turcarum & Iudæorum relicta prophetarum & Apostolorum doctrina in locum Bibliorum humanas in Ecclesiam inuexerint traditiones.*

5 *Traditiones humanas esse non minore reuerentia suscipiendas, quàm quæ per Spiritum S. in scripturis sunt tradita.*

6 *Apud Catholicos honorari Sanctos diuinis honoribus, & coli vt Deos.* Antith. 1.

7 *Venerandas Imagines à Catholicis pro Idolis coli.* Antith. 2.

8 *Hominem solis Liberi arbitrij viribus posse legem implere.* Antith. 7.

9 *Catholicos docere semper dubitandum esse an Deus nos inuocantes exaudire velit.* Antith. 9.

10 *Quòd doctrinam Legis & Euangelij confundamus, & ex Christo Mosen faciamus, & ex Mose Christum.* Antith. 10.

11 *Catholicos, Turcas, Iudæos idem ac reipsa dicere: videlicet hominẽ mereri vitam æternam externa honestate, virtute ac vitæ innocentia, & per hanc externam & ciuilem Iustitiam homines Deo placere, quorum mores sunt honesti, & vita integra.* Antith. 14.

Antith. 15. 12 *Diuum Augustinum tantùm duo docere Sacramenta: quibus Catholici alia V. addiderint.*

13 *D. Ambros. libris de Sacram. tantùm duo tradere Sacramenta.*

Antith. 17. 14 *Quòd Baptismo præferamus Confirmationem.*

Antith. 18. 15 *Patres negare Confeßionem peccatorum esse necessariam Pœnitentibus aut Lapsis.*

16 *Catholicos docere Contritionem mereri remißionem peccatorum.*

Antith. 19. 17 *Remitti culpam criminum nostris ieiuniis, peregrinationibus, & similibus operibus.*

Antith. 20. 18 *Fuisse in Concilio Constantien. prohibitam vtriusque speciei communionem laicis dandam.*

19 *Catholicos docendi Euangelij, Sacramentaque administrandi ministerium contemnere.*

Antith. 21. 20 *Sacerdotes non ad docendum, sed ad Missas celebrandas præfici.*

21 *Catholicos sanctißimum vitæ genus Coniugium impijs legibus sursum deorsum iactasse:*

Antith. 22. 22 *Illudque vt impurum esse à nobis traductum, & Christianæ pietati inimicum.*

23 *Quòd sanctum Coniugium doceamus abiurandum.*

24 *Catholicos docere Matrimonium esse rem prorsus carnalem, prophanam, ac Deo minimum placentem.*

25 *In locum Matrimonij Catholicos substituisse impios Monachorum & monialium ordines, Mœchos & concubinarios. &c.*

26 *Cautum esse Cano. Concilij VI. generalis ne foueretur Cælibatus.*

27 *Quòd doceamus Coniugatos esse in carne, siue carnaliter viuere, qui Deo placere non possunt.*

Antith. 24. 28. 29. 30. *Dies festos, & eos infinitos, esse à Catholicis sub pœna excommunicationis mandatos, apud quos Magicæ olei, aquæ, salis, &c. vigent incantationes.*

Hæc & istiusmodi alia tam sunt piis auribus apud Catholicos abominanda, vt ex Acherusia palude fœdiores, neque tetriores exhalent vapores; nec Anagyris commota ita esse posset molesta sano capiti.

Execrandis enim hisce aut dogmatibus, aut criminibus, anathema dicit Catholica Dei Ecclesia.

Istiusmodi artibus prorsus improbis, illiberalibus, planéque vanissimis

vanissimis mendaciis, frigidissimisque calumniis viri Principes Illustrissimi & DD. Clementissimi vobis per istos nouos nouæ, imò putrida ex hæresiarcharum sentina renouatæ impietatis magistros illusit hactenus Sathanas; qui ipsos suis laqueis, vti D. Paulus ait, astrictos, atque ob vitiorum, quibus fuêre dediti compedibus captiuos in omnem protraxit impietatis tam nouæ quàm vetustæ abominationem. Suo enim superbiæ spiritu afflatos, ita spiritu illo vertiginis, de quo est apud Esaiam, imbuit; adeoq. repleuit, vt nihil pensi habuisse omnibus verè piis videantur quid sentirent, quid docerent, quid tenerent, licet sibimetipsis, suisq. manipularibus dissonans ac pugnãs, modò Catholicis viris germanis Apostolicæ ac Euangelicæ doctrinę filiis sentirent aduersaria, dicerẽt pugnantia, docerent contraria.

Lutheri inconstantia in doctrina Euãgelij sui noui.

Quis enim (vt exempli causa paucos commemorem) satis obstupeat tantam in Luthero huius paricidalis schismatis chorago doctrinæ inconstantiam? quàm qui plenius de Indulgentiis, de operibus bonis, de Purgatorio, de Eucharistia cognoscere desiderat, Dialogos nostros Dubitantij nomine editos consulat.

Philip. Melãchthonis spiritus vertiginosus. Vide Ioachimũ Camerarium in eius vita.

Quid nunc Philipp. Melanchthonem referam, qui nouo istius noui Euangelij dogmate captus, eiusque pedica exitialiter strictus ita vertiginoso notabatur spiritu, vt & scholas damnare, deserere, claudere; opificiũ manuale discere, adeoque Pistoriam facere non dubitarit; quò bonas artes omnes, ingenuasque semel disciplinas magno Sathanæ gaudeo perderet, euerteret, aboleret.

Vide Colloquiũ Molbrunneñ.

Ita Heidelberg. Theologi cõtra Tubingeñ.

Melanchthon Cothurnus Germanicus.

Sed hæc delirum magis arguant, quàm impium. Verùm cuiúsnam religiosæ mentis censendum, quòd suos locos cõmunes vbi tam fœda toties conspurcasset doctrinæ suæ pugnantia, illud de S. Eucharistiæ doctrinæ caput tam variè corruperit, vt Caluinistæ nihil dubitent vel editis in publicũ libris scribere, ipsa ad sua tandẽ defecisse, adeoq. Lutherum quoq. ipsum in eadem perduxisse castra? An igitur rectè Melanchthon vulgo dicatur Cothurnus Germanicus, viderint eius discipuli.

Sed ne longiores, quàm par sit, hac in re omnibus notissima

Bucerus alter Vertumnus.

ſimus, quidnam monſtroſius Buceri inconſtantia, qui à vero digreſſus inſignem iſtius vertiginoſi ſpiritus ludum, bellúq. ſpectaculum orbi exhibuit. Initio enim euulſa poſt abiectá Euágelicę ſuæ militiæ teſſerá Chriſtianæ doctrinæ pietate, ad Franciſcum Siccingēn. Imperij hoſtem vbi defeciſſet Lutheranus, poſteà Zvinglianus, deinde iterum Lutheranus, mox Caluinianus, poſtremò ſemiIudæus, vel vt alij, apoſtata; tam varium ſeſe præbuit vt Chamæleontis potius, quàm hominis ſpeciem referre, pijs doctiſq. ſit viſus.

Bucerus abiecto Cucullo fit Lutheranus. Deinde Svinglianus. Iterum Lutheranus. poſtea Caluiniſta: poſtremò, ſemiIudæus vel apoſtata.

Huius generis Protheos quid fuerit opus accenſuiſſe plures, qui abnegato Luthero & Brentio, quorum in primis Euangelicorum Catechiſmos & libros, vti teſtis eſt edictum Heidelbergeñ. Academiæ ſcholis templisque, ceu impios, Euangelióque veſtro contrarios explosêre, ad hoſtes Sacramentarios transfugêre, ad quos nō modò tota Heidelberg. ſchola: ſed & Marpurgeñ. & Tubingeñ. & aliæ inclinare, fugamque adornare ſperátur. adeò vt iam non pudeat Suinglianos veritatis ſuæ Caluiniſticæ iactare de Papa Saxonico Luthero, eiusque ruina victorias? ſed quid iſtos, inquam, fuerit opus plures accenſuiſſe, cùm iſti ipſi præclari veſtræ Confeſſionis Auguſtanę ex profeſſo, vti verbis quidem aiunt, Propugnatores atque delecti defenſores tam illuſtria vertiginoſi huius ſpiritus hoc vno in ſcripto ediderint ſpecimina, vt nemo ſapientum illuſtriora deſideret.

Academiæ Lutheranæ Lutherum & Brentiū damnant, & ad Caluini caſtra deficiūt Heidelbergeñ. Marpurgeñ. Vide Petrū Dathenū cōtra Francfordieñ. Caluiniſtæ victoriam canunt de Luthero Victo.

Qua verò id fecerint ſui Euágelij noui tum nota, tum iniuria, nihil in præſentiarum dicere attinet fuſius. Illud inſtituto huic oportunum, ideóque nobis perſequendum copioſius, quod ſtrenui iſti veſtri defenſores, vti ſeſe appellant, Theologi, & Cōſiliarij politici à Confeſſionis Auguſtanæ ordinibus delecti dubium eſt an ſeipſi fœdiore contumelia, an vos grauiore affecerint, edito hoc ſcripto, iniuria.

CAP. VI. Tranſitio ad demonſtrandam iſtorum nouorum Confeſſionis Auguſtanæ patronorū pugnam cum vera Confeſſione Auguſtana.

CVM enim vbique præ ſe ferant ſeſe partes DD. ſuorū Principum & Imperij ordinum agere, qui oblatam Auguſtę, inquiunt, Confeſſionem fidei amplectuntur, quàm ſuo pugnantia faciāt inſtituto, æquis vos per Chriſtū obſecro, veſtrāque ſalutem æternam obteſtor, animis accipite, omnibusque animi neruis intentis prudenter animaduertite.

Quòd

Quòd si istos igitur nouos Confessionis Augustanæ defensores ex Diametro illi primæ ac veræ defendere pugnantia, aut contraria monstrauerimus, an non procul dubio se ipsos iugulasse fuerinr conuicti? Sed vestra magis salus æterna Illustriss. principes, & DD. clementiss. vestra, inquam, salus æterna nobis magis cordi est atque curæ, quàm illorum temeritate, imò dolo malo in præceps discrimen adductam dolemus atque deploramus. Professi estis oblata illa Carolo V. A. Confessione Augustana vos verum Dei verbum tenere atque confiteri.

Iam verbum Dei, siue fides Dei, vti & Deus vnus, nisi vna esse potest. Quòd si tunc verbũ Dei estis professi, certè nunc nefaria istorum fraude decepti, doloq. malo ludificati, cùm illi contraria & ex diametro pugnantia profiteamini, adeóq. pro Dei verbo propugnare adnitamini, non Dei verbũ, quod sui semper simile, idemq. est, sed antichristi, imò (liceat quæso verum dicere) diaboli verbum profitemini.

Si Confessio Augustana fuit Dei verbũ, vti habet Protestantium præfatio ad Carolũ V. A. iam Protestantes nõ habent Dei, sed diaboli verbũ, quia illi primæ ideoq. veræ Cõfessioni Augustanæ docent ac defendunt contraria.

Quò igitur execrabiles istorum nouorũ Augustanæ Confessionis defensorum fraudes, & scelerati, perniciosi, vereque exitiales doli mali vobis detegantur planius, ipsi vos vestram per salutem obsecro atque obtestor, conferre ne grauemini hoc vestrum scriptum Francfordiæ Ferdinando A. anno 62. exhibitum illa cum Augustæ anno 30. oblata Carolo V. A. vestra Confessione.

Non hîc leuiculas aliquot sententiarum logomachias, quas non paucas licebit attento lectori perspicere, persequẽdas nobis duximus; tametsi fœditate non caret detestabili in fidei doctrina tam esse varium, dubium, atque inconstantẽ: neque noua ipsorum tractabimus dogmata Confessioni Augustanæ ignota, aut aliena; qualia sunt de vbiquitate, de omnipræsentia, de personali duarum naturarum vnione, & similibus Paradoxis, de corporis Christi in Spiritum, imò in Deum mutatione: Sed primaria aliquot Euangelicæ doctrinæ perstringemus capita, vnde nostra procul dubio pendet salus æterna.

Vide Bezam fol. 401.

Sacrosancta Christi Domini Sacramẽta quibus Deus opt. 1
religiosos suæ fidei cultores & peccati expiare, & animi lan-

Pugna nouorũ Cõfessionistarũ.

contra Confeff. verè Auguftanā de numero Sacramentorum. guores,morbosq. ſanare,nos deniq. totos iuxta vocis etymon ſanctificare dignatur, ad præcipua Religionis Chriſtianæ capita pertinere quis tam fuerit oblitus nominis Chriſtiani,qui audeat inficiari? Hæc verò tria eſſe diſertis admodū verbis, quia olim fuiſtis profeſſi,tanquā verbū Dei;quemadmodum Tom.2. cap.32.eſt demonſtratum,atq. clariſſimis non ſolùm Lutheri,Melāchthonis, Brentij,aliorumq. veterum Confeſſioniſtarum teſtimonijs: ſed aperta etiam Cōfeſſionis Auguſtæ Carolo V. oblatæ, atq. Apologiæ eodē anno 30. impreſſæ oratione illic à nobis ita eſt luculenter confirmatum, vt vel cæco, quod dici ſolet, fiat perſpicuum.

Atqui nunc hoc veſtro ſcripto Ferdinando Cæſari oblato non tam veſtri obliti, quàm iſtorum impoſtorum fraude ludificati; imò pſeudoprophetarum, ſiue vti Paulus appellat γοητῶν præſtigiatorum faſcino excæcati duo tantùm profitemini, pluribusq. vet. Orthodoxorum PP. teſtimoniis,ſed illorum perfidia deprauatis,aut dolo malo detortis, demōſtrare annitimini.

2 Pugna de S.Euchariſtiæ doctrina cōtra veram Auguſtanā Cōfeſſionem. Porrò in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ myſterio contaminādo, imò prophanando, aliiſque fidei dogmatibus deprauandis quánam iſti veſtri defenſores verſipelles ſint vſi calliditate, verſutaque aſtutia & fraude prorſus Sathanica,paucis quæſo
„ benigni accipite. Præclara illa veſtra Confeſſionis Augu-
„ ſtanæ Apologia anno 30. in lucem edita perſpicuè ex vete-
„ rum PP. teſtimoniis docet piè ac rectè S. Euchariſtiā offerri
„ in gratiarum actionem.

Sic quidem tunc illi genuini germanę Confeſſionis Auguſtanæ propugnatores veſtram explicarunt & propugnarunt fidem de S. Euchariſtia. At nunc iſti noui eiuſdem Confeſſionis Auguſtanæ veſtri defenſores pro Idolo, vti in ſuo futili illo ridiculo,imò blaſphemo appellant Catalogo. Hunc Dei cultū habēt,adeóq.damnant atq. anathemate iugulāt.Simi-

3 Pugna de oratione pro mortuis. liter orationes pro mortuis Vetus illa Confeſſ. Auguſtanæ Apologia nō damnat. At iſti noui veſtrę Auguſtanæ Confeſſ. Apologetici illas inter ſuperſtitioſas,& Idola referunt papiſtica. Ita Purgatorium iſti figmētum volunt eſſe papiſticū: cùm

ipſorum

ipſorum pater Lutherus in finẽ vſq. vitæ pro mortuis oran- 4
dum docuerit, vt ipſorum miſereatur Deus : Cui & Confeſ-
ſionis Apologia anno 31. edita ſuffragatur. Sed ne quid am-
plius dubitare poſſitis Illuſtriſſ. Principes & DD. Clementiſſ.
vos veſtræ Confeſſioni verè Auguſtanæ, ipſiusque Apologiæ
hoc in ſcripto tenere pugnantia, profiteri adeóq. tueri ex dia-
metro contraria locus vnus perſpicuè doceat & euincat, qui
eſt de diuina myſtici panis tranſſubſtantiatione.

Pugna de Purgatorio, quod Lutherus ſemper docuit, adeoque defendit, ac pro fidei articulo in ſua Confeſſione vltima edidit: cui & Apologia ſuffragatur. Vide P. Dathenũ contra Francford.

Vos iam pridem anno 30. tanquam purum Dei verbum 5
profeſſi eſtis (ſic enim habet veſtra Confeſſio Carolo V. anno
30. exhibita) vos credere in Euchariſtia eſſe ſub ſpeciebus pa
nis & vini verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu
Chriſti. quemadmodum præter oculatos teſtes nobis ſuffra-
gatur Illuſtriſſ. D. Antonius de Iſenberch Comes Budingeñ.
veſterq. Heshuſius, Valentinus Erythræus, Caſpar Swencfel-
dius, aliiq. non obſcuri apud vos nominis. Quinetiam ipſa-
met Confeſſionis Apologia eodem anno in lucem data illu-
ſtria veterum Orthodoxorum PP. allegauit teſtimonia, quæ
& Heshuſius deplorat poſterioribus editionibus in fauorem
Sacramentariorum ſublata. ſicuti & mutatam quiritatur
Confeſſionem Auguſtanam. quibus doctrina illa verè Eu-
angelica perpetuo Patrum Orthodoxorum conſenſu (vti
videre eſt Tomo ſecundo cap. decimotertio) confirmata
de panis in corpus Domini tranſmutatione ſolidè ſtatue-
batur verè Confeſſioni veſtræ Auguſtanæ conformiter at-
que conſentaneè. quod & Lutherus ipſe libro de Miſſa
Angulari diſertè docet. Hanc de cæleſti panis myſtici
tranſſubſtantiatione doctrinam verè Euangelicam, vbi Sa-
than vni, aut alteri Confeſſionis Auguſtanæ propugnato-
ri extorſiſſet, non contentus viam ſibi ad Antichriſtianam
Sacramentariorum doctrinam muniiſſe, ad atrociora perge-
bat vulnera glorioſæ veſtræ Confeſſioni Auguſtanæ inſli-
genda : quibus ita eam deprauauit, aliaque planè in faciem
paulatim immutandõ deformauit, vt nunc tam Sacramen-
tariis, quàm Confeſſionis Auguſtanæ profeſſoribus, quod
ad verba attinet, ſit communis. quemadmodum Colloquio
Wor-

Pugna de panis S. Euchariſtiæ in S. Do. corpus tranſſubſtantiatione.

DD. Heshuſius lamentabiliter deplorat ſuæ Amaſiæ Cõfeſſ. Auguſtanæ deprauationem & Apologię mutilationem : quæ facta ſint in gratiam Sacramentariorum. Vide Confeſſ. eius de Cœna.

Confeſſ. Auguſtana cũ tẽpore mutata & deprauata nunc aptiſſimus eſt Cothurnus, quo & Proteſtãtes Lutherani & Sacramentarij vtuntur, eiusq. verbis hi illos oppugnare audent.

VVormatieñ. anno 57. non modò res comprobauit: sed Caluinistæ in dies magis, ac magis impudenter iactant, illa pro se contra Lutheranos facere illius verba allegantes, eisque illos oppugnantes. vti Iohan. à Lasco, Petrus Dathenus, Hieronymus Zanchus, et si qui alij.

Iohan. à Lasco Petrus Dathen. Hieron. Zãchus.

Confessionistas siue Lutheranos in dies ad Sacramentarios deficere, atq. paulatim Ecclesias Protestantium Caluinizare. Vide Confess. Mansfeldeñ.

Verùm his adeò fœdis, adeò sacrilegis, adeò impiis deprauationibus non contenti vestri isti noui Confessionis Augustanæ defensores apertiorem ad impias Caluini blasphemias viam aperiunt, quibus vt magis simulata quadam verborum concordia congruere sese orbi demonstrent, simili planè vtũtur qua illi loquendi formula, vti dudum Tomo 2. cap. fuit ostensum.

Istum igitur in modum tam præclarum fidei Christianæ dogma, quod olim vos Illustriss. Principes & DD. Clementissimi tanquam certissimum Dei verbum estis publicè corã Imperatore Carolo V. professi: cuius doctrinæ causa & Svingliani anno 30. vestræ Cõfessioni Augustanæ subscribere recusarunt, & Lutherus Svinglium in Colloquio Marpurgeñ. pro fratre agnoscere noluit; sed excõmunicatum adeò pronunciauit, nunc istorum præstigiis miserè fascinati, tanquam Idolum reijcere, atque à Luthero Saxoniæ vestræ Euangelista, tertioque Helia ad Gallici siue Picardici, Caluini Castra turpissimè cum Electore Palatino, aliisque transfugium videmini propalam meditari. Qua igitur isti noui Confessionis Augustanæ defensores ab Imperij Ordinibus delecti ducantur pietate, aut agantur Religione, facilè omnibus est perspicere, qui considerant attentius, quàm illiberalibus, homineque Germano planè indignis ad ista Religionis dissidia, eheu omnibus exitialia! fouenda & propagãda, imó augenda vtãtur artibus. Vt enim nugatorum ardelionum, aut rabularum nomen non euitarint: ita & mendacis elogium, Calumniatorum culpam & falsariorum nomen, si res æquo candidorum iudicum dirimatur arbitrio, non effugiant; qui tam apertis in mendaciis, tam frigidis cauillationibus, nobilibusque calumniis, tam luculentis denique Vet. PP. adulteriis ac deprauationibus manifestò teneantur conuicti.

Quónam elogio digni sint Anonymi isti Confess. Augustanæ Apologetici & delecti defensores.

Iam

Iam an præuaricationis conuincãtur rei, ipſi viderint,qui ſocios ſuos eodem, quo nos Catholicos totius orbis Chriſtianos Idololatriæ crimine notare non dubitarunt: vt quòd S. Cruce frontem, corpusq́ue ſignamus;quòd baptizandos verbis,ac Dominicę Crucis ſignaculo exorcizamus;quòd nobiſcum communiter obtinent Lunenburgeñ. Braunſwyceñ. & Eccleſiæ pleræque Saxonicæ.

An præuaricationis,an periurij,an alterius capitalis flagitij rei conuincantur,viderit Syndicus VVittenbergeñ.

Similiter manifeſtis in calumniis, adeóque verborum in Patrum ſentẽtiis recitandis deprauatione deprehenſi toties, ecquid promereantur,nos Dei iudicio permittimus;ſicuti & quod more ſanguiſugarum ex ſeneſcentis Ro. Eccleſiæ moribus peſſimum exugunt ſanguinem.at puriorem,vnde ipſis vita reſtituatur cæci linquũt: imò ſceleratiſſimo alios fallẽdi ſtudio prætermittunt.Rurſus ſi quid exulceratũ, aut incommodius alicubi dictum,verbis exaggerant tragicis; vt in ipſos verè quadret,quod ſeruulus ille Comicus cõqueritur,Si quid ineſt mali,excerpunt: ſi quid ineſt boni, tacent.

Porrò quod ad periurium attinet, nihil noſtra refert. Ipſi viderint quid Academiæ VVittenbergeñ. profeſſoribus, atq. rectoribus reſpondeant,apud quos in verba Confeſſionis Auguſtanæ anno 30. oblatæ & apologiæ mox conſequutæ plerique iurauerunt. Hanc quia tam magnis capitibus mutilant, adeóq. doctrina ex diametro contraria funditus euertunt,videant quid ſuis Symmiſtis idoneæ reddant ſatisfactionis.

Verùm iſtis ſuæ ipſorũmet conſcientiæ tam flagitioſæ,tam ſacrilegę,tam impuratæ,ac verè prophanatæ,ne dicã impiatę relictis,nos ad III. huius Tomi tractatum de ſolida Eccleſiarum omnibus piis optatiſſ.pace,atq.æterna Germaniæ noſtrę in Chriſti Euangelio concordia tranſeamus.

CAP. VII. De indubia diſſidiorũ in dogmatibus conciliandorum ratione & certiſſima Eccleſiarum Germaniæ cum Catholicis concordia.

OMNE quod de doctrinæ Euangelicæ veritate inter nos diſſidium aut eſt,aut eſſe videtur, veſtri delecti Confeſſionis Auguſtanæ patroni, Illuſtriſſ. Principes & DD. Clementiſſ. 24. capitibus comprehenſum totidẽ explicarunt Antitheſibus. quas ſi æquo nunc repetere vobis libet iudicio, videbitis ipſi perſpicuè pleraſq́ue non ipſa re,ſed mera logomachia, & inani,veréque Sophiſtica verborum contentione, illiberalique vanitate nixas non eſſe re vera controuerſas: ſed nobis

Dogmatum per nouos Confeſſionis Auguſtanæ patronos ſuas per Antitheſes explicatorum tres ſunt claſſes.

Prima classis habet dogmata Catholicis per calumniam, vel Sophisticam affictа.
II. habet dogmata partim cõciliata partim controuersa.
III. habet dogmata ex Diametro cõtrouersa, admodum paucula 6. aut 8.

per calumniam, vel abominandam potius malitiam affictas: cũ nos haud minus, quàm illi, easdẽ dãnemus, abominemur, execremur. In quibus autem verè dissensio videtur, eas ipsas nunc esse aut partim cõciliatas, aut totas ex diametro pugnãtes; sed quæ nullo cõciliari queãt negotio: presertim si verbis vestris hoc ipso libro Frãcfordiæ Ferdinãdo A.& Maximiliano pridẽ oblato fol.400. expressis stare nõ recusabitis. Quod si facitis, vti equidẽ persuasissimũ habeo, (neq. aliud Germanica fides, ingenuitas, constantia, pietas vel suspicari cuiquam probo sinit) nõ deerit, Christo propitio & aspirante, solida ratio ad certã Ecclesiarũ de pauculis fidei dogmatibus VI. aut VIII. dissidentiũ pacẽ conciliandã, æternãq. in vero Christi Iesu Euãgelio concordiã sarciendã atq. instaurandam. quod Deus opt.max. nobis largiatur tandẽ propitius atq. benignus.

Quænam dogmata ad primã sint relegãda classem.

Quod ergo ad Antitheses primi generis attinet, in quibus sola est, vti diximus, logomachia, aut vanitas sophistica, inanisq. verborum rixa, nihil in eis est iustæ causæ, cur eas Ecclesiarum pacẽ perturbare patiamini diutius. Hanc in classem referendæ sunt Antitheses 22. de Cõiugio: quasi doceamus esse prophanum, & impurum vitæ genus, quodq. Christianæ pietati sit inimicum, ideóq. doceamus abiurandum.

Antithesis 22. fol 170.

Et 18. de Pœnitentia: quasi doceamus Contritionẽ mereri remissionẽ culpæ. Rursus, remitti culpã ieiunijs, & sacrificio Missę. Itẽ 12. nos satisfactioni Christi impiè detrahere docẽtes Christi passionẽ esse factã propter opera nostra, vt hæc ab illa virtutem satisfaciendi accipiant. Et 14. quòd doceamus hominem mereri vitam æternam externa honestate, virtute & vitæ innocentia: quemadmodum Turcæ, & Iudæi docent. Item 10. Quòd ex Christo Moysen facimus, seu ex Euãgelio legẽ. Et 23. Quòd oleo magico & creaturæ tribuimus remissionem peccatorũ. Item 4. bona opera nostra satisfacere pro peccatis nostris, & esse meritum omnis gratiæ.

Antithesis 18. folio 154.
Antithesis 12. fol. 138.
Antithesis 14. fol. 43.
Antithesis 10. fol. 134.
Antithesis 23. fol. 172.
Antith. 4. folio 110.

Similiter 7. quasi doceamus hominẽ liberi arbitrij viribus posse cõuerti ad Deum, & promereri diuinam gratiam.

Antith. 7. fol. 129.

Talis est calumnia quòd Antithesi 8. affirmant nos docere iustificationẽ impij (de qua agitur, scilicet primã) consistere in bonis operibus: cùm gratis, id est, sola Christi gratia nos docea-

Antithesis 8. fol. 127.

doceamus hominem iustificari,nullo humano pręcedēte aut etiam subsequente, sed tantū donato per Christum merito.

Sic & 9.quasi deleamus consolationem,quæ est ex morte Domini nostri Iesu Christi,an Deus nos exaudire velit inuocantes propter Christum.

Antithesis 9. folio 131.

Hæc enim omnia dogmata Catholicis improba sanè calūnia,& cauillādi arte planè sophistica afficta vno verbo vt concidunt,quia inficiatione abolētur:ita nullam merentur inter Cōtrouersias Ecclesiæ Dei perturbatrices,pacisq. remoras locum. Bellum enim istud verè Grammaticale, quod dicitur,à præclaris nouis istis Confess. Patronis Catholicæ Dei Ecclesiæ denuò motum iam pridem, si tam benignè atq. candidè doctrinā Catholicorū accipere, quā litigādi materiā quærere studuissent,fuisset sopitū. quia Andabatarū more pugnāt, & extra oleas,quod habet prouerbium, currunt. cùm nos dogmata illa nobis improbè obiecta,& calūniosè afficta non minus execremur, imò anathemate damnemus,quàm vllus vspiam Christianæ aut Euangelicæ doctrinæ professor.

Secunda Antitheseon classis illa complectitur doctrinæ capita, quæ partim sunt reconciliata, partim controuersa. Quò pertinet prima de Inuocatione, de qua & nos docemus Deum solum,& vnum inuocandum atque adorandum.

Quænam dogmata ad secundam Antitheseon classem pertineant.

Sanctos enim non esse diuino cultu honorandos,aut adorandos: sed ad auxilium tamē vt pro nobis orent per Christum, legitimè inuocari,siue aduocari maiorum nostrorum ex Apostolorum vsque seculo vestigia sequuti cōstanter profitemur.

Antith.1.fol.96

Idem & de 3. Quód mediator vnus & solus est apud Deum Iesus Christus. Respondemus, Sanctos tamen iuxta perpetuam Orthodoxorum PP. doctrina pro nobis apud Deum intercedere, Patronos agere, & orare per Christum. quod & Apologia fatetur,licet inuocādos neget. Sic & de 2. dicimus, Imagines non esse diuino cultu adorandas : sed venerandas tamen, ac reuerenter habendas, quemadmodum & Lutherani pleriq. omnes habēt. sed de modo cultus,aut potius reuerentiæ,leuicula restat dissentiuncula. Huc referenda est magna illa controuersiarum ferè omnium matrix & fons De Iustificatione, quam aiunt nos docere in bonis operibus

Antithesis 3. fol. 104.

Antithesis 2. fol. 102.

Antithesis 8. folio 127.

consistere: quod negamus, si de impiorũ agatur iustificatione, quos nos gratis, sola Christi gratia, sine vllo operũ merito dicimus iustificari. de iustis verò, siue Christi spiritu iustificatis & sanctificatis, quorum opera, vt Christi verbum habet, sunt in Deo facta, docemus iustiores fieri, ideoq. de eis verũ est quod ait Ioannes, Qui iustitiam facit, iustus est. &, qui iustus est, iustificetur adhuc.

Antithesis 5. fol. 111. In primis verò huc pertinet cõtrouersia de S. Eucharistia, de qua inter nos de veritate corporis Domini verè ac substãtialiter præsentis cõuenit. vti & cum quibusdam Confessionistis de non necessaria calicis cõmunione. Item de vera panis transsubstantiatione consensio nobis est cum vera, atque germana Cõfessione Augustana, primùm Cæsari Carolo V. oblata; & cum ipsis adeò primariis illis Confess. Augustanæ auctoribus & propugnatoribus. Huc etiã 7. est reducenda de libero arbitrio. De quo vt Confessionistarum magistri pleriq. ex posteriori, atq. ideo prudentiori, Melanchthonis, Buceri, aliorumq. sententia nunc sentiunt, summa Consensio est secundum formulam Decreti Tridentini: quemadmodũ testimonio nobis fuerit Martinus Cemnitius in suo Rabbinîco examine: sicuti & iampridem de hac controuersia in Colloquiis VVormatieñ. & Augusta. aliisq. indubia iacta sunt optatæ piis omnibus concordiæ fundamenta.

Antithesis 7. folio 115.

Antithesis 8. fol. 152. Eodem pertinet & controuersia de pœnitentia; an sit Sacramentum, vti nobis cum veteribus Cõfessionistis primam Augustanam Confessioné sectantibus de voce conuenit.

Antithesis 13. fol. 142. Huc referenda est Antithesis de Purgatorio, quia nobis cũ Luthero & apologia Confess. Augustanæ antiqua conuenit, orandum esse pro mortuis, quia Lutherus licere dicit & sine peccato nos orare pro defunctis in sua Confessione. & apologia disertè, Orationem pro mortuis, inquit, non prohibemus.

Consensio iam pridem inita super plerisq. omnibus Cõfessionis Augustanæ articulis. Sic in aliis doctrinæ capitibus Confessione Augustana expressis pridem fuit anno 30. in illo Septenorũ Colloquio Augustæ habito inita concordia, de Articulis 1. 3. 4. 5. 6. & 7. Itẽ de aliis 8. & 9. atq. in primis de 22. vbi & disertè sua manu attestante confitebantur Melanchthõ cum suis collegis se nõ damnare alios, qui vna specie vterentur, ac in specie panis

verum

verum corpus Christi contineri,& per concomitantiam sanguinem,adeóq. integrum Christum. Ita Philippus sua manu ad Card. Laurentium Campegium.

Certa indubiæ concordiæ fundamenta Illyricus cum suis ringẽs agnoscit præfatione v. Centuriæ.

Possent & alia doctrinæ capita hîc cõmemorari,in quibus si Illyrico & VVygando, aliisq. socialis belli commilitonibus Ecclesiasticæ huius cõcordiæ hostibus acerrimis fides habẽda, Cessio facta est,vti de libero arbitrio,inquiũt,præfatione Centariæ V. Rursus Cessio facta est,quòd principaliter fide 1.
iustificemur, neque de voce, SOLA, pugnandum esse cum 2.
Catholicis,quando negant sola fide iustificari hominẽ.quod & in Colloquio illo Augustano Septenorum fuit concordatum hanc vocem Solam, esse omittendam,quando de iustificatione loquimur.

In quibus fidei capiribus Lutherani cessionẽ fecerint, & purũ putum Lutheranismum mitigarint testibus Magdeburgeñ.

Itẽ Cessio facta est,inquiunt,Magdeburg.loco eodẽ bona 3.
opera esse ad salutẽ,siue iustitiã necessaria,& impossibile esse absq. bonis operibus saluum seu iustum fieri.

Cessio deniq. aiũt,facta est,vt in ceremoniis antiquus Ec- 4.
clesiæ Catholicæ ritus recipiatur. Quod ex Tomo 2. huius apologetici liquet planius,vbi ex doctrina Theologorũ VVittenbergeñ. & Lipseñ. demonstrauimus ferè omnia hac in parte fuisse conciliata,tempore libri Cæsarei,quem,Interim, vulgo appellant.

Vnde & illæ quorundã lachrymæ, quod Nicolaus Gallus 5.
testatur Confessione puræ doctrinæ,quosdã Euangelicos salẽ & aquam consecrare, inquiens fol. B. Dieque Dominica, & aliàs Templa circumire cum aqua, Vexillis,Crucibus, atque Cereis. Quæ si quis diligenter expendat,videbit & 24. Antithesin maxima ex parte conciliatam: potissimum si cogitet Saxones, & Lunenburg. & Iul. Braunswyc. seueriter præcipere, vt pueri ante baptismum exorcizentur cum crucibus fronti, & pectori impressis.

Sed quid mirum, cum ipsorum magister Lutherus Confessione sua postrema claris verbis doceat,libera esse, Imagines,inquit fol. G. 8. b. Cãpanas, missæ vestes,templorũ orna- 6.
tum, altaris cereos,& similia. Imò ipsi Saxoniæ Principes in visitatione Saxonica de Chrismate rixandum vetant fol. D. iij. re, inquiunt, libera. Item fol. G. iij. mandant mane &

Veſpere tres Pſalmos Latinè non Germanicè cantandos.

Tertiã ad claſsẽ Antitheſeon quænã dogmata ableganda.

Cæterùm quod ad tertiam claſſem attinet, quæ dogmata habet ex Diametro pugnantia, facilis erit conciliandi ratio, cùm numero ſint admodum pauca 6. aut 8. ſi à vobis, Illuſtriſſ. Principes ac DD. Clementiſſimi, vt veritas illa cæleſtis duas res impetret, cõceditis. quæ duæ res, &, ſi nimium fuerit, ſaltẽ vna, tanto æquitatis fundamento nituntur, vt equidem nihil addubitem, quin perlibenter cõcordiæ ſarciendæ cauſa ſitis largituri.

Dogmata controuerſa quàm facili ratione cõcilientur: modò adſit candidum quærendæ veritatis ſtudium.

Prior eſt vt Confeſſionem Auguſtanam illam veram Carolo V. Auguſto anno 30. Auguſtæ oblatã, ſuaq. Apologia pro genuina & authentica agnoſcatis, recipiatis, obtineatis. quẽadmodum aliàs ſæpe & potiſſ. in Colloquio Ratiſpoñ. anno 41. die 12. Iulij agnouiſtis vos non dubitare doctrinam illis ſcriptis comprehenſam verè eſſe cõſenſum Catholicæ Eccleſiæ Chriſti, qui traditus eſt in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Non iam eos vrgeo, qui Receſſum Auguſtanum ſuis ſigillis conſignarunt, vt rebus præſtent, quod verbis promiſerunt, ſigillis ſuis confirmarunt, & fide adeò publica roborarunt.

Altera eſt, vt verbis veſtris ſtare ne recuſetis, quæ hoc in ſcripto ipſi folio 400. pronunciatis: nimirum vt ex diuinis ſcripturis, perpetuoque PP. Orthodoxorũ conſenſu dogmatum diſſidia componi, & perturbatam Eccleſiarũ pacem reconciliari patiamini.

Quæ res duæ (aut ſi nimium videbitur, ſaltem poſterior) cùm ſint æquiſſimo fundamento nixæ, futurum ſperamus vt nulla difficultate, aut moroſitate liceat eas à veſtris Celſit. & Grat. incunctanter impetrare.

Si Cõfeſſioniſtę verbis ſuæ Confeſſionis ipſa re Auguſtanæ ſtare velint, noſtra eſt victoria.

Proinde ſi veræ, germanæque Confeſſioni Auguſtanæ, id eſt, illi primæ Carolo V. oblatæ (Vnde & nomen ducitis, & ſingulariter gloriamini) ſuum tribuitis locum atque ſuum iuſtæ auctoritatis genuinæ pondus redditis, de Antitheſi 5. 13. & 18. exilis ſupererit concordiæ remora: Nam ſi verbis illius germanæ ac veræ Cõfeſſionis Auguſtanæ, quia primæ, res decidenda venit, de panis, inquam, Tranſſubſtãtiatione, de piis pro animarum auxilio precibus, de Pœnitentia & ab-

ſolutione

ſolutione an ſint Sacramentum, noſtra eſt victoria. Imò veſtra, quia diſſidium à Confeſſionis Auguſtanæ deprauatoribus & corruptoribus veſtra cum iniuria, Reipubl. damno, Ro. Imperij exitio, Eccleſiarumq. pernicie ortum ipſi ſopietis, & concordiam reſarcietis.

Sic & de Confeſſione peccatorum à vobis per Saxoniam & Lunenburgeñ. ducatum, & alibi obtenta facilis ineatur concordia, ſi verba Lutheri, imò veſtra ipſorum bona fide ſuſcipitis. Is enim libro ſuo de capitibus doctrinæ diſertè docet ad ſuſcipiendam abſolutionem ſufficere, ſi quis profiteatur & indicet quicquid eo tempore Cõſcientiam, ait, grauat, aut habet ſolicitam. *Was ſein ghewiſſen* (inquit fol. G.7.b.) *zur ſelbighen Zeidt druckt, oder bekummert.*

De Confeſſione peccatorum cõſenſio facillima.

Ex Lutheri doctrina.

Sic in Viſitatione vos ipſi traditis admonendos homines, propter multas cauſas, ad Confeſſionem (inquitis fol. E. iiij.) maximè caſuum, propter quos indigent conſilio, & peccatorum, quæ præ cæteris ipſos grauant. Quid enim Catholici aliud exigimus, quàm vt peccator confiteatur, quod cor angit, aut de peccati culpa ambiguum ſolicitumque tenet, diligenti ac ſeria mentis diſcuſſione præuia? Hanc enim vos excluſam non vultis, qui & caſus vultis confitendos, ob quos indigent, inquitis, Conſilio. Quanta autem ſeueritate Confeſſionem exigatis, verba veſtra mox ſubtexta pronunciant. Nullus præterea admittatur ad Sacramentum, inquitis, niſi antè à ſuo Paſtore examinatus, vt ſciat num ſit talis, qui accedere ad Sacram cœnam poſſit. 1. Corinth. 11. Qui indignè, &c.

Ex Viſitatione Saxonica.

Confitendũ Paſtorib. in Saxonia propter dubios Conſciẽtiæ caſus.

Quæ peccata confitenda per Saxoniam.

Deinde: Qui ignorat Sacramenti vſum, non admittatur ad vſum Sacramẽti. In tali examinatione admoneantur etiã homines vt confiteantur, vt rectè inſtituantur, ſi habẽt quoſdam dubios Conſcientiæ caſus, vt accipiant conſolationem, audientes verba abſolutionis ex Chriſti Euangelio, ſi verè eos pœnitet delictorum.

Hanc ergo concordiæ inter Eccleſias conciliandæ legem ſanè multò æquiſſimam ſi impetrare à præfractis ac peruicacibus aliquot Confeſſionis Auguſtanæ defenſoribus, imó deprauatoribus nõdum licet, nam de C. V. Clementiis nullum

ambi-

ambigendi locum facit reliquum ingenuus erga Euangelij veritatem candor ſtudiumq́. verè laudatiſſimum, agedũ, ad reliquas pertinere putetur controuerſias ſiue Antitheſes, vbi ex diametro Eccleſiarum diſſidet doctrina. Nam eodẽ ſanabuntur collyrio, puta quod à vobis eſt concordiæ cauſa præſcriptum, perpetuo, inquã, illo PP. Orthodoxorum cõſenſu: quod multò ſaluberrimum diſcordiæ omnis ſopiendæ remedium diuinis ſcripturis adiunctũ à vobis eſt huius libri Cęſari Ferdinando oblati hiſce verbis expoſitum.

Altera & ea indubitatiſſima ſarciẽdæ diſcordiæ ratio ex pacto à Cõfeſſioniſtis ipſis præſcripto.

„ Idq. inter cætera cautũ meminimus ab vniuerſo Imperij „ ſenatu, inquitis fol. 400. Decretis Auguſtanorum Comitiorũ „ publicis, quibus placuit vt tota tractatio horum negotiorum „ & concluſio Concilij fieret, depoſitis præiudiciis, & affectib. „ priuatis omnibus, piè ac ritè ſecundũ Scripturas ſanctas Pro„ phetarum atque Apoſtolorum, & perpetuũ conſenſum San„ ctorum in Eccleſia Patrum.

Sic vos illic ex Comitiorum Auguſtanorum decretis.

Quæ igitur ſuperſunt controuerſa ex diametro doctrinæ capita, numero paucula nimirum 6. aut 8. ſi ad hanc concordiæ legem à vobis præſcriptam cãdidè, beneuolè iuxtà ac benignè expendantur, nullo inter Eccleſias negotio coëat concordia piis omnibus optatiſſ. ſimul & deſideratiſſima. 1. Videlicet de Sanctorũ aduocatione pro nobis apud Deũ, ſiue inuocatione ad auxilium. 2. De Chriſti in S. Euchariſtia verè præſentis adoratione, reſeruatione, circumgeſtatione, panis conuerſione in Chriſti corpus, eiusq́. ſacrificio pro viuis ac vita functis. 3. De peccato originali, an ita per donatam baptiſmi gratiã tollatur, vt homo Deum ex toto corde amare, legemq́ue implere queat? 4. An liberum arbitrium in actibus ſpiritualibus cooperetur, & an opera Iuſtificatorum ſint vitæ æternæ merita, & quæ iram Dei poſſint placare? 5 De Sacramentis Catholicæ Dei Eccleſiæ an ſint ſeptem? An Baptiſmo, aliisq́. ritus aquæ, ſalis, & olei conſecrati, aliíue ſint adhibendi? An aliæ ceremoniæ atq. traditiones Eccleſiaſticæ non ſcriptæ ſint ſeruandæ? vti Crucis conſignatio, exorciſmus puerorum, Panis, aquæ, Herbarum ſanctificatio per crucem. 6. An S. Euchariſtiæ ſpecies vtraq. omnibus, & Con-

Catalogus dogmatum controuerſorum inter Catholicos & Cõfeſſioniſtas.

& Confessio omnium delictorum quæ animo occurrunt, sit 6
necessaria?

De Coniugio an sacerdotibus, monachis, & monialibus 7
sit legitimum, ideoque indulgendum à Romano pontifice: cuius primatus in controuersia est positus; sed qui extra Antitheseon est numerũ: cùm de eo facilè sit conuenire, si de doctrinæ puritate & legitimo sacramentorum vsu fiat consensio. quemadmodum Theologi Wittenb. & Lypseñ. in iudicio suo super lib. Interim, declararunt.

De his septem dissidij inter Ecclesias Germaniæ nostræ cum Catholico Dei populo excitati capitibus facilè conueniat, si iuxta legem vestris in Comitijs Augustanis à vobis Illustriss. Principes & DD. Clementiss. præscriptã diuinas consulamus scripturas, perpetuumque Orthodoxorum Patrum consensum superius perspicuè satis, opinor, nobis consentaneum demonstratum: Et si horum tractatio atque definitio iuxta eandẽ legem præscripta & explicata vniuersis per Germaniam incunctãter sequenda constituatur: nihil enim Catholicos in illis omnibus controuersiis nondum reconciliatis videbitis docere, aut profiteri peregrinũ, sacrilegum, impiũ, Euangelióue dissentaneum, nedum contrarium: sed omnia eos iuxta Dei verbum, perpetuumque Orthodoxorum Patrum consensum ostendimus obtinere, credere, facere, atque in posteros sicuti ab Apostolorum vsque temporibus est perpetuis Ecclesiæ Christianæ, eiusdemque Catholicæ moribus traditum propagare. Si quidem scripturis instituti, & Ortho doxorum PP. exemplis eruditi sanctos in auxilium & apud Deum pro nobis supplicationem aduocamus nixi testimonijs Ambrosij. August. Hiero. Chrysost. Nectarij Effrem, Naziãz. Basilij, Cypria. Origenis, aliorumq́. plurimorum concorditer nobis Catholicis sic toto semper orbe obtinentibus consentientium.

Qui tam perspicuè pium hoc inuocationis sanctorũ dogma ceu indubitatissimum Apostolicæ doctrinæ depositum suis in scriptis Christianę posteritati reliquerunt, vt vel Bucerus ipse vestri noui Euangelij dissipator non inglorius, nul-

Vide Tom.2. cap.2.

Bucerus ad Episcopũ Abriccẽ.

„ lique secundus ingenuè agnoscere fuerit coactus, se damnare „ non posse, qui nihil humanis tribuens meritis, sed omnia misericordiæ Dei, Diuos vt pro se orent, ait, inuocant. quemadmodum & Oecolampadius, suprà etiã Antithesi commemoratus, fatetur. Imò Lutherus ipse negat suam mentẽ vnquam fuisse, vt iudicaret Sanctorum venerationem aut inuocationem esse superstitiosam.

De sanctorum inuocatione Catholicis consentiunt Scripturis cõcorditer & Orthodoxis Patribus Bucerus, Oecolampadius, & ipsemet Lutherus.

Sicut igitur de hoc primario Antitheseon omnium capite facilis sit Ecclesiarum concordia, modò veritas pio quæratur studio: ita & de reliquis controuersis capitibus quinque aut sex; modò verum, & eum Catholicum diuinarum scripturarum sensum, atque perpetuum Orthodoxorũ Patrum consensum sequi est animus. quemadmodum ex nostris Epilogis Antitheseon singularum superius perspicuum est videre pio Lectori ex animo magis Euangelicæ veritatis, quàm vanæ logomachias studioso.

Cap. 8. Exhortatio ad veram Ecclesiarum pacem, & ouilis Christi vnitatem apud Germanos instaurandam.

Proinde cùm perspicuè ipsi videatis Illustriss. principes, & DD. Clementissimi in his paucis 6. aut summũ 8. capitibus, de quibus ex Diametro vestrę à Catholica, Ecclesię dissident, non solùm perpetuum Orthodoxorum PP. consensum; sed etiam manifestum Dei Verbum pro constanti ac perpetuo Catholicorũ sensu atq. doctrina toto orbe cõsentanea stare non potestis) si modò vestris verbis, imò decretis, iisq. Ro. Imperij Comitialibus standũ ducitis (nõ potestis, inquam, diutius Catholicã deserere Ecclesiã, aut ab eius ouili, quod vnũ & singulare Christus suis voluit cùm obedire, tum subesse pastoribus Vicariis, emanere; nisi certissimo cũ æternæ salutis vestrę periculo. Vt enim vnus Deus, vna Christi fides, vna Dei Ecclesia: ita & vnus pastor, quẽ Christus suo loco suis omnibus pascendis prȩfecit ouiculis. Quẽ agnoscet, suscipiet, suspiciet atq. reuerebitur non inuitus, prout rei postulat dignitas, personarumq. efflagitat decorũ, quisquis illã Spiritus sancti vocem miti ac minimè cõtumaci aut peruicaci audit animo. Esto mansuetis, inquit, ad audiendũ verbum Dei. quod Dei Verbũ cũ nusquã certò reperiatur, quàm in ipsius Ecclesia ab Apostolorũ vsq. temporibus in has prouincias, & tẽpora hæc

Ecclef. 5.

extrema

extrema deriuatũ: nuſquã ſyncerũ,nuſquã erroris expers tradatur, nullo videre eſt negotio,quàm ſit vobis prorſus neceſſarium ad hanc redire Dei domũ, Chriſti familiã, Catholicã Dei Eccle. in qua etiánum, ſicuti ante orta veſtra de Religionis dogmatibus diſſidia, habitãt vnanimes, eandẽ fidei verè Euangelicæ doctrinã ab initio, Apoſtolorũ opera toti orbi traditã obtinẽtes,quotquot nomẽ gerũt verè Chriſtianũ. A qua cùm iam ſit demonſtratum, vos meris hominũ aliquot malè fidei mendacijs,ſycophãtijs,verborũ deprauationibus,calumniis abductos,blandis adulationibus ludificatos,atq. verborũ prȩſtigiis faſcinatos,videtis ipſi nõ habendã illis ipſis hominibus in rebus minoribus; id eſt, de Romanorum Pontificũ tyrannide, falſi crimine, in alios dominatu, aliisq. Catholicorũ vitijs fidẽ ad ſtatuendas iſtas 24. ſacrilegi ſchiſmatis cauſas; aut ſchiſma iſtud pernicioſum diutius prorogandũ,qui à Catholica Chriſti Eccleſia, veritatis columna deficiẽtes in capitibus Fidei Chriſtianæ tam ſunt à veritate alieni iam dudum couicti, & à ſeipſis,teſte D. Paulo condemnati.

Abuſus quidẽ,& quæ cõtra Canones peccata ſunt,nõ inficiamur noſtra in Eccleſia reperiri, vbi & homines eſſe nõ negatis ipſi,quos iſta ceu corpus vmbra,ſectãtur vitia, lapſus & peccata quotidiana;quibus aut remediũ iam maiori ex parte adhibitũ eſt,aut tẽporum malitia,ſiue malũ potius ipſum inueteratũ,ac fortè ſonticũ medicã nondum pati potuit manũ, quã Cõcil. Trident. aut iã attulit,aut adferet olim;vti de Chriſti Dei auxilio cõfiſi ſperamus optimè. Rectè Plato admonuit leges Reipu. etiã delirȩ,nõ eſſe temerè mutãdas, ſed ferẽdas.

Quibus malis aut ſanãdis,aut tollẽdis ſi minus,quã rei indignitas poſtulabat,fuit quondã aduigilatũ: non tamen iuſta idcirco eſſe queat ſeceſſionis ſacrilegȩ,aut paricidalis ſchiſmatis cauſa. An non & in aulis Imperatorũ, Regum & principũ, vitia regnãt Reipubl. inimica, ciuibus hoſtilia, & virtutibus exitialia? Quid nunc Euangelicorum vitam commemorem quos Lutherus ipſe teſtatur Sodoma & Gomorra peiores?

An non iſtud multò veriſſimum conuincat vel ſola nobilis illa Viſitatio Saxonica, vos mihi eſtis teſtes quorum

Quales harpias, Germanosque Verres habeant etiam Euangelicorum greges.

O vocem noui Euangelij Apostolo Pomerano dignissimã?

vt pudori parcam, silentio ea præteribimus. Quòd si vlla vsquam Harpia vnquam vixit, si vllus vnquam extitit Verres, an cum illo præclaro Euangelista sit comparandus, qui messem vbi ex Dania reportaret multò vberrimam, publica voce exclamare non est veritus, Vale Dania! Habeto Euangelium meum, ego habeo argentum tuum!

Sed quis tam ab omni humanitate sit alienus, qui idcirco neget obediendum, siue debita præstanda principibus obsequia, diuinitus subditis imposita atque imperata? Idemqui non videt in Ecclesiæ Præpositis locum habere, cæcus est, contentiosus est, peruicax est, & rerum communium nimiũ imperitus. Notum est horribile illud Abyronis, & Dathani supplicium, quibus ob schismatis sacrilegium, viuis terra dehiscuit. Notum est Core, & Coritarum exẽplum, quos ob schismatis sacrilegium viuos ignis cælitus immissus deuorauit. Sed quid mẽbra Christi sancta, innoxiasq. ouiculas immundorum coruorum lædat rapacitas? Quid petulcorũ hircorum contaminet lasciuia? nihilo plus sanè, quàm Iudæ Ischariotis auri sacra fames sanctissimum Apostolorum collegium. de quibus veritas ait, vos mundi estis: sed non omnes. Quid enim vnius Iudę improbitas Christo Domino obfuit? Quid Petro Ananiæ periurium? Quid Paulo Demæ, aut Nicolai, aliorumúe seculi delitiis deditorum scelera? Quid vobis Christus fecit? quid Deus Opt. nocuit, si vos eius offendũt ministri auari aut improbi? cur Dei Ecclesias inuaditis, diripitis, spoliatis? Cur easdem in haras, stabulaque conuertitis, imò in prostibula publicaque diuersoria prophanatis? Cur Christi agros occupatis, arua tenetis, aras euertitis, templa & sacra omnia inuolatis?

Vitia aliena pios non consentiẽtes minimè cõtaminant. vnde nec iusta sunt Germanici schismatis causa, quod & Ro. Imperij Ordines profitentur.

Iam quæ sacrilegos Baltazares, & Iulianos, qui per Germaniam non pauci florent, sed instar fœni, inquam, florẽt, quod tectorum dicitur, vnde manipulos non colligunt, suas sacris vasis, patenulis, vrceolis, calicibus Dominici sanguinis portitoribus prophanas mẽsas instruentes maneat pœna, nemini est obscurum. cuius exemplum iam dudum Liuonia misserrimè experta luget, nosq. suis, eheu, nimium vicinis lachrymis

mis quid & nobis impendeat, ni resipiscamus, admonet.

Cæterùm ne vobis persuasum habeatis Illustriss. DD. Ro. Imperij Ordines vestræ Germaniæ defectione Regnum Dei per Apostolos Petrum & Paulum Romæ annuntiatum, & iam pridem, teste D. Ireneço fundatū, euersum iri, aut posse labefactari, cogitate, obsecro, multò latius ex eo tempore, quo Germania impio sese isthoc schismate subduxit, illud esse aut propagatum, aut pristinis possessoribus locupletatum. Plurimos per Germanias, & Gallias (eheu dolor!) videmus sese huius ouilis pastori Vicario Christi Domini subtrahere, non tam illius, quàm suo ipsorum malo præsentissimo, imò exitio indubitatissimo, eoq. æterno: sed qui nouam Christo Do. sub illo suo Romanæ, eiusdemq. Catholicæ Ecclesiæ suæ pastore natam per Indias citra & vltra Gangen, Persidem, aliasque Orientis prouincias numerosissimam sobolem cogitet, plures illic reperiet accessisse myriades, quàm hîc perierint cēturiæ, aut fortassis decades. Sed quàm frustra, imò sua culpa perierint infelicissimi, vos superstites animaduertite, obsecro, attenti & seduli. An quia vos verum germanumque Christi Euangelium non recipitis, aut potius cum Genezarenis, & Saracenis alijsq. hæresiarcharū discipulis reijcitis, ideo non est Euangeliū? an infidelitas vestra fidē Dei euacuauit?

Dum Germania sese paricidali schismate dilanians à Ro. Pontifice separat, Deus illi nouā obedientiam apud Indianos parat, quasi illis sit postliminio Dei regnum datū.

Non, non inquam, non magis, quàm olim Iudæorum: de quibus vt Paulus iam pridem conqueritur, ita & nunc de vobis, quòd cæcitas ex parte contigit in Israël. Sed quemadmodum illorum cæcitatem sanare potuit, si voluissent animum aduertere, si orbis ad Christi Euangelium iuxta prophetias conuersi spectassent in vna Dei vnius fide concordia: Ita & vos, si vestræ originis in Christum memores cogitetis à totius orbis desciuisse concordia, & vnam Christi fidem toto orbe hactenus constantem & consentientem deseruisse. An enim à vobis verbum Dei processit? nónne à Ro. Ecclesię filijs Lucio, Materno, Clemēte, Crescente, imò ab ipso D. Thoma Apostolo vobis annuntiatum? nónne à Ro. Ecclesiæ patribus Adriano., Stephano alijsque per DD. Willibrordum, & Bonifacium in fide confirmati, honoribus maximis ornati;

Imperij Rom. maieſtate decorati? An in vos deniq́ue ſolos peruenit Verbum Dei? an non & in Græcos, Gallos, Afros, Anglos, Hiſpanos? Nihil nunc de nupera Armenorum, aut Antiochenorum cum Rom. Eccleſia reconciliatione dicendum, cui ſuos per Patriarchas, deſtinatis Romam ſuis legatis, obedientiam priſtino ex more præſtiterunt, fidemq́. probarunt Catholicis conſentaneam, atque Concilio Tridentino ſtabiliendam.

Ab illorũ exẽplo, qui olim à Ro. Eccleſia deſciuerãt, ſed nũc ſuæ temeritatis pœnitentes cũ eadẽ in cõcordiam redierũt. Recõciliati Ro. Pontifici nuper Armeni, & Antiocheni: quod & Rex Angliæ Henricus 8. tentauit teſte R. D. VVintoñ. Orat. ad S. Paulum Londini habita.

An non & Rex Angliæ Henricus 8. teſte R. D. Stephano Wintoñ. Epiſcopo reconciliationem cum Eccleſia Chriſti Catholica (cui Ro. Pontificem conſcientia mille teſtes, irrequieta ſuggerebat præſidere) tentare ſemel ac iterum minimè dubitauit?

Quæ obedientiæ atque reconciliationis cum Ro. Pontifice exempla vt vos Germanos omnium Chriſti Eccleſiæ filiorum poſtremos, natuq́ue minimos meritò ad reſipiſcentiam atque concordiam cum illa matrice omnium aliarum gentium Chriſto renatarum Eccleſia colendã reuocent; ita multò iuſtiori de cauſa terreant (ni ad conſenſum in dogmatibus fidei cum illa conſpirent) illa dominica comminatio ipſorum ceruicibus tantùm non incumbens.

Recuſatæ Ro. Pontifici obedientiæ pœna diuinitus inflicta Liuonijs.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. quod vel iam nunc ex parte Hungaria, & Liuonia longè miſerrimis quidem lachrymis, ſed fruſtraneis deplorant. Cur enim Ioannes Baſilius Imperator Ruſſiæ, Dux Moſchouita Liuoniam oppreſſerit, ſuis ad Ferd. A. literis minimè omnium diſſimulauit. Inter alia enim, quæ politicam tangunt gubernationem, à Liuoniis violatam diſertè & has commemorat. Quòd legem Dei ſunt tranſgreſſi, & Lutheranæ, (inquit, epiſtola an. 7060. die 24. Februar. data) doctrinæ facti ſectatores: Deinde quòd templa violarint, atq. prophanarint. Quòd imagines denique Chriſti D. Virginis Apoſtolorum &. SS. exuſſerint, atque in loca immunda abiecerint & cæt.

Moſchouita cur Liuoniã inuaſerit & diripuit an. 1558. Torpato Epiſcopali ſede vaſtato.

Quòd ſi Deus Opt. Liuoniam ob impiam auitæ Religionis Chriſtianæ deſertionem tam atroci plaga poſt dira peſtis, famis

famis, bellorum intestinorum flagella à Moscho puniendam voluit, ecquid nobis aliud polliceri possumus? cùm eadem & nos culpa reos iam pridem habeat. Nota est tam frequens Germaniæ vastitas, tam horribiles pestes, dira sæpius fames, frequentata vinearum, & agrorum calamitas. sed dum his certissims iræ diuinæ internuntijs ad resipiscentiam non commouemur, periculum est ne excandescẽs eius furor iustissimus nos suo destitutos auxilio, hosti Turcę nostris ceruicibus iam dudum inhianti tandem tradat. quod omen Deus auertat propitius. Quod proculdubiò diuinam clementiam summo omniũ gaudio facturam confidimus, si vna fide concordes vnum Deum verum, & quem nobis misit Iesum Christum omnium saluatorem vno ore laudare, colere, atque celebrare vera & auita religiosorum maiorum pietate studeamus.

Ab exẽplo Græcorũ, Africanorũm & Hungarorum, à Ro. Ecclesia deficientium.

Alioqui enim exemplum Græcorum, & Afrorum vobis magnorè metuendum: qui vbi à Ro. Ecclesiæ concordia, atq. pastoris toti ouili Dominico Christi vice præpositi obediẽtia recessissent, imò defecissent, nõ defuit illa vltrix diuinæ offensæ plaga. Africam enim annos plus minus 100. Donatistarum, Manichęorum, aliorumque factiosorum schismatibus contra Catholicos tumultuantem oppresserunt Wandali seruitute longè miserrima. An. 430.

Græcos & Asianos, totumq. orbem Nestorianorũ, Eutychianorũ & Monothelicarũ insaniis per annos amplius 300. delirantes, atq. Christũ Do. horrendis blasphemiis afficiẽtes, An. 440. corpusq. eius, quod est Ecclesia, sacrilego schismate conuellentes Deus Opt. immanissimo illo Sarracenorũ diluuio, infinitisq. cladibus tandem est vltus. Sic olim in illo teterrimo Iudaici populi in deserto tumultuãtis, atq. cõtra Aaronẽ Sacerdotẽ Domini insurgẽtis schismate exẽplum nobis pingitur lõgè manifestissimũ: quod Deus Opt. grauioribus supplicijs vltus est, quã Idololatriã, aut impiã codicis prophetici, hoc est, verbi Dei exustionẽ, aut aliud vllum crimen, quantumuis nefariũ, aut sceleratũ. Neq. iniuria sanè: Nullo enim scelere Deus clemẽtiss. ita offenditur, prouocatur ad irã, aut excãde-

Schismatis scelere nihil sceleratius aut Deo exosum magis: quod & omnium grauissimis vindicat supplicijs.

ſcit,atq.ſacrilego ſuę Eccleſię ſchiſmate. Cùm enim ipſi nihil ſit corporis ſui cōcordia gratius,nihil carius,nihil optatius,è cō trario nihil accidat ipſi ingratius,nihil quòd diuinā eius benignitatē offendat atrocius,aut ad iram prouocet acriorē. Vnde D.Chryſoſt.rectè ait,non minus eſſe peccatū ſchiſma hæreſi, „ ac ne martyrij quidem ſanguine deleri. Nihil enim ita Deū „ offendit grauiter,ſicuti Eccleſiæ diuiſio. Siquidem Dei Spiri- „ tus ore Salomonis teſtatū reliquit abominari atque deteſtari Deum,qui inter fratres ſeminat diſcordias: quæ in primis locum inter Chriſtianos fratres habere non deberent,quorū parentes ita per omnia D. Lucas teſtatur fuiſſe concordes, vt multitudinis credentiū fuerit cor vnum, & anima vna. hos ergo fratres qui inuida,imò internecina diuidit,diuellit, atq. in partes diſtrahit & diſcerpit diſcordia,ecquænā ei luenda in poſterum pœna? Satis vna illa vox loquitur, quid eū maneat ſuppliciorum,quòd Deo eſt abominabilis. Verum nec minor „ ęternorū tormentorū cruciatus illis eſt paratus,qui paricidali „ ſeſe contaminant iſthac diſcordiæ macula. An ſecū eſſe Chri „ ſtum,ait Cypria. de vnitat.Eccleſiæ, opinantur, qui extra Ec- „ cleſiam Chriſti colliguntur? Tales etiā ſi occiſi in confeſſ.no- „ minis Chriſti fuerint,macula illa nec ſanguine abluitur, inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt qui in Eccleſia non eſt: ad regnū peruenire nō poteſt,qui eā,quę regnatura eſt,derelinquit. Rurſus paulò pòſt: cum Deo manere nō poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerūt. Verè igitur D.Ambroſ. eos Petri hæreditatem non habere,qui *Petri Sedem* (ita enim legendum vetuſtiſſimi teſtantur codices,nō Petri fidē, vt ſacrilegè dudū quidam videntur deprauaſſe) qui *Sedem Petri* inquam,non ha- „ bent,quam impia diuiſione diſcerpunt. Non enim aliunde „ exiſtūt ſchiſmata, quod veriſſimè iuxtà ac prudentiſſ. ab illo „ illuſtriſſimo Catholicę Dei Eccleſiæ columine D. Cypriano dictū eſt,quàm quòd vnus nō cogitatur vice Dei Epiſcopus.

Porrò qui hanc D.Petri Cathedrā deſerit, vt idem Cyprianus loquitur, ſiue qui hanc Petri ſedem non habet, vti ait, Ambroſ.neq. Eccleſiam Chriſti habet. Eccleſia enim, teſte Cypriano eſt grex Chriſti cum ſuo paſtore.

Vnde

Vnde idẽ Cyprianus eumq. imitatus D. August. merito aduersus omnes ad vnum schismaticos exclamat: Non potest Deum habere patrem, qui Ecclesiã non habet matrem! Iam qui Ecclesiam Christi Catholicam non habet matrem, nec eius hæreditatem consequi vnquam poterit. quia in ea non manet, quæ certò illam est consequutura, quia est vna illa Dei sponsa, vna Christi electa.

Quòd si hæc Catholica Christi Ecclesia vobiscum posset loqui, scilicet hæc vobis diceret: Ego vos, ô Germaniæ proceres, filij charissimi, cùm inprimis ornatissimo genere, neque loco infelici vini & metalli omne genus fœcundissimo nasci voluissem; deinde summis dotibus & corporis athletici, & animi heroici exornassem, tum variis artibus instituendos, rebusque variis instruendos putaui, quibus esset parata vobis facultas tum amplificandi Imperij mei Romani, tum defendendæ publicæ concordiæ. quid eam vim animorum, armorumque in viscera nostra vestris dissidiis dissecta torquetis? aut quid conuertitis in exitium ciuium meorum institutam diligentia mea, meisque rationibus eruditam, viribus stabilitam, copiis instructam, Imperij Rom. honoribus ornatam dimicandi facultatem? Maiores contrà vestri summis à me beneficiis atque honoribus aucti, pro magnitudine susceptarum dignitatum pulcherrimas in Imperio leges, pro sua in me pietate nobilissima piorum hominum collegia; marmorea, veréque superba & augusta templa pro præstantia beneficiorum, clarissimas ex Christiani nominis hostibus victorias, pretioso sui cordis sanguine purpureas referre consueuerunt. Vos mihi luctus acerbissimos creatis, vt mihi propemodum de vobis conquerendum sit, quod suis de perfidis ac refractarijs Iudæis olim in typo pius ille deflebat Esaias, Audite cæli! audito terra! Filios enutriui & exaltaui, ipsi verò me spreuerunt atque deseruerunt! Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel! abalienati sunt retrorsum!

Prosopopeia Catholicę Christi Ecclesiæ ad suos Germanos degeneres filios.

Tragicus threnus in sacrilegũ Germanorum schisma & paricidalẽ Ecclesiæ Catholicæ diuulsionem.

Siquidem pro summa copia beneficiorum meorum vos discordias ciuium, vos ministrorum Dei exilia, vos templo-

rum demolitiones, vos vexationes Christi virginum, vos vastitatem monasteriorum, vos genus atrocissimæ seruitutis à Turca certissimò impendentis. O crudelissimum hominum genus, & ab omnium propemodum humanitate derelictũ! ô cæcitatem singularem! Vos studio flagratis eius Christiani cœtus euertendi, quem nec hæresiarcharum astutissimi doli, nec Imperatorum Christi hostium eximiæ vires, nec Philosophorum erudita & præclara ingenia potuerunt labefactare, nedum abolere. Quòd si omnes isti Capitales mei hostes excitentur rursus diuinitus, atque istæ inferorũ portæ in statum redeant vetustissimæ aut dignitatis, aut potestatis, certè nõ ipso scelere vestro, isthoc Germaniarum schismate, hoc est, viscerum meorum dilaniatione quicquá in me crudelius, nec quicquam magis extimescédum molituras fuisse prædicabunt. Quid enim præsentiorem corpori moliatur interitum, quàm artuum dilaceratio, euisceratio, dissipatio? Vos omnes ô filij cariss. cordiq. meo verè dilectissimi, cùm equidem ab ipsis meis incunabulis in vnum Christi Capitis nostri corpus, Ecclesiam dico Catholicam, colligere, seduloq. congregare studuerim, initio vobis D. Thomam [1] Apostolum ex Iudæa per Indos & Persas in Germaniam vsq. destinaui, qui sedentibus in vmbra mortis veri Dei, vitæque æternæ ignorantia excæcatis, verum cælestis doctrinæ lumen affunderet. Illi succẽturiaturi accessere Apostolorum discipuli nõ obscuri Crescens [2] Moguntiæ, Maternus [3] Treueris cum Nathanaele; Argentorati Valerius, [4] Coloniæ & Tongris; Eucharius [5] Spiræ; D. Marcus Pauli [6] discipulus, per Austriam; & Augustæ Tiberinæ vulgo Regensburgh D. [7] Laurentius, & in Norico ad Amasum, vbi iam Eus oppidulũ; Egistus [8] apud Lunenburgum, Marianus [9] in Baardtwijck, S. Beatus [10] in Heluetiis, Emericus [11] Curiæ, D. Lucius [12] mei Pauli Cognatus, Augustæ Dionysius [13] Areopagita: quæ an sit VVindelicorum, an Austrasiorum nihil hîc referat.

Hi primi prima, ô Proceres Germani, Christianæ pridem Religionis apud vos fundamenta iecêre; Hi primi Christum vestris maioribus annuntiauere; Hi primi verum Dei Euange-

Catalogus Apostolorũ & Christi discipulorũ, qui Germanis ante annos mille quingentos, verum Christi Euangeliũ nuntiarunt.

1 D. Hiero. Catalogo, Sophronius ibidem. D. Dorotheus Synopsi.

2 Epiphanius de hæres. Victo. Strigelius in Euang. Annales Moguntini.

3 VVitichudis li. 2. Victorinus Strigelius. Beda in Martyrolog.

4 Chronicon Spirense.

5 Ibidẽ Chron. Coloñ. & Marianus Scotus.

6 Vict. Strigel. in Euang.

7 Gaspar Bruschius in Laureaco.

8 Centur. Magdeburgeñ. Henrici Erford. c. 5.

9 Ibidem.

10 Pantaleõ in sua Prosopographia.

11 Ibidem.

12 Munsterus in Cosmog.

13 Vlpius à Matthæo Galeno in lucem emissus.

ge-

gelium vestris prouinciis assignauêre, suoque plerique omnes sanguine consignauêre. Verùm ne quid causemini, fuisse lucem illam Euangelij posterorum barbarie obfuscatam, variarumq. gentium incursionibus propemodum extinctam, agite ô filij Cariss. vestram in Christo secundariã recogitate, quæso vos, originem, qua Deus Opt. Max. vos ad Euangelicã Christi sui agnitionẽ vocare tandẽ fuit dignatus! quam si attendere, atq. æquis animis perpendere non grauabimini, optima sanè me spes habet, vos ad petrã vnde excisi estis, iuxta Prophetæ oraculum, haud ægre redituros.

Vos Illustriss. Principes Francones & Hessi, qui Mænum atq. Nicrum colitis, vestræ in Christo Iesu, obsecro vos, originis memineritis, quam anno Do. circiter 400. à D. Albano Christi Martyre per annos plus minus mille ducẽtos religiosè iuxtà atque constanter excoluistis. Hanc religionem vestri maiores à D. Chiliano, atque sociis plenius eruditi, meoque corpori adunati tot egregiis Ecclesiarum superbissimarũ dotibus, monasteriorum fundationibus, Collegiorum sacrorũ institutis orbi toti sunt contestati. *Apostrophe ad Principes Germ. Francones & Hessos.*

Illustrissimi Principes Bauari, vestrum D. Rupertum in Christo parentem animo recolite, qui anno Domini 600. ad Christi fidem vos adduxit, meoque sinu lectissimo Christi gregi aggregauit. *Ad Bauaros Duces.*

Turingiæ ac Sweuiæ Principes Illustriss. D. Bonifacium Apostolum vestrũ vobis vestra ex transmarina Saxonia, quæ nunc Anglia dicitur, diuinitus destinatum consulite, quidnã vobis ante annos plus minus nõgentos pro germano Christi Euangelio vobis annuntiarit. *Ad Sueuos & Turingos.*

Saxoniæ atq. VVestphaliæ reguli Illustriss. in mentẽ vobis veniat, ecquid Carolus ille Magnus tot bellis per quam sanguinolentis minimũ XIIII. tandem sub dulce Christi iugũ vestro sanè bono subactos, meoque gregi copulatos per viros verè Apostolicos VVilebaldũ Bremeñ. Hildegardũ Linderũ, & VVillebrordũ ante annos circiter 800. de Christo, eiusq. Euangelio tradiderit credendũ, fideq. verè Christiana obtinendum? de cuius dogmatibus ne vllo vnquã lapsu tẽporum *Apostrophe ad Principes Germ. Saxones & VVestphalos.*

vobis iustum oriri posset dubium, Cathedras Episcopales magnificentissimè dotatas, optimisque legibus, sed impiè neglectis institutas, constituit: quó fidem Christi semel susceptam, nullæ vnquam inferorum portæ possent abolere.

Ad Regē Daniæ. Tu Daniæ Rex Sereniss. tui Haraldi Danorum Regis fac memineris, qui meam fidem Euangelicam opera Ludouici pij eruditus anno 832. Moguntiæ nomen Christo vnà cum Danorum principibus dedit.

Ad VVandaliæ Principes. Vos VVandaliæ atq. Sclauoniæ Principes Illustriss. Brandenburgeñ. & Lunenburgeñ. in animum reuocate, quidnā Henricus Imperator ante annos 700. pro vero præscripsit Christi Iesu Euangelio?

Ad Prussiæ Dominos. Prussiæ Domini atque Prutheni, an non temerè reiicitis Euangelium, quod ante annos circiter 500. Sacrosancta Orthonis primi opera D. Adelbertus Prageñ. Episcopus prædicauit, & tandem Fredericus primus armis persuasit?

Apostrophe ad Cymbros & Pomeranos Duces. Illustriss. Pomerani Duces antiquissima Cymbrorum Tauro insignium progenies, ecquid obliuioni traditis germanum Christi Euangelium, quod D. Ottho Banbergeñ. Episcopus vobis toti orbi concorditer annuntiauit ante annos plus minus 400?

Ad Liuonios. Neque vos Liuoniæ populi nobis estis silentio prætereundi, qui fidem Christi à D. Meiurado in Riga & Riualia ante annos ferè 300. Euangelizatum constanter obtinere dum noluistis, sed in aliud conuertistis, præsentissimæ Moschorum rapinæ exposuistis.

Ad Lithouiæ regulos. Quid vobis tandem, ô Lithouiæ proceres, sacram Christianæ fidei originem in memoriam reuocem, qui omnium postremi ante annos circiter 200. ad verum Christi Euangelium conuersi, nisi mutassetis, non omnium primi eius adulterati ac Lutherano fermento deprauati hasce ante quinquennium non luissetis pœnas sanè acerbas, totoque lachrymarum fonte mihi lugendas atque deplorandas; neque vestram in Christi felicitatē miserabili isthac Moschouitarum seruitute commutatam nunc frustrà deploraretis.

Tristissimæ autem huius Tragœdiæ non illis insultandi, nedum

nedum exprobrandi causa meminimus, sed præmonendi vestri gratia, ô Germani Principes, quos simile, vereor, manet exitium ob simile à vero Christi Euangelio vestris maioribus verè annuntiato, magnaque constantia conseruato, Apostasiæ sacrilegium: nisi in tempore ad mentem reuersi Catholico meo vos reconcilietis, iterumque coniungatis gregi. Videor enim alioqui mihi videre hoc præclarum Romani Imperij domicilium, lucem orbis terrarum decus atque arcem omnium gentium subitò, vno vereor, incendio concidere. Cerno animo sepultam vestram patriam, miseros atque insepultos ciuium aceruos. versatur ante oculos aspectus sanguinarij Solimanni, & furor in vestrorum liberorum cæde bacchantis. Cùm verò mihi præposui regnantem vobis Moschum, aut Solimanni filium, tum lamentationē matrumfamilias, tum fugam puerorum, atque vexationem virginum perhorresco. Verùm ne infausta modò ominari videar, agite, rebus vestris in tempore consulite, pacis mutuæ leges dispicite, pia concordiæ in Religione solidæ atque perpetuæ fœdera pangite. Tempus sanè est, vt post longas adeò consultationes, post pacis tractatus tam varios, post tot ac tantos Comitiorum Imperialium Recessus, augustaliaque decreta tandem de vestra quisque salute aliquid definiatis, de Rom. Imperij stabilitate, de legum auitarum incolumitate, de pudicitia liberorum ac coniugum vestrarum. Istius enim in Religione discordiæ pestis non grassatur per capita paucorum, sed tanquam atrocissima veneni vis per omne corpus Imperij Germanici dimanare non cessat. Quam pestem si sistendam, aut compescendam aliquando censebitis, quod reor, & Respub. desiderat, & vestra omnium salus expostulat, putate Deum Opt. Max. Huius Rom. Imperij sempiternum custodem atque vindicem pro vindicata sui nominis à blasphemis iniuria gratias amplissimas redditurum. putate matronas omnes ac liberos vestros obseruatam à Turcarum libidine pudicitiam, supplices ac gratulabundos ad genua vestra obuersaturos. Putate Virgines ob liberationem ab impudicorū ludibriis summa vobis lætitia

Hypotyposis calamitatis Germaniæ à Turca vel Moscho impendentis.

Comitia pariūt Comitia in Germania.

congratulaturas. Putate denique viuos omnes ob retentam dulciss. libertatem, atque ipsam adeò vitam (plurimis myriadibus hac Religionis discordia per Turcas, Moschos, & seditiosos absumptis) pro teterrimo genere vastitatis propulsato, prorsus incredibili gaudio exultaturos. Quod proculdubiò futurum existimo si vindicandæ istius discordiæ scelus præsentem facultatem non neglexeritis. quam si æquo diutius differre pergitis, frustrà postea recuperandæ copiam quæretis; ingruentibus in dies nouis in vos dissidiorum pestibus. quòd licétiam facitis omnia omnibus impunè sentire, ac pro Euágelio imperitis obtrudere, quod libet: quæ vel ipsa omnis veræ pietatis fundamenta conuellere non verentur. Prima quaq. igitur occasione propulsanda vobis est è viscerib. Reipub. pestifera vis calamitatis, quam Religionis discordia certò certius est paritura, aut ipsi patriæ sine dubio concidendũ, vobisque vnum omnibus vnà cum Germ. Imperio pereundum. Siquidem non potest non esse verum, discordia res magnæ dilabuntur, regna corruunt, Imperia concidunt. Sed vt in præsentia corporum interitum, aut rerum istarum aspectabilium ruinam, oppidorum occasum, domorũ incendia, monasteriorum demolitiones, templorum euersiones, matronarum stupra, Virginum vexationes, adolescentulorum ludibria, ciuium vincula, captiuitates, cædes silentio obruamus, de vestra æterna salute, ô filij cariss. magis laboro anxia, quæ nulli constare potest salua, nisi qui Christo credens me Catholicam eius Ecclesiam, vnicam eius sponsam, dilectam eius vnicam habeat matrem, quò illi incorporatus Deum possit habere patrem.

Cur Germanis ad originalẽ siue primitiuam suã Christi fidem necessariò redeundum.

Hæc si vobiscum, vti diximus, Catholica Christi Ecclesia loquatur nónne à vobis Illustriss. Germaniæ Principes DD. Clementiss. omnesq́. Ro. Imperij Ordines impetrare debeat, vt diuinæ in Christo cùm originis, tum regenerationis accuratius memores ad vnũ illud Christiani gregis redeatis ouile; vnde vobis Deus Opt. suos destinare dignatus est Apostolos, fideiq́. Euangelicæ magistros. quò corpori suo, quod Catholica & Apostolica est Christi Ecclesia adunaret, coagmentaret, incorpo-

incorporaret? Quod Chriſti corpus vt veſtra etiã Confeſſione non poteſt niſi eſſe vnum: ſicut niſi eius vnum eſt caput, ipſi iudicate an vos Chriſtum Eccleſię ſuæ caput reiicitis, qui eius corpus, à quo ſeparari, aut diuidi nequit Chriſtus, deſeritis, ſcinditis, dilaniatis: an nos Catholici, qui eiſdẽ olim fidei Chriſtianæ rudimentis eruditi, eiſdẽ ſemper Scripturis edocti, eiſdem planè magiſtris inſtituti vnà cum ipſa obtinemus omnes concorditer pro vero Chriſti Euangelio, quod totus initio Chriſtiani orbis ſuſcepit; quod vos à cæca Idololatriæ caligine diuinitus poſt alias orbis nationes poſtremi, ac veluti ὀψιμαθεῖς vltimi Chriſtianorum didiciſtis? Quod ſi iniquũ fuerit de fontis origine extremos cõſulere riuulos, quàm fuerit abſurdum hanc de vero Chriſti Euangelio controuerſiam poſtremis eius diſcipulis credere?

Cuius, quæſo, ſi ſolidam quærimus diſſolutionẽ, prius ad Eccleſiæ Chriſtianæ gremium omnibus eſt recurrendum, vt eundem magiſtrum & hîc audiamus, cuius voci toto orbe ſonanti omnes initio credidimus Chriſtiani; quò pari obedientia & nunc eidem de aliquot fidei quæſtionibus habeamus fidẽ, qualem initio ſalutis cùm primum ad Chriſtũ Do. N. ſalutariter acceſſimus, ei habuimus, ipſa tota æternæ ſalutis noſtræ fundamẽta ab illa vna reuerenter ſuſcipientes. Quod ab omnibus ipſa cauſæ bonitas, opinor, facilè impetrabit; quotquot ex animo perſuaſum habent, vnum eſſe oportere Chriſti gregẽ: ſicuti vnum eſt eius ouile, vni paſtori Do. Chriſti vice omnibus præpoſito ſubditum: extra quod nulli vlla eſt ſalutis ſpes reliqua. Quapropter in tanto ſalutis æternæ periculo quum verſentur etiam illi, qui iuſta fortè ex cauſa, nullo erroris pernicioſi cõtaminati nęuulo, paricidales ſectari ſchiſma corporis Chriſti (quod Catholica eſt Chriſti Eccleſia) non dubitant, quænã vos manere ſupplicia, & ea æterna exiſtimabitis Illuſtriſſ. & Clementiſſ. Do. omneſq. Ro. Imperij Ordines, qui nulla cauſa iuſta tam ſacrilego ſchiſmate totum conturbatis orbem? qui falſas, futiles, commentitias ob calumnias à nobis ſegregati ſacrilegum altare cõtra altare conſtituiſtis?

Abuſus

Nõ esse iustam Germanis longioris sacrilegi schismatis causam.

Abusus enim rerum sacrarum, & impurioris vitæ vitia idoneam ipsi negatis vestro illo scripto dudum Augusto Ferd. oblato causam, ob quam ab Ecclesia sit recedendum. Si quæ Tyrannidis accusatis eiusmodi euincantur, non desunt remedia Canonibus: quibus & fastus omnis, nedum Tyrannica species à legitimo omni Imperio execrabilis obtundatur, tollatur, aboleatur. Denique ob doctrinæ errores vos recessisse diutius affirmare non potestis. quippe cùm sit solis luce clarius demonstratum nihil nouum, nihil superstitiosum, nihil Euangelio pugnans aut dissentaneum esse à Rom. Pontifice, aut Episcopis aliis Catholicis in Ecclesiam inuectum, quod non sit apertissimo Dei verbo traditum, perpetuo PP. Orthodoxorum consensu constabilitum, atque æterna Ecclesiæ Dei non solùm in Germania, sed toto orbe plantatæ obseruatione custoditum concorditer, iuxtà ac religiosissimè conseruatum. Quàm ergo temerè à Rom. Pontifice, hoc est, à Catholica, vera, Germana Christi Ecclesia, quæ illum semper Christi Domini sui loco seruum Præpositum est venerata, vos secesseritis, ipsi nunc, spero, Christo aspirante videtis. Si enim rectè ex D. Ambrosio allegatis folio 428. deserendum Antistitē, qui fidem respuat; impiè, nedum temerè vos illum deseritis, qui nondum est conuictus fidem deseruisse.

Quantæ sit temeritatis simul & leuitatis Ro. Põtifice ob causas ab Anonymis istis personatis Ordinum Ro. Imperij patronis confictas discedere, atque in isto paricidali schismate permanere.

Quod enim vos hoc scripto dudum pro noua Confessionis Augustanæ Apologia C. Ferdinando exhibito reijcitis, respuitis, damnatis tanquam superstitiosum, sacrilegum, impium, Idololatricum: alij Euangelici & ijdem Confessionis etiam Augustanæ non ignobiles, neque postremi Professores eodem, quo vos sese Euangelij præditos spiritu gloriantes, ceu pium, religiosum, verboque Dei consentaneum nobiscum cōcorditer obtinent. quemadmodum de puerorum exorcismo, & S. Crucis cōsignatione dudum est demonstratum Illustriss. Braunswyceñ. & Lunenburgeñ. Duces, Item Henricum Saxoniæ Ducem Electoris Augusti parētem suas per Ecclesias ex præscripto Theologorum Wittenbergeñ. & Lipseñ. cōsensu ordinasse; imò Lutherum ipsum suo in Catechismo disertis verbis docuisse.

Qui-

Quinimò quod nunc damnatis ceu impium, Idololatricum, verboque Dei contrarium, vos ipsi haud ita pridem tanquam purum putum Dei verbum vestra Cõfessione Augustana illa vera, quia prima, eiusque Apologia anno 31. edita estis disertè professi. nimirum tria esse Sacraméta, orationem pro mortuis vos non prohibere, diuinam etiam panis in S. Eucharistia Transsubstantiationem vos credere. Hæc dum modò tanquam impia, sacrilega, Idololatrica, verboque Dei contraria reijcitis, atque impiè proculcatis, non tam Catholicos, qui hæc constanter pro Dei verbo obtinemus, perpetuoque obtinebimus damnatis, quàm vos ipsos, quòd hæc, vti ait Confessionis Augustanæ præfatio, ex puro Dei verbo disertis vestræ Confessionis atque Apologiæ verbis estis dudum professi. Quæ cùm nunc negatis, non exigua vestri nominis cum iniuria, non mediocri leuitatis atque inconstantiæ indicio, non leui auitæ grauitatis, nobilitatisque Germanicæ cũ ignominia sunt coniuncta.

Quid enim grauitate vestra Germanica indignius, quid indecorum magis, quid fœdius, quàm videri tam inconstantem, & tam pueriliter, imò muliebriter nutabundum ad omnem nouellæ doctrinæ vnius, aut alterius Ardelionis, quasi flabelli aut ventuli flatum? idque in Principibus fidei Euangelicæ capitibus? Verùm hęc non tam vestra culpa est, quàm illorum ardelionum, imò præstigiatorum, quos D. Paulus dicit, qui suis blandiloquentiis, seruilibus adulationibus, assentationibusque minimè liberalibus huc illuc, quò libet, impellant, quò suis tandem libidinibus vos habeant obnoxios.

An Germaniæ Principes facti sint serui hominum: imò vilissimorum mancipiorum serui.

Ecquid enim vestra ingenita ingenuitate accidat indignius, quàm vilissima aliquot gloriæ, ventrisq. mancipia, quibus Venter & Plutus fuit Deus, vos nunc in hanc, nunc in illam fidei quasi Euangelicæ Confessionem priori toto Diametro contrariam protrahere, orbique Christiano de inconstantia, fideiq. varietate ridiculos exponere?

Si enim vna est fidei Christianæ veritas, sicuti vnus & Deus, vna & Ecclesia, vnde tam inconstans fidei vestræ Confessio? vnde tanta Confessionum Augustanarum, & Apolo-

giarum eiusdē varietas? prioribus adeò manifestè ex Diametro pugnans, vt Vet. magistrorum vestrorum discipuli haud obscuri, neque indocti de isthac fœditate certaq. Lutherani Euangelij calamitate miserandum in modum quiritentur.

Quòd si ad viuum libeat dogmata vestris à Confessionis Augustanæ deprauatoribus, & inuersoribus Euangelij titulo in orbem sparsa resecare, luce fiat clarius ipsos sua pro libidine, quod dudum indicauimus, Vos facere nunc Manichæos, nunc Pelagianos, modò Aërianos, modò Iouinianos; quod tamen ipsum anno consequenti pro manifesto in se damnant furore. vti Philippus Melanchthon de lib. arbitrij doctrina stoica palinodiam canens.

Hoccine est Euangelium docere? hoccine verbum Dei ægris mortalibus annuntiare? hoccine oracula cælestia miseris hominibus Euangelizare? An homines, eosque viros principes, idq. in fœdissimo seruitutis genere sibi seruos facere? At nolite fieri serui hominum. Sed quorum obsecro hominum? Certè, vti Paulus istorum auos depingens de istis prophetauit, mente & animo corruptorum: quod tam insana arguit dogmatum inconstantia atque varietas, quæ indubia est viri ficti, siue hypocritæ, & animo duplicis, teste Dei Spiritu, nota.

1. Timoth. 6.

Iac. 5.

Verùm vtvt illi variant, vtvt sibi ipsi pugnantia scribant, doceant, faciant, vna est Euãgelij Christiani veritas, vna eius vox, vna doctrinæ eius confessio: quæ ab Apostolis toto iam pridem orbe varias per Prouincias vna in Catholica Christi Ecclesia concorditer annuntiata totos annos 1566. vnũ idéq. semper sonat, & cõstanter profitetur. Porrò hanc Euangelicę fidei vocem adeò non respuit Ro. Pontifex, vt si positis nonnihil animis hostilibus, partiumq. studiis moderatè atq. placidè res expendatur, candidéq. censeatur, facilè liqueat per eum non stare, quò minus optatissima omnibus coëat Ecclesiarum dirissimo, planéq. internecino vulnere diuulsarũ pax atq. concordia. Sanè si ea doceret, quæ vestri Concionatores Apologetici, & isti nouorum Confessionistarũ delecti defensores improbè ipsi affingunt, sacrilegè mẽtiuntur, nefariè calum-

lumniantur, iusta forte vobis esset ab eo dissentiédi, sed nondum discedédi caussa. Verùm & nunc accidit, quod olim, vt cum Sathan Ro. Pontificem (quem singulari semper, vti & Petrum, præ aliis expetiuit cribrare, odio persequitur) neque Tyrannorum gladiis, neque hostium incursibus, neque cornutis Sophistarum syllogismis potest superare, prodigiosis semel adobruere satagat mendaciis, dirisq. calumniis: quibus & vos ab eius auellat, distineatque concordia (quem omnis tamen semper Catholica Christi Ecclesia verum Christi agnouit, & venerata est Vicarium) quasi Euangelium Dei corrumpat, doctrinam prophetarum & Apostolorum adulteret, fidem Christi respuat. cùm liquidò sit superius demõstratum ipsum nihil pro fidei doctrina suscipere, tenere, aut prædicare, quod expresso Dei verbo, & perpetuo PP. Orthodoxorũ consensui non sit consentaneum.

Cur in Ro. Pontificem Sathan nũc insurgat solito acrius.

Quod si minus perspicuum alicui videbitur hoc Apologetico demonstratum, boni consulat, obsecro, hanc vnius hominis operam: quæ quod pro ætatis atque temporis modulo & exilij loco licuit, sua pro virili piè conferre studuit, paratissima dum Spiritus hos reget artus, omnes subire labores, omnem nauare operam, omnia denique conferre studia etiam præsentissimis periculis coniuncta, quæ ad optatissimam concordiam Germaniæ patriæ nostræ suauissimæ instaurandam videbuntur conductura, aut aliqua ratione profutura.

Hoc vnum enim conciliandæ aliquando Ecclesiarum paci superesse videtur (quia vtrinq. verbum Dei pro nobis stare, vtrinque perpetuum PP. Orthodoxorum consensum nostræ doctrinę auctoré esse vtraq. pars affirmamus) vt in publico Imperij cõuentu res viuis rationibus decidatur, atq. apertis vestro in cõspectu vet. illorũ Patrum libris ipsi videatis, quàm improba & Sophistica fraude, imò dolo malo ac nefario vobis illuserunt isti in primis delecti Confess. Augustanę defensores Theologi & Consiliarij politici. Siquidem loca aliquot asperiora, & quasi exulceratiora corradunt, & contra suorum auctorum mentem, disertamq. sententiam violenter

Vna res conciliandæ solidæ Ecclesiarum paci necessaria: nimirũ vt in Conuẽtu aliquo Imperiali Principibus ad oculum demõstretur sese fraude, doloq́ue malo suorum Cõcionatorum verè illusos atque fascinatos.

non minus, quàm ſacrilegè detorquent; imò liquidò adulterant & deprauant, diſſimulatis improbè ſtudio & data opera, manifeſtioribus teſtimoniis ad Eccleſiarum pacem ſingulariter facietibus, ad obſcurandam quidem cæleſtem Dei veritatem Chriſti ore, Spiritus ſancti oraculis, Apoſtolorum ſermone nobis atque maioribus veſtris pridem traditam. ſed eam iſti homines aduerſus Dominum & Chriſtum eius coniurati ſuis neq. mendaciis obfuſcare, neque calumniis opprimere, neq. doctrina hominum, imò dæmoniorum extinguere vnquam valebunt.

Clariſſimè namque cùm toto orbe illa effulgeat, luculenterque in omnium Orthodoxorum PP. ſcriptis etiámnum reſplendeat, nihil iſtorum tenebrionum exhorreſcit, aut nebulas, aut tenebras: quas pluſquàm verè Cymmerias pro luce illa Chriſti toti iam pridem orbi coruſcante ſub palliato Euangelij prætextu inuehere non ſunt veriti. Sed Chriſto gratia immortalis, ea fuit iſtius Cacodæmonis harum Tragœdiarum contra Dei Eccleſiam motarum choragi ruſticitas, craſſum, bardum, ſtupidum, vereque brutum ingenium vt ſuos diſcipulos, ingenioſos quidem illos, variiſque artibus & linguis inſtructos inter ſe facere concordes non potuerit. Quæ larua ſi perſonatis iſtis Euangelicis Dei Opt. permiſſu ad raram facundiam, miram dicendi probabilitatem, iuſtamque abuſuum reprehenſionem acceſſiſſet, longè maiorem omnis generis hominum turbam (quanquam & nunc, prò dolor, ſit pluſquàm infinita) ad ſe pellexiſſent. Verùm electis ſuis ſignum dare, quod ait Propheta, non omiſit, vt fugiant à facie arcus.

Concordiæ laruam Deus perſonatis iſtis Euangelicis prouidenter detraxit, eis ſpiritũ diſcordiæ immittens, hoc modò ſuis electis filiis dans ſignũ vt fugiant à facie arcus.

Vbi enim zelus ſiue æmulatio, contentio eſt, & doctrinæ diſſenſio, ibi & inconſtantia eſt, ait Spiritus ſanctus, ac omne opus prauum.

Queadmodũ enim cæleſtis illa ſapiẽtia pudica eſt, & pacifica: ita iſta terrena, animalis, & diabolica tumultuatur, odioſè rixatur, adeoq. belligeratur. Nam ſicuti illa eſt à Deo, qui pacis eſt auctor: ita hæc à diabolo, qui eſt diſſenſionis, perturbationis

Jacobi 2.

bationis, atque omnis intemperiæ causa. Porrò istum dissensionis spiritum nouos omnes possidere Concionatores Euangelicos plus satis vel vnum hoc implacabile conuincit bellum iam olim excitatum, tot iam olympiades inter Lutheranos & Zuinglianos ardentiss. flagrans, tot etiam σοφοῖς, vt ille ait, λόγοις, callidisq. consiliis medicatum: sed conciliari nescium. vt non dicam anno illo 1566. qui meritò passim piis Goësseorum appellatur, quosdam Amsterdami pacem inter ipsos, promissa ingenti Coronatorũ vi redimere voluisse, vt Caluinistæ per Hollandiam Confessionis Augustanæ profiterentur doctrinam. Verùm de his dissidijs stabiliendo vestri Lutheri Euangelio mirificè infestis nihil in præsentiarum dicendum amplius: de domestico, nostræque Germaniæ intestino omnibus piis meditandum potius; quod inter præclaros Confessionis Augustanæ Professores indubium ominatur, imò iam nunc operatur nouo Lutheri Euangelio exitium, certumque interitum. Quod vt omnibus perspicuum sit magis, non iam protestantium, siue Confessionistarum sectas enumerabimus, quas alibi ad 12. recẽsuimus. sed obiter manifestas de Verbo Dei inter se pugnas indicabimus, quæ certò piis omnibus, quibus sua salus æterna cordi est, demonstret non posse istos Confessionis Augustanæ doctores Dei spiritu videri actos: sed Sathanico dissensionis œstro diuinitus esse percitos: Vt iam Lutheri inconstantiam dissimulemus, quam alibi allatis clarissimis exẽplis orbi ostendimus, qui de S. Eucharistia, de SS. cultu, de Sacramentorũ numero, aliisq; aliter atque aliter docuit, in præsens fœda Cõfessionistarum, siue discipulorum eius perstringenda venit inter ipsos pugna, tumultuatio, & liquida velut Cadmeorum fratrum mutua trucidatio; aut potius viperarum atq. locustarum venenatissimarũ, de quibus est in Apocalypsi cap. 9. inter se collisio, mutuaq. enecatio

Promissis aliquot Coronatorum millibus Confessionistæ Caluinistas an. 66. tentarunt pertrahere, vt Confessionem Augustanã apud Hollãdos cõcorditer docerent.

Nouũ Lutheri Euangeliũ intestino suorũ discipulorũ dissidio ad interitũ properat, testibus ipsis Confessionistarum cõcionatoribus nõ postremis.

Locustæ Apocalypticæ typus sunt tumultuantium inter se Confessionistarum. Apoca. 9.

Hoc in bello ciuili, ac ideo internecino primas facilè habent, qui Lutheri doctrinã professi damnatũ ab eo Sacramentariorum dogma nolunt damnare, clanculario fauore contrarium suo Euangelio fouentes, inter quos Nicolaus Amsdorfius

Quantum sæuiant domestica Confessionistarum inter se dissidia.

dorfius Confeſſ. ſuæ fidei fol. a. 3. Brentium & Iacobũ Andream tanquam Lutheri atq. Zvinglij conciliatores, ideoq̃. Confeſſ. Auguſtanæ Apoſtatas accenſere nihil dubitat, vnà

Colloquium VVormatieñ.

cum aliis Wormatieñ. Colloquij colloquutoribus, ſiue potius, vti ait, perturbatoribus: Vbi cũ Melāchthone nec Oſiandrianos, nec Zvinglianos damnari ſuſtinebant. Idem alias

Confeſsioniſtarum factiones variæ.

plurimas Confeſſioniſtarum enumerat factiones, quæ Euangelio Chriſti, inquit Confeſſ. puræ ſuæ fidei fol. B. 1. ſunt con-

Adiaphoriſtæ in tres ſectas dilaniati Maioriſtæ, Meniiſtæ, Pfeffingeri.

trariæ; quales ſunt Oſiandriani, Adiaphoriſtæ tribus ſectis diuiſi, Interimiſtæ, Lypſenſes, Maioriſtę, & Menijſtæ, Pfeffingeri, quos impij accuſat Pelagianiſmi.

Ihenenſium in Turigia inter ſe diſsidia & publ. diſputationes Gothæ, Leuchtēburgi, VVimariæ.

Ad eundem modum dira ſunt certamina inter Ihenēſes, Illyricum & Muſęum contra Victorinum, quæ ipſos in varias diſputationes protraxerũt, vti Gothæ, Leuchtēburgi & VVimariæ, quæ an. 60. publicè eſt habita. Vbi non modò hunc de Pelagianiſmo, ſed etiam Phanatico Sacramētariorum errore accuſare non dubitarunt.

Huc facit & Exulum Turingicorum Reſponſio, quam an. 66. Paſtores triginta contra Ioannem Stoſſelium lachrymabiliter ediderũt, qui Victorini è carcere Gothano liberati declarationibus reclamarunt.

Colloquiũ Aldenburgeñ. in Miſuia an. 69. Lutheranorũ inter ſe implacabilia demonſtrat certamina

Huc facit ſingulariter, & nobile illud Colloquium hoc an. 69. Aldeburgi in Miſuia inter Lutheri diſcipulos Miſuenſes, & Turingicos impenſis xx. millium aureorũ habitum. Vbi quanta ſit implacabilis inter Saxones diſcordiæ aperta feneſtra, ipſi Confeſſioniſtarum Principes non ſunt ignari. dum enim Colloquutores quidam Confeſſionem Auguſtanā appellant litis materiam, & Corpus doctrinæ à Philippo editũ

Miſuenſes ſeſe turpiter Colloquio ſubducũt.

reijciũt, nulla fuit de feliciori Cataſtrophe iſtius fabulæ ſpes: cùm tam ridicula fuerit Epitaſis Theologis Miſuenſibus, ſeſe clanculum 9. Martij domum ſubducentibus.

Martiniſtarum ſectæ variæ à ſe mutuo hæreſeos damnatæ. Vide Confeſſ. Mãſveldeñ.

Quòd ſi porrò cuipiã vllus ſupereſt de hac irreconciliabili Lutheranorũ inter ſe diſcordia in primariis adeò Chriſtianæ fidei capitibus ſcrupulus, age, Confeſſ. Manſveldeñ. hac de re cõſulamus. Ea perſpicuis verbis varias Confeſſioniſtarũ condemnat ſectas, inter quas annumerat Melāchthonicos, Oſian-

dria

drianos, Maioriſtas, Antinomos, Stancarianos, Adiaphoriſtas & liberi arb. defenſores.

Porrò etſi tot hæreticorum, vt quidem ſui appellant Syneuangelici atque ipſimet proteſtantes Lutheri diſcipuli, ſectę inter præclaros iſtos Confeſſionis Auguſtanæ profeſſores ſint exortæ, ac graſſentur diriter: nihilominus ſuum quiſque dogma candido Euangelij pallio, ceu operculo, &, vt D. Petrus de pſeudoapoſtolis ait, ſuæ nequitiæ velamine operiunt, quò imperitis, ſuæque ſalutis æternæ incautioribus fucũ faciant.

Puriores Lutheraniſmi profeſſores quãto inter ſe laborent, ſeſeq. mutuò conficiant diſsidio.

Ad hæc qui conſtantiores videri volunt Auguſtanæ Confeſſionis Profeſſores non paucis claudicant partibus. In plurimis enim fidei capitibus Illyricus & VVigandus ſuo cum manipulo clamitant à verbo Dei ceſſionem factam de lib. arbitrio; De Iuſtificatione, quòd non ſola fide fiat; de bonis operibus ad ſalutem ſine iuſtitiam neceſſariis; de piis ceremoniis antiquæ Eccleſiæ ſine ſcripto recipiendis; de Rom. Eccleſ. Epiſcopo, quòd ſit Oecumenicus, eique iuriſdictioné Eccleſiæ reformatæ reſtituendam eſſe.

Hos generoſos Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores inter ſe implacabiliter belligerátes qui æquis oculis intueatur, eorumque bellum inteſtinum prudenter contépletur, an aliud diuinet futurum, quàm quod ipſi Euangelici iſti Illyricus & Sarcerius ſuis cum cohortibus perdolenter quidem illi, ſed nimis verè ominantur Lutheri Euangelio, id eſt, certum, indubitatum, ineuitabile à ſuis met diſcipulis exitium?

Corruere nouũ Lutheri Euangeliũ apud Germanos demõſtrant oppida tota, Prouincię, Doctores Academiæ Germanicæ ad Caluiniſtas deficientes.

Iſtud quotidiana probat Lutheranorum ad inſana & prophana Svinglianorum caſtra defectio: quam non modò docti plerique, ſed ipſæ veſtræ dudum Academiæ Marpurgẽ. & Heidelbergẽ. & Tubingenſis non obſcurè profitentur. Vnde ſui Euangelij victoriam Caluiniſtę iactare, ac Iô triumphe, iam dudum audent cantillare, Saxonicique papatus ruinam ore prophano ſubſannare. Vtvt iſtud ſe habeat, hoc ſanè eſt longè veriſſimum, omnibusque phanatico iſto errore nondum captis perſpicuũ, hos Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores more locuſtarum illarum in Apocalypſi tumultuantes tanto inter ſe opinionum diſſidio conflictari, vt conciliari nequeant, tanto rapi cęcorum errorum œſtro, vt de ipſis locũ

Quænã pœna maneat omnes Confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores atque diſcipulos, niſi in tẽpore reſipiſcãt, & ad Catholicã Chriſti Eccleſiã ſuã pridem matrẽ ſeduli redeant.

habeat, quod Spiritus ſanctus de pſeudoapoſtolis prædixit, quòd ſectas perditionis, id eſt, priſcorum hæreſiarcharum peſtes, non metuunt introducere, quibus idcirco reſeruata eſt illa tenebrarum infernalis abyſſi caligo, iuſtaque merces; quã Propheta Dei voce priſcis pſeudoprophetis iſtorum auis eſt iam pridem comminatus. Væ qui ponitis tenebras lucem, & lucem tenebras! Væ qui dicitis bonũ malum; & malum bonum. Iuſtam enim pœnam veſtros noui Euangelij miniſtros non poſſe effugere illud liquidò demonſtrat, quod Euangelij titulo pro obſcurata Dei doctrina Catholicę Chriſti Eccleſię, quæ columna eſt, & firmamẽtum veritatis æternæ, iam olim tradita, & Apoſtolorum ſtudio atque ſermone aſſignata inſanas illas, vereque deliras priſcorum hæreſiarcharum Antichriſti præambulorum renouant abominationes, atque reiecta pia auorum veſtrorum Orthodoxa doctrina ab Apoſtolis ipſorumque diſcipulis per Germaniam pridem plantata impuras animorũ peſtes, exitialiaque illius apocalyptici Draconis venena de puteo abyſſi hauſta ſuis mendaciis atq. calumniis virulentiſſimis fucata orbi propinant abſorbenda.

Diabolum ſui noui Euangelij Magiſtrum & Lutherus & Zvinglius non obſcurè ipſi profitentur. Vide Dubitantij Dialogos & Ruevvardũ de animi trãquillitate.

Quod cùm Lutherus, vti & Svinglius, diabolum ſuorum nouatorum dogmatum magiſtrum haud obſcurè profeſſus, vnà cum ſuis Confeſſioniſtis in Arrij, Neſtorij, Aërij, Manichæi, Pelagij, Iouiniani, aliorumq. hæreſiarcharum dogmatibus, alij aliis in animorum peſtibus feciſſe ſint iam dudum conuicti, ecquæ, obſecro, ipſos alia merces manere exiſtimandum, quàm quæ ab angelo eſt Iohanni Apoſtolo eadẽ in Apocalypſi demonſtrata? vt vnà cum illo dracone locuſtarum rege, Angelo abyſſi, ſuo mendaciorum patre, calumniarumque auctore, in puteum abyſſi ſulphure & igne flagrantẽ proijciantur, æterno ſupplicio puniendi? quod paratum eſt omnibus incredulis, mẽdacibus, periuris, apoſtatis monachis, adulteris & verbi Dei deprauatoribus. Sed vos felices ô Illuſtriſſ. DD. Electores, omneſq. ad vnum Ro. Imperij ordines Confeſſionis Auguſtanę Profeſſores, ſi tempeſtiuè, dum hora eſt reſipiſcere, iſtas animorum peſtes tam varias, tam abominabiles, tam pugnãtes execrati, illi vero Dei cœtui vos denuò

aggre-

aggregetis: de quo dictum est, Beatus vir, qui nõ abiit in consilio impiorum, qui Deum blasphemant cum Arrio, Aërio, Manichæo; & in via peccatorum cum Libertinis & Lucianicis Deum citra pœnitentiam ac resipiscentiam offendẽtium non stetit; nec in cathedra pestilentiæ, id est, malè sanę ac venenatæ doctrinæ cum Luthero, Osiandro, Svinglio, Caluino, Swencfeldio, aliisque omnibus sub prætextu Euangelij impias hæresiarcharum pestes liquidò renouantibus non sedit: sed in lege Domini ab Apostolis prædicata volũtas eius, quam die, noctuque vt opere compleat pro virili sua meditatur. Qui enim illorum impiorũ cœtum, Ecclesiamq. malignantium Deo Opt. Max. re vera propter sacrilegas suas inter se dissensions, atq. impias doctrinæ ex hæreseon sentina renouatæ abominationes iã oderit, ac deseruerit, vni illi ouili Dominico fide Catholica, veraq. Euangelica & vita Christiana insertus, comminata illa dudum impiis Dei oraculo æterna proculdubiò euadet supplicia. Hæc porrò sempiterna, horribilissima, intolerabilissima sempiternorum ignium tormenta effugere superstites omnes possumus, si fide verè Euangelica concordes in vna Dei domo (quæ seruũ Christi ouibus eius omnibus Præpositũ Pium V. debita veneratur, obedit, colit reuerentia) habitantes vnanimes bonis operibus cælestem illã nostræ vocationis spem certam faciamus: vt cùm Christus Dominus omnibus Iudex, cuique prout gesserit in corpore siue bonum, siue malum redditurus redierit, nõ pro reatu puniat, sed pius nos protegat, nostriq. misertus nõ æstimator meriti, sed ueniæ largitor in sanctorũ suorum nos consortium benignus admittat. Quod vt illorum meritis ac precibus nobis omnibus, quotquot in Christo renati, & ad æternum illud cæleste regnum per vnam Christi fidem in vna Ecclesia vocati vno Christianorum cẽsemur nomine, largiatur Deus propitius nos die, noctuq. indefessis precibus suppliciter vnà cum tota Christi Ecclesia Catholica pro vobis efflagitare non desinemus per Christum Dominum nostrum.

A M E N.

Beatus vir quisnã hoc omniũ infelicissimo nostro seculo verè dicatur.

Certa & indubitata ad cęlum via quæ.

Fidei verè Catholicæ atque Apostolicæ vita iũgenda Euãgelica in Catholica Christi Ecclesia.

RVremundæ anno 69. die S. Thomæ Germaniarum Apostolo sacra: cuius pijs precibus exoratus Christus Do. nobis Germanis omnibus & fidei Christianæ illius opera plantatæ reddat concordiam; & piam foueat in Euangelio verè Christiano vitam.

Illustriß. VV. Cels. & Cle. DD. ad omnia in Christi IESV *obsequia semper deditiß. atq. peculiarter deuotiss.*

Wilhel. Damasi Lindanus
Dordracenus.

NIhil in hoc tertio Tomo Apologetici Reuerẽdiss. VVilhelmi Damasi Lindani primi Episcopi Ruremundensis, quod non sit magnopere probandum, cùm omnia faciant ad pietatem, & Catholicæ fidei dogmata tum astruenda, tum defendenda, quemadmodum & duo Tomi priores.

F. Petrus Bacherius S. Theologiæ
Professor, apud fratres prædicatores Louanij Prior.

c. e. x.



APOLOGETICVM
PRO RELIGIONIS
CATHOLICÆ PACE,
ATQVE SOLIDA

Lindanus Wilhelmus Damasi D.

Altera pars
apologetici ad Germanos, pro religionis catholicae pace, atque solida Ecclesiarum in vero Christi Jesu evangelio concordia.

Antverpiae.

Ex officina Christophori Plantini
1570.
8°. 117 str.
A–A4 – Ff–Ff4
Opr. skórk.
Uwaga: Oprawione razem z dwoma tomami tegoż dzieła.

Lindanus Wilhelmus Damasi D.

Altera pars
Apologetici ad Germanos, pro religionis catholicae pace, atque solida Ecclesiarum in vero Christi Jesu evangelio concordia.

Antverpiae.

Ex officina Christophori Plantini
1570.

8°
417 sk.
A-A4 - Ff-Ff4

Opr. skórk.

Uwaga: Oprawione z drugim tomem tegoż dzieła.

Lindanus Wilhelm Damasi D.

Apologeticum
ad Germanos, pro religionis catholicae pace, atque solida eclesiarum in vero Christi Jesu evangelio concordia.

Antverpiae.

Ex officina Christophori Plantini
1568.

8°. Tomus I. 32k.n – 83 k
A–A3 – Kk–K3

Tomus II. 24k.n. – 174 k. – 2 k.n.
A–A3 – g–g3 ; a–a3 – y–y3.

~~Altera pars.~~

Opr. skórk.

Lindanus Wilhelmus Damasi. D.

Apologeticum
ad Germanos, pro religionis catholicae pace, atque solida ecclesiarum in vero Christi Jesu evangelio concordia.
Antverpiae.
Ex officina Christophori Plantini
1568.

8° Tomus I. 32 k.n. – 83 str.
A–A_3 – K–K_3
Tomus II. 24 k.n. – 174 str. – 2 k.n.
A–A_3 – G–G_3; a–a_3 – y–y_3

Opr. skórk.